



DEC. I
lib. 1-4







[illegible]

50f 3

MISCELLANEA HISTORICA REGNI BOHEMIÆ,

QUIBUS

NATURA BOHEMICÆ TELLURIS; PRIMA GENTIS INITIA; DISTRICTUUM SINGULORUM DESCRIPTIO; FUNDAMENTA REGNI; DUCUM ET REGUM IMPERIA; LEGES FUNDAMENTALES, CONSTITUTIONES, COMITIA, JUDICIA; BELLA, PACES, FÆDERA; FEUDA, PRIVILEGIA; MONETÆ RATIO; MAGISTRATUUM REGNI SUCCESSIONES; PUBLICA, ET QUÆDAM HÆREDITARIA MUNIA; ORIGINES OMNIUM COLLEGIATARUM ECCLESIARUM, ET CŒNOBIORUM; VIRORUM PIORUM ET SANCTORUM EXEMPLA; DOCTORUM LUCUBRATIONES ET NOMINA; HÆRESEOS ORTUS, PROGRESSUS, ET INTERITUS;

ORIGINES ITERUM UTRIUSQUE NOBILITATIS, TUM EDITA A NOBILITATE ILLUSTRIA TOGA, SAGOQUE FACINORA; CIVITATUM FUNDATIONES, FORTUNA ET STATUS;

ITEM

Historia brevis Temporum cum Chronologico examine; aliaque ad notitiam Veteris Bohemiæ spectantia, indicantur, & summâ fide, ac diligentiâ explicantur.



AUTHORE

BOHUSLAO BALBINO
è SOCIETATE JESU.

OPUS INGENS, VARIUM, DIFFUSUM, ALIQUOT ANNORUM DECURIIS ELABORATUM; DOCUMENTIS ANTIQUISSIMIS, ET CERTISSIMIS; MIRIS ET RARIS EVENTIS; PRÆCEPTIS POLITICIS, ET POLEMICIS; TUM ETIAM VITÆ SPIRITUALIS ET SANCTIMONIÆ EXEMPLIS AC MONITIS REFERTISSIMUM; DENIQUE OMNI HOMINUM STATUI ACCOMMODATUM.

PRAGÆ: Typis Georgii Czernoch M. DC. LXXIX.




IN GENTILITIUM AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ CLYPEUM, SIMULQVE IN EO ADUMBRATAM BOHEMICÆ TELLURIS EFFIGIEM.

EN *Decus Austriadûm!* retulit quod mœnibus Urbis
Aiconæ Austriaci dextra cruenta *Ducis!* *
Sangvineo lucet regalis *Purpura campo*,
Quem media innocuo *linea* lacte lavat;
Excubat hinc oculis torvùm vigilantibus *Ales*,
Inde coronatus pro statione *Leo* est;
Scuta *metalliferi* defendunt undique *Montes*;
Hæc sunt *Austriacæ signa* vetusta *Domûs*.
Erro! hæc est (video) Telluris imago *Boheme*!
At simul *Austriaci Principis* arma nitent.
Sudetos Montes lego, *Gabretámque* comantem,
Agnoscóque tuum, *Terra Bohema*, situm
Est *noster*, toties rubuit qui sangvine *Campus*
Et *Mulda*, & niveas qui vehit *Albis* aquas;
Hæc Ales Veteris *Czechi*, Regúmque priorum,
Estque *bicaudatus* pro statione *Leo*.
Expressa in nostris fulgent Tua stemmata campis
CÆSAR! signa Tuæ sunt, *LEOPOLDE*, Domûs.
Consilijs præstas *Aquilam*, Virtute *LEONEM*,
Seu *LEO*, sive *Aquila* es! *Nos* Tua Cura sumus!
Hoc erat in Fatis, quod Tellus ipsa figurat:
Austriaci ut gererent *sceptra Bohema Duces*.
Ipsa facit nos Terra Tuos, Ter *MAXIME CÆSAR*!
Naturâ *Austriadûm* sub ditione sumus.
Tu modò, *CÆSAR*, opem *Patriæ* nè subtrahe nostræ,
Spes Patriæ vitâ vivit, agitque Tuâ.
Ergo donec erit, quod contegit omnia Cœlum,
Donec erit nascens, occiduúsque dies,
Dum stabunt *Campi*, dum ripas *Albis* habebit,
Dúmque triumphali *Muldava Ponte* fluet,
Laus sua donec erit *gemmis*, pretiúmq; *Metallis*,
Dúmque suo stabit *Terra Bohema* loco,
AUSTRIADUM CLYPEUS NOSTRIS REGNABIT IN ORIS,
POSTERITASQVE TUÆ, REX LEOPOLDE, DOMUS!

* ... *Austria*, id narrat de Leopoldo *Austriæ Duce*. ... *Austriaca*, f. 29.

LEOPOLDO
ROMANORUM
IMPERATORI
SEMPER
AUGUSTO
PIO, FELICI, PACIFICO;
GERMANIÆ, UNGARIÆ,
BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ, SLAVONIÆ &c.
REGI,
SERENISSIMO,
POTENTISSIMOQVE,
VITAM, FELICITATEM,
ET PACEM.



Cire omnia quæcunque ſciri poſſunt, & omnem æternitatem temporum comprehendere uni DIVINITATI proprium eſt, IMPERATOR AUGUSTE; ſcire Naturas rerum, earúmque cauſſas penitùs perſpicere *Philoſophorum*, & *Sapientûm*



eſt opus; at noſſe omnium ſubjectarum Provinciarum, Regnorum, ac totius Reipublicæ ſtatum, hoc verò jam REGIUM & IMPERATORIUM NEGOTIUM eſt, ac Principibus & Regibus maximis digna occupatio cenſetur. Vix dici poteſt aliquid poſſidere, qui, quid poſſideat, neſcit. Ut *Divinitatis* præſentiâ Mundus, ita *Principis* ſui mente, omnia CONSILIO & INDUSTRIA (ut ad ſymbolum Tuum, SACRATISSIME CÆSAR, alludam) obeuntis, fæliciſſimè Regnum impletur. Ambitus Patriæ ſine Principis oculo, eſt Annulus ſine gemma, cæcus, caſſus, in quo nullum eſt principium, nullus finis. Ea eſt conditio imperandi, (a) ut non aliter ratio conſtet, quàm ſi uni reddatur. Vidit hoc Imperatorum abſolutiſſimum Exemplar DIVUS AUGUSTUS, qui Succeſſori ſuo TIBERIO tres Commentarios auguſtâ ſuâ manu conſcriptos moriens reliquit; in quorum tertio (quem *Rationarium Imperij* appellat SUETONIUS) (b) totius Imperij ſtatum, Provincias, earúmque vires, *opes publicas, quantum Civium, Sociorúmq; eſſet in armis* (ut primo Annali loquitur Corn: Tacitus) *quot claſſes, quot exercitus, tributa, vectigalia, neceſſitates ac largitiones*; deinde locorum omnium opportunitates, limites Provinciarum (addito conſilio coërcendi intra terminos Imperij) tum quâ parte Provinciæ paterent hoſtibus, ubi mari, fluvijs aut montibus defenderentur, ubi *Stativa* ponenda, ubi *Mars vigila!* aſſiduè inclamandum, tandem vicinorum Regum ac gentium ſuſpectas amicitias, fluxam fidem, clandeſtina fædera, tempori datam Pacem, aliáque *Imperij Arcana* annotaverat; quam rationem ſecuti Romani Scriptores NOTITIAM ROMANI IMPERII licet ſuperficialem tantùm, loca potiùs, quàm ſtatum deſcribentes, evulgarunt, quem Librum velut faculã ad Romanam Antiquitatem

tem

(a) *Saluſt. hiſtorici nepos apud Tacit. l. 1. Annal.*

(b) *Sueton. in Auguſto. Dio in hiſt: Rom. Tacit. l. 1. Annal. Lipſius in l. 1. Taciti N. 84.*



tem cognoſcendam ducentem, hodiéq; aſſiduè volutant Eruditi. Equidem AUGUSTISSIME IMPERATOR, actum agerem, ſi quæ penitùs & intimè nôſti, ſupervacuè in meis hiſce MISCELLANEIS pertractarem, *Davus ſum non Oedipus*, ait ille. Sed enim humana *Prudentia tres habet vultus*, quorum primo præterita, altero præſentia, tertio futura contemplatur

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,

Primum ei vultũ concedit HISTORIA, quo induta, ex præteritis præſentia videt acutiùs, & de futuris non vanè conjectat. Quippe humanis in rebus tempora prætereunt, perſonæq; amittuntur ex oculis, eædẽ tamen cauſſæ, & ijdem eventus recurrunt: *ſemper* Imperia per eas res conſervantur, per quæ primùm fuêre producta; *ſemper* Pietas bonos Principes etiã miraculis defendit, ut non modò *Ancilia*, ſed etiam ipſæ manus è cælo in auxilium cadere videantur; *ſemper eſt ſalus ubi multa conſilia (a)*; *ſemper* verum eſt: *(b) Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*; *ſemper* tutius Imperiũ eſt, quod Principis in ſubditos, & ſubjectorum in Principem amore & charitate, quàm timore munitur; hæc omnia, quæ *ſemper* fiunt, aliáq; hujusmodi, quæ *(c) S. Syneſius in aureo ſuo libro de Regno ad Arcadiũ Imperat:* inculcat, in his meis MISCELLANEIS (quæ vicenos & ampliùs libros conficient (domeſticis, pulcherrimis ac raris firmabuntur Exemplis. In præſens *tres* primos hujus Operis magni libros MAJESTATI TUÆ ad NOTITIAM VETERIS BOHEMIÆ parandam exhibeo, dedicóq;. Qui ædificaturi ſunt, Areã ante omnia deſignant & metiuntur, ſequitur ædificij totius deſcriptio; ad hoc exemplum *Primus Liber Hiſtoriam Naturalem Bohemiæ*, Secundus *Originem Bohemæ Gentis à Czecho*, Tertius *Diſtrictus* quos vocamus, & Regiones, tum ea quæ Telluri inhærent, continebit. Ut

 à Jove

(a) Prov: C. 11. (b) Prov: C. 29. (c) S. Syneſ. ex edit: Dionyſij Petavij S. J. in Biblioth: SS. PP.



à Jove principium Musæ, sic *Historici* à Principibus, & terrarum Dominis arcessunt principia, ídq; meritò, cùm *ejus sit fructus, cujus arbor extiterit.* Quanquam quid ego caussas accumulo, cur mea omnia MAJESTATI TUÆ, nostræ hujus Telluris Domino debeantur? si mitissimo imperio & significatione adactum me dixero, omni me audaciâ, Augustæ voluntatis nutus absolvet. Properat igitur ad AUGUSTALE Tuum, & ad Purpuram adorandam LIBER meus, Tuísq; unà mecum genibus, CLEMENTISSIME CÆSAR, advolutus, militare illud ac Romanum repetit: *factum est, quod imperâsti!* Sed, ut *Obedientia* mea non modò *cæca* (quod laudatur in primis) sed etiam *muta* sit, finem verborum facio, nunquam finem Votorum facturus: ut DEUS Opt: Max: MAJESTATEM TUAM cum Tuis omnibus, Religioni & Ecclesiæ, Imperio & Regnis, Patriæ, & AUGUSTISSIMÆ DOMUI, quàm diutissimè servet incolumem!

ità vovet

MAJESTATI
TUÆ

devotus æternùm

Pragæ in Collegio ad S. Clementem, 23. Sept.
Die fortunatissimo Adventûs Tui,
Anno CIↃ. DC. LXXIX.

BOHUSLAUS BALBINUS
è Societate JESU.

FACULTAS
REVERENDI PATRIS
PROVINCIALIS
BOHEMIÆ.


Um LIBRUM PRIMUM MISCELLANEORUM HISTORICORUM BOHEMIÆ, qui NATURALEM HISTORIAM ejusdem Regionis continet, à P. BOHUSLAO BALBINO Societatis JESU conſcriptum, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, poteſtate acceptâ à PATRE NOSTRO JOANNE PAULO OLIVA SOCIET: JESU PRÆPOSITO GENERALI, Facultatem concedo, ut LIBER typis mandetur. In quorum fidem haſce litteras manu meâ ſubſcriptas, & Sigillo Officij munitas dedi.

PRAGÆ in Collegio ad S. Clementem, 5. Maij, Anno M. DC. LXXIX.



MATHIAS TANNER.

PROTESTATIO AUTHORIS.



Nsistendo Decreto SS. D. N. URBANI VIII. ejúsque confirmationi ac declarationi, observantiâ, ac reverentiâ, quâ par est; profiteor haud alio sensu, quidquid in hoc, & sequentibus omnibus MISCELLANEORUM HISTORICORUM VETERIS BOHEMIÆ LIBRIS in laudem cujusquam refero, quod speciem Sanctitatis, aut miraculi habere videatur, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nitantur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

BOHUSLAUS BALBINUS
è Societate JESU.

MISCEL-



MISCELLANEORUM HISTORICORUM BOHEMIÆ DECADIS I. LIBER I.

QUI HISTORIAM NATURALEM BOHEMIÆ complectitur.

CAPUT I.

Situs Bohemiæ ad longitudinem & latitudinem Cœli relatus; cui peculiariter signo cœlesti subsit; Quæ telluris nostræ figura? umbilici, monilis, cordis, citharæ, ovi, rosæ, Amphitheatri; naturâ locorum Bohemiam ab hostibus utcunque defendi.

Longitudo & latitudo Cœli Bohemici.



QUi Terrarum & Urbium situs ad Cœli & Siderum certam, & minimè omnium fallentem mensuram ac regulam revocant Viri clarissimi, & ubi quæque Urbs quærenda sit *in terris*, ostendunt *ex Cœlo* (in quibus sunt *Clavius*, *& Blancanus* Nostri, tum optimus Ptolemæi interpres *Josephus Moletius*, ac denique accuratissimus & veteris ac novæ Geographiæ scientissimus *Philippus Cluverius*) Bohemiam, inter *longitudinis* gradum trigesimum quartum & quintum, paulò etiam ultra trigesimum octavum, inter latitudinis verò gradum quadragesimum octavum & nonum, usq; ad quinquagesimum primum consistere docuerunt. *David Origanus* Glacensis, insignis Patrum memoriâ Astronomus (ut editi ab eo libri testantur) asserit

Clav. in Sphæra. Molet. in Comment. ad Ptolem.

Cluver. in Introduct. Geometricis. Stransky in Rep. Boh. C. 1.

Origan. in Introduct. ad Ephemerides. A. 1599.

Cui Signo cælesti subsit Bohem:

Bohemiam sub *Leone* cœlesti, superiorem *Silesiam* sub *Ariete*, inferiorem cum Wratislavia sub *Virgine* stare; *Moraviam* verò à *Sagittario* respici, quæ omnia arbitrio eruditi Lectoris submitto. Figuram quidam Chorographi circularem Bohemiæ dederunt, inter eos *Philippus Cluverius* cùm imaginem formosissimæ Reginæ *Europæ* dedisset, ex *Bohemia* fecit *umbilicum*; *Nostro*, inquit, *ævo quidam Geographi Europæ fœminæ sedentis speciem tribuerunt, cujus caput Hispania, collum extrema Gallia, quâ Pirenæis subjacet Montibus, pectus ipsa Gallia, Brachia Italia, ac Britannia, venter Germania, umbilicus Bohemia, reliquum corporis sub vestibus latè circa sedem diffusis implent Norvegia, Dania, Svedia, Fionia, Livonia, Litvania, Prussia, Polonia, Vngaria, Slavonia, Croatia, Græcia, Dalmatia, Thracia, Servia, Bulgaria, Transilvania, Valachia, Moldavia, Tartaria Precopensis, & Moscovia.* Hactenus Cluverius. Unde si argutari obiter hîc liceat, cognoscimus, quanto in periculo versetur *Evropa*, si cruenta bella *jam ad umbilicum* (ut est in proverbio) pervenisse dicantur. *Henricus Bunting* & ipse Evropam Virginis instar depinxit; in cujus tamen *corde Bohemiam* locavit, quasi aureum Nummum, aut Monile, quod Virgines ad Mamillas, vel ad cor gemmis ornatum gestare consveverunt; nec multum inde abludit magnus alioqui fabulator Aventinus: *Bohemos, inquit, Hercynia Silva pro nativo muro in modum cordis, citharaq; munivit.* Alijs (ut ad institutum redeam) *Bohemia* ovali figurâ pingitur; quo argumento forsitan *Stengelius* noster *Ovum* Ferdinando III. tum non ampliùs, quàm *Bohemiæ Regi* dedicans, ejus effigiem (quam *Bohemicam* vocat) in ovo expressit; huic figuræ ipsa *Bohemiæ* Topographia, si diligenter inspicias, subscribit; Nos *Bohemiam* nuper *Rosæ* instar excudi curavimus. *Amphitheatri* cujusdam amœnissimi formam *Bohemia* repræsentat, atque ut in illo, extrema & gradus & subsellia altiora fuêre, sic circum *Bohemiam* editissimi montes stant, qui eam, velut perpetuâ quadam Coronâ incingunt; in quibus montibus tantum olim antiquis Bohemiæ incolis erat præsidij & fiduciæ repositum, ut (quod narrat alicubi *Sylvius*) *Bohemiam* velut nativis vallis, & munimentis propè inexpugnabilibus septam, crederent, nisi domesticorum proditione, ultróque accersitis hostibus adiri, multò etiam minùs expugnari posse. Et sanè tantæ rei fidem conciliant angustiæ locorum ad *Przisezniciun* & *Brzesnitz*. Et quid opus est enumerare singula? ad Bavariam, Voytlandiam, Misniam, Lusatiam, Silesiam, ut quod ipsi oculati limitaneorum inspectores affirmant, & nos vidimus, paucissimo milite hostis arceri & prohiberi *Bohemiæ* aditu possit; infirmissimi montes ad *Moraviam* sunt, maximè impervij ad *Bavariam* censentur.

Marginal notes (left): *Cluv. l. 2. Introd. in Geograph. C. 1.* — Figura telluris Bohemicæ. — Umbilici. — *Bunting. in Itinerario S. Scripturæ P. 1.* — Cordis. — *Avent. l. 1.* — Citharæ. — *Stengelius in Ovo.* — Ovi.

Marginal notes (right): Rosæ. — Amphitheatri. — Montes defendunt Bohemiam. — *Æn. Silv. in Hist. Bohem. init.* — Angustiæ locorum in aditu Bohemiæ.

Ad Prachaticium collis est angustissimus (*aureum* vocavit antiquitas) sic ut Equos clitellarios tantùm admittat, qui sale onusti ab agasonibus in *Bohemiam* aguntur, ac rursus frumento graves domum redeunt. Omnes illæ quidem angustiæ bellis proximis latiores sunt redditæ, natura tamen locorum omninò expugnari non patitur, eorúmque montium, & silvarum præsidio freti Veteres Bohemi, multas de Cæsaribus, Regibus, ac vicinis Principibus reportârunt victorias: legantur bella *Brzetislai Ducis* nostri, tum aliorum Regum ac præcipuè adversus hostes Cruce signatos *ad Domazlicium & Tachoviam*, alibíque gesta.

Hagek in Annal. Boh. Zachar. Theobal. senior & junior in bellis Hussiticis.

C A-

CAPUT II.

An Bohemia tridui itinere possit percurri adversus Silvium? an Geographi, & Historici magnitudinem regionis ex ambitu rectè colligant?

FAcere non possum hoc loco, postquam de Bohemiæ figura agimus, quin obiter errorem eorum, qui de *Bohemia* scripserunt, castigem; inter eos agmen ducit *Æneas Silvius*, eúmq; secuti cæteri, qui ut ostenderent *Bohemiam* amplam non esse, ex eo potissimùm efficere voluerunt, *quòd ejus diametrum trium dierum expedito itinere pateat*, ut loquuntur. Primùm, quis unquam tridui spatio diametrum *Bohemiæ* percurrit, aut percurrere se posse jactavit? ducatur linea rectissima *Egrâ* (quæ Urbs in ingressu *Bohemiæ* stat) per *Pragam* & *Reginohradecium* usque *Mittevvaldam* primum in confinibus Comitatûs Glacensis Oppidulum (excludo fiduciæ caussâ totum *Comitatum Glacensem*, quem Bohemæ telluri annumerare possem) inveniet *Egrâ Pragam* milliaria grandia decem & novem, *Pragâ Reginohradecium* tredecim, hinc *Mittevvaldam* sex & ferè medium, atque ita in summa, milliaria *triginta octo* explentur; hæc ab *Occidente* in *Orientem*. jam à *Septentrione ad Meridiem* ducatur linea ab *Hanspach* maximè Septentrionali Bohemiæ ditione Excellentissimi Comitis *Joachimi Slavatæ, per Pragam*, aut ponè *Pragam* usque *Freistadium* (quæ prima Civitas *Budvicio* & *Caplicio* in Austriam euntibus occurrit) inveniuntur milliaria triginta quatuor, & ampliùs. quis oro, satis sanus, triduo (noctes, & cursorias veredorum parasangas excipio) tot milliaria usitato profectionis modo, speret se posse conficere? adde quòd milliaria nostratia, & vallium & montium ubiq; propè occurrentium, & alijs itinerum difficultatibus, & ipsâ mensurâ, totius *Germaniæ* longissima habeantur, ut ad unum Bohemicum aliquod milliare superandum, plerumque duæ, sæpe etiam tres horæ (ad peritos nostrorum itinerum provoco) requirantur; *Clatoviâ Brzeznicium*, aut *Pragâ* saltem ad *Aulam Regiam* iter faciat, si quis mihi fidem non habet.

Silv. C. 1. hist. Boh.

Tridui spatio non potest percurri Bohemia

Linea diametralis Bohemiæ quãta sit.

Jam illud alterum *Silvij* de diametro prolatum, majoribus etiam erroribus est obnoxium, nisi enim in figura Regionis extremitates spectentur, inutilis evadet hæc metiendi ratio. Potest enim esse figura, quæ maximam amplitudinem & aream complectatur, per quam tamen mediam ducta linea fit brevissima; contrà verò alia, quæ aream claudat minimam, per cujus medium ducta linea, fit longissima; quod ex prima *Euclidis* inspectione cuilibet datur intelligi. Nec minùs insigniter falluntur ij, qui notatis diligenter in circuitu regionis alicujus passuum millibus, ex solo ambitu & extremis lineis ac filis, cujuslibet Provinciæ planum, & aream, quàm hæc ampla, aut contrà quàm arcta, & angusta sit, clarè se demonstrâsse putant, qui satis communis est historicis, etiam valde illustribus, error in erudito Geometriæ pulvere facilè refellendus. Primus id me docuit *Joannes Bodinus* scriptor alioqui suspectæ fidei, & sui sensûs, sed in Mathematicis dux bonus & fortis: *Animadversione dignum est*, ait, *quòd omnes non modò historici, sed etiam Geographi (excipio Polybium & Ptolemæum) Insularum, ac Regionum magnitudinem ex ambitu colligunt; & quarum circuitus æqualis est*

Regionum amplitudo non satis tutè colligitur ab extremis.

Bodin. in Methodo histor. lib. 1. C. 4.

est aut major, æquales esse putant aut majores, quo nihil absurdiùs dici potest: id tamen necessarium plerisq;, ac mihi sæpe visum est, quousq; Geometricâ demonstratione animadverti, sæpissime fieri, ut unius Insulæ circuitus triplo major sit alterius circuitu, cujus tamen decuplo minor sit magnitudo. Neque exemplum, neque demonstrationem attulit ullam *Bodinus*, sed verissima eum dicere planè perspicio; quòd mechanicè ad oculorum fidem, ijs, qui contrà nitebantur sæpius ostendi: accipe filum aut cingulum cujuscunque magnitudinis, verbi gratiâ *quatuor ulnarum*; id filum in orbem compone, ut unicus circulus fiat; habebis justam in medio planitiem & aream, cujus circulus est ulnarum quatuor; ex eadem figura aliam triangularem facito, aut fac ex his ulnis quatuor, duas lineas parallelas prope se jacentes; en tibi extremitates habes quatuor ulnarum, nam quævis linea, quod certum est, duas continet ulnas; atqui in medio relicta area seu spatium relictum, tam parvum erit, & angustum, ut à priore area rotunda, magnitudine decies & ampliùs superetur, cùm tamen extremitates omnino sint pares. Unde refelluntur evidenter ij, qui nuper argumento extremitatum, Regionem quandam *Bohemiæ* vicinam, in longum quidem porrectam, sed latitudinis modicæ, *Bohemiâ* ampliorem esse persvadere nobis conati sunt; non videbant acuti homines, cùm *Bohemia* orbicularis sit, (quæ capacissima est omnium figurarum) quantum discesseris à rotunditate, tantum te ab amplitudine discedere, & aream mediam fieri contractiorem. Quâ ratione igitur, dices, metienda est *Bohemiæ* amplitudo? Respondeo: cùm consensu Chorographorum omnium *Bohemia* rotunda & umbilici instar, ut *Cluverius* exhibet, orbicularis sit figuræ, eúmque diametrum *Bohemiæ*, esse triginta quinq; & ampliùs milliarium inter omnes constet, habebit igitur *Bohemia* proportionem quàm diameter ad circuli circumferentiam (septem ad viginti duo, ut Archimedes demonstravit) atque ita circuitu suo minimùm ter superabit diametri longitunem, ac proindè centum decem ac plura etiam milliaria, eáque maxima Bohemiæ universæ ambitus continebit.

Ambit⁹ Bohemię quot milliaria cō prehendat. *Archimed. libello de dimensione Circuli. Propos. 3.*

CAPUT III.

De Silva Gabreta. De Hercynia: ejus tractus & magnitudo. Cur Bohemia Hercynia appelletur? quæ fuerit Hercyna Virgo? Romanis fato negatum Albim transire. De incendijs Hercyniæ Silvæ. Silva Lunæ. De montibus Giganteis & Sudetis. Authores in his variant. Adversus eos, qui Bohemiam, quòd montosa sit vituperant.



Silvæ præcipuæ magnitudinis, & proceritatis, antiquis Scriptoribus notissimæ sunt; Silva *Gabreta* (Ssumawa Bohemis) ab Egrensi Regione per Pilsnensem & Prachensem ad usque Regiam Vrbem *Susficium* (*Siccam* olim appellatam) porrigitur, & *Bohemiam* à *Voitlandia*, *Palatinatu Bavarico*, & ipsâ tandem *Bavariâ* dispescit. *Silva Hercynia* notior est, quàm ut de ea hoc loco tractari possit. *Pomponio Melæ* Hercyniæ Silvæ magnitudo

Silvæ Gabretæ tractus.

Dalecamp. in lib. XVI. Plinij C. 2.

De Hercynia silva, ej⁹ magnitudo.

do sexaginta dierum itineris est ab Istro ad Neccarum; ea *Schvvartzvvald* dicitur. A Neccaro ad Mœnum *Ottenvvald*, à Mœno usque ad fluvium *Lonam*, quem & *Mosl* vocant, propè Confluentiam *Westervvald*. Inde Franconiam ab Hassia, & Thuringia dividens in *Bohemiam*, *Moraviam*, *Pannoniam*, *Sarmatiam* & *Getas* porrigitur, varijs appellata nominibus. De hac

Plin. l. xvi. C. 2.

Plinius penè supra veritatem more suo: *Hercyniæ siluæ*, inquit, *roborum vastitas intacta avis, & congenita Mundo, propè immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur, fide caritura, constat attolli colles occursantium inter se radicum repercussu; aut ubi secuta tellus non sit* (radicum scilicet in altum sublatarum) *arcus ad ramos usq;, & ipsos inter se rixantes* (collisu veluti dimicantes) *curvari Portarum patentium modo, ut turmas Equitum transmittant.* Hæc pereleganter *Plinius*, si modò verè; constat tamen, atque ipse oculatus testis affirmo: Silvas Bohemiæ cœteras, si cum *Hercynia* conferantur, nemora hortorum videri posse, aut puerulos viris comparatos; ita *Hercynia* altitudine, magnitudine, crassitie, & quod caput est, arborum raritate & proceritate, ramorum densitate, aliisq; dotibus præcellit, *quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Hercynia, Silva alijs Bohemica dicitur.

Etsi autem, ut modò dixi, Provincias complures *Hercynia* silva obeat, tamen apud nos quodammodo corpore ipso, cùm aliò brachia vel pedes exporrigat, habitare dici potest, neque aliter à Palatinis, Bavaris, Austriacis, Misnijs, Thuringis, & Voitlandis, quàm *Behmervvald*, id est, *Bohemorum Silva* nuncupatur; quod etiam Poëtis veteribus juxta ac novis causam præbuit, ut cùm hærent in versu, neque *Bohemiam* pedibus obnixam carmini suo inferre possint, *Hercyniam* appellent; hæc enim vox pedes habet sponte sequentes, unde Scaliger Julius:

Jul. Cæs. Scaliger in Urbibus.

Hercyniæ in medio maxima Praga tumet. Placet semel œstro afflatos, plura, ut ita dicam, poëtari: *Hercynam* Virginem Proserpinæ Comitem nominat alicubi *Titus Livius*, quæ Templo sit consecrata; stare Deæ simulacrum *Anserem* manibus gerentis; germanissimum hoc *Bohemiæ* Emblema esse potest Poëtis: nam & ansere supra vicinas regiones omnes abundat *Bohemia*, & hostes Capitolio ac Romano Imperio infestos anserum vigilantiâ proditos fuisse pueri legebamus.

Livius l. 43. hist. Rom. Turneb. Tomo 1. Adv. Lib. 11. C. 18.

Hercyna Virgo manu Anserẽ tenens.

Unde Hercyniæ silvæ incendia oriantur.

Sed fabularum satis. *Hercyniam* silvam accensam æstatis siccitate sæpius in historijs nostris legimus, arsisse Anno Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, 18. hebdomadis *Jonstonus* est author. Narrat *Ælurius* cùm gravis æstus sævit, Glacenses quoque silvas accendi: arsisse Anno 1473. item Anno 1540. *Hablschvverdenses* ad Glacium silvas, & ab *Hummel* usq; in *Mittelvvald* per multa milliaria, neque defendi incendia potuisse, id cùm alij vel ad pastorum negligentiam, vel ad siderationes referant, ego satis tutò credi existimârim, silvas illas, præsertim sicco & torrido anno, attritu crebro rixantium ramorum ventis impellentibus, incendium dare potuisse. Vide quæ *Plinius* libro decimosexto, capite quadragesimo attulit; & Lucretius:

Jonston. l. de Constantia Naturæ. Propos. 3.

Ælur. in Glaciograph.

Lucret. l. 5.

> *Exprimitur validis extritus viribus ignis,*
> *Et micat interdum flammai fervidus aër,*
> *Mutuà dum inter se rami stirpésq; teruntur.*

Lege etiam *Cornelium Severum* in Ætna, & Commentatorem ejus *Scaligerum*. Satis de *Hercynia*. Ubi *Gabreta Silva*, de qua priùs dicebam, desinit, ad ipsam *Passaviensem* silvam supra *callem aureum*, *Silva Lunæ* dicta Veteribus horrescit, à Prachaticio per Austriæ & Moraviæ fines latissimos deducta; longitudine *Gabretam* vincit; at *Gabreta* vicissim amplitudine, altitudine, & raritate arborum antecellit; sed omnes hæ silvæ magnæ illius *Hercyniæ*

De Silva Lunæ.

Montes Gigantei.

cyniæ proles & coloniæ dici possunt. Ad Silesiæ & Lusatiæ fines stant altissimi, ac plurimi montes *Hermundurorum*; inter eos montes *Gigantei* ad fontes *Albis*, spectro, quod Incolæ *Ribenzall* appellant, infames, de quo aliàs; tum post Austam ac Przisezniciun Montes *Sudeti*, ut verum denique esse videatur, quod antè ex *Silvio* attulimus, Montes & Silvas nativum quoddam munimentum Bohemiæ præbere. Observandum tamen est hoc loco, in Bohemiæ Silvis & Montibus appellandis non consentire Scriptores.

Sudeti mõtes.

Cluver. in antiq. Germania l. 2.

Philippus Cluverius Geographiæ Scriptor nobilissimus: *Sudetos Montes* ait, alios non esse, quàm qui hodie *Bohemici* aut *Hercynij* dicuntur, totámq; ambiunt Bohemiam.

Fabric. l. 7. Origin. Saxon.

Fabricius partem quandam tantummodo Bohemiæ *Sudetis*, vel ùt ipse vocat *Suditis* incingit, quà *Zatecensis* & *Cubitensis* Districtuum confinia porriguntur.

Henel. in Silesiograph. C. 1.

Henelius contrà pugnat, censétque *Sudetos* Montes esse, quos alij *Cerconossios*, *Riphæos*, *Giganteos*, & Germani *Nivosos* appellant. Idem *Henelius* Glacenses Montes, qui usque ad Carpathi juga in Principatum Silesiæ *Tessinium* pertendunt, Moravósque à Silesijs dirimunt, vocat *Moravicos*, vel *Nissenses*;

Ælur. in Glaciogr. l. 1. C. 1.

Ælurius Germanicâ voce **das Gesencke.** Hæc omnia nomina tolerari possunt; at quod de suo *Ælurius* adjicit: *Glacium* in Silva *Gabreta* intus jacere, mihi nunquam fidem fecerit; qui optimorum Scriptorum consensu fretus, *Gabretam*, prorsus è diametro, ad *Voitlandiam*, *Palatinatum* & *Bavariam* collocârim. Mediterraneos Montes, ut ita loquar, à limitaneis hoc loco secerno; illi plurimi sunt, & in ipsa interiore *Bohemia* jucundè spectantur, tanto numero, ut montosior potiùs, quàm planior regio habeatur;

Bohemiæ regio montosa.

quæ causa fuit Scriptori cuidam nupero obtrectandi *Bohemiæ*, quòd non ut *Polonia*, plana & æquabilis esset, sed montosa. Quam accusationem ex ignorantia profectam, pridem aliarum terrarum exemplo, rejeci, docuíque pulcerrimas Provinciarum, qualis quondam *Thessalia* & *Judæa* fuit, montibus commendari.

In hist. S. Mõtis.

Plin. l. 4. hist. Nat. C. 8.

Montium nostrorum brevis commendatio.

Multa in his montibus miracula reperias, multásque naturæ divitias: aurum, argentum & metalla cætera, tum gemmas, ut dicam postea, herbarum & radicum salutarium maximo proventu. Hîc Thermarum scaturigines, hîc fontes acidi defluunt, hîc flumina cadunt, & hydrophylacijs & aquarum crateribus in vastis & occultis cavernarum sinibus commiscentur. *Crocus* herba est non ignobilis, quem in Montibus Bohemicis sponte nascentem, nihil sativo concessurum, succi, odoris, coloris vivacitate reperies. *Dictamnum* utramque *albam* & *nigram* nostri quoq; montes ferunt, & memini me ipsum olim in *Bilinæ* monte dictamni radices collegisse. Porrò de Montibus Bohemiæ celebratis, quos nominibus suis honoravit Antiquitas, suus erit dicendi locus, & alter cùm de Arcibus Bohemiæ (quæ plerumque in arduis montibus collocantur) agere cœperimus.

Albim trãsire vetitũ Germanico.

Quod sequitur, an fabulis, an historiæ accensere deberem, diu multúmque dubitavi, *Dionis* tamen *Cassij* Viri gravissimi & Romani Consulis narratio est: *Drusum* (qui à morte primùm *Germanicus* est appellatus, & ad ipsum Rhenum tumulatus) cùm omnem propè Germaniam populationibus peragrasset, ad *Albim* usque, qui (ut ait Dion) *ex Vandalicis montibus profluens, in Oceanum Septentrionalem auctus mirum in modum effunditur*, accessisse, neque eum transire potuisse, præcipuè viso territum: Mulier quædam humanâ formâ augustior *Druso* occurrit, & quo tandem *Druse* properas, inquit, quêm cupiditati tuæ, & victorijs modum impones? ad ea quæ ultra Albim sunt videnda, scito te fatorum lege arceri! quin igitur abis! *Albim* superare tibi

Dio Cass. l. 55. hist. Rom.

non

non eſt conceſſum! ſatis collegiſti gloriæ, ſatis commeritus triumphorum; jam & operum tuorum, & vitæ terminus inſtat. Itaque *Germanicus*, poſitis ante *Albim* trophæis, & aris, ſtatim retro flexit iter, & in itinere, priusquàm *Rhenum* attingeret, morbo deceſſit. Ex hac narratione facilè datur intelligi: Romanis fato negatum inter *Danubium* & *Albim* dominari, intactámque victorijs Romanorum, regionem noſtram divino munere ad *Przemiſlæam* ſtirpem, deinde ad alias, ac noviſſimè ad *Auſtriacam* pervenire debuiſſe.



CAPUT IV.

De Altitudine Bohemiæ argumento fluviorum in ea naſcentium, quibus iter eſt per univerſam Germaniam in Septentrionem, Orientem, Meridiem & Occidentem. Egra unicus Fluviorum Bohemiam ingreditur. An Danubius in Bohemiam deduci poſſit, quod tentaſſe dicitur Carolus Imperator?



ALtiſſimo in loco ſitam eſſe *Bohemiam*, Fluvij apud nos nati (quos vicinis regionibus propinamus, & infundimus) manifeſtum præbent indicium. *Aquas*, ait Stransky, *non niſi domeſticas bibit Bohemia*; unde *perpendere potes* (verba ſunt vetuſtiſſimi Scriptoris Coſmæ Decani Pragenſis) *quàm in alto aëre, hæc pendeat regio*. Obſervant, & demonſtrant Fluviorum menſores & Aquilegi, ſi fluvium, aut rivum aquæ deducere velis, poſt mille paſſus, *uno minimum pede* alveum tibi demiſſiorem eſſe faciendum; quantæ igitur altitudinis argumentum erunt, tot fluvij à nobis tanto impetu in Oceanum Mare, Evxinúmque miſſi, quorum uterque non paſſuum millibus, ſed, ſi Mæandros fluviorum computes, myriadibus, Bohemiâ diſtant? quis enim neſciat, niſi in declivia, flumina non cadere, cùm pondere ipſo deorſum præcipitentur? *Albis* primùm, ut loquitur *Xiphilinus*, ῥεῖ ἐκ τῶν οὐανδαλικῶν ὀρῶν, *fluit ex Vandalicis montibus* (Montes Giganteos, vel à *Plinio*, & *Ptolemæo* dictos *Cercono*ſios intelligit) in eum pleriq; alij Bohemiæ fluvij exonerantur (quos alibi enumeravimus) cúmque *Albi* in *Miſniam*, *Saxoniam*, aliásq; deinde ampliſſimas regiones, *Hamburgum* uſquè, ac tandem in Oceanum Septentrionalem deferuntur, ut meritò *Albim* quaſi *Halb* appellatum *Scaliger* exiſtimet, quòd mediam ſecet Germaniam. Jam ab Oriente *Morava*, fluvius (unde Moraviæ nomen) *Svvatava*, *Svvartzava*, *Igla*, *Teya* (ejuſdem Moraviæ fluvij) aut in *Bohemia*, aut propter limites ejus, ex fontibus & crateribus enaſcuntur, ſuóſque fluctus amiſſis nominibus ad meridiem *Danubio* donant, quibus ille auctior, percursâ *Ungariâ* universâ ad Orientem curſu contendens novem oſtijs, ut *Arrianus* deſcribit, *Evxinum* ſubit. Idem de pluribus alijs fluminibus & fluvijs dici poteſt, ut de *Steina*, *Warta* & *Niſſa*, qui in Comitatu Noſtro Glacenſi nati, *Oderam* intrant, & ad *Lubekam* effunduntur in mare. Alterâ parte ad Occidentem *Mœnus* & *Sala* fluvij non procul *Egrâ* naſcentes, tum *Nabus*, *Pfremdt* & *Regen* (unde Germanicum *Ratisbonæ* nomen) ut alios prætereaam, in noſtris

Stransky C. 1. Reip. Boi. §. 2.

Coſmas lib. 1. Chronici Boh. init.

Georg. Behm. S. J. in Meteorolog. theſi 5.

Bohemiæ altitudo ex fluvijs probatur.

Xiphil. in Epitome Dionis.

Albis ad Septentrionẽ.

Scaliger orat. in laudem Militum Viennæ cæſorum.

Morava ad Orientem.

Arrian. in Peripl. Ponti Evxini.

Fluvij plures à nobis ad Occidẽtem properant.

ſtris Silvis & montibus (quibus quaſi vallis & coronâ ab ipſa natura *Bohemiæ* Regnum incingitur) erumpunt, & *Nabus* quidem & quis fuit alter? *Danubio* ad *Ratisbonam* miſcentur, & cum eo per Meridiem in Orientem, ut dicebã modò, decurrunt; *Sala* innumeris auctus fluvijs in *Albim*, *Mœnus* amiſſo nomine in *Rhenum*, in *Hollandiam* deinde, ac mare defertur. Præclarè ad rem noſtram facit egregij Poëtæ Germani *Conradi Celtis* (quem primum fuiſſe laureatum Poëtam in Germania tradunt) de *Bohemiæ* altitudine, ejúſque fluvijs teſtimonium, in quo *Bohemiam Tempe* nominavit:

Alij ad Meridiem fluvij feruntur

Celtes in Danubio.

Qualiter in Graijs memorantur Theſſala Regna
Æmathijs Tempe ſepta fuiſſe jugis,
Taliter Almannis ſe læta Bohemia Terris
Erigit, & largis flumina fundit Aquis.

Plura de *Bohemiæ* fluvijs in *Epitome hiſtorica*, quam nuper vulgavimus, curioſus lector inveniet, illud modò in cauſa maneat: omnes terras, quà fluvij labuntur, terris in quibus naſcuntur, & origine ſuâ, demiſſiores eſſe; non hæc ita diſputo, quaſi univerſim *Bohemiam* ejúsq; omnes partes omnibus vicinis Regionibus altiores eſſe pervincere velim; nam *Litomericenſis* Bohemiæ *Diſtrictus* (ut vocant) tum etiam *Cubitenſis* ac *Zatecenſis* omnibus cæteris Bohemiæ Regionibus profundiores, *Egram* fluvium admittunt, qui aut *Egræ Urbi* nomen dedit, aut ab ipſa nomen accepit; quanquam & hoc defendi poſſit, cùm *Egram* ad Regnum Bohemiæ hodie pertinere ſciamus, neque ita procul à nobis (quod ad id quod propoſueram ſatis eſt) oriatur.

Egra fl. in Bohemiam ingreditur.

Unus negotium nobis faceſſere poteſt *Dubravius Olomucenſis Epiſcopus*, qui Hiſtoriæ ſuæ Bohemicæ libro vigeſimo ſecundo, poſt mirificas eáſque juſtiſſimas *Caroli IV.* Imperatoris, ac Bohemiæ Regis laudes, *hoc* inquit, *omnium utiliſſimum opus toti Regno* (Bohemiæ) *futurum erat ſi abſolutum fuiſſet, quod in finibus Bavariæ, quâ parte Vultavia fluvius* (Moldavam vocant alij) *qui Pragam interfluit ortum habet* (Carolus) *inchoavit, miſſis libratoribus, qui locum idoneum per libellam invenerunt, in quo Danubius cum Vultava commiſſus, omnes ex Italia & Germania advectas merces Pragam tranſmittere poſſet. Apparent etiamnum tanti conatûs veſtigia, ſed irrito effectu, vicinis novum opus prohibentibus, nè in jacturam illorum Danubius averteretur.* Hæc Dubravius. Si itaque *Danubius* in *Wultavam* deduci poteſt, neceſſe eſt illud de altitudine Bohemiæ aſſertum concidere. Ego exiſtimo, planéque ſentio: *Carolum Imperatorem*, non quia prohibebant vicini (quis enim, rogo, tam glorioſo & victorijs illuſtri Imperatori, qui toties æmulos Imperij, hoſtésque cæteros ad officium compulerat, & ut loquitur Raynaldus, *per Bavariam ac Wirtembergiam ferrum Bohemicum, flammáſq; circumtulerat*, prohibere potuiſſet?) ſed deſperatione ab opere ipſo ceſſaſſe, & nè victus, operis ut ſic dicam, impoſſibilitate videretur, invidiæ aut gratiæ vicinorum id dediſſe, ut conatum abrumperet. Quâ enim ratione deduci in Bohemiam poſſet *Danubius*, in quem longè altiùs, tot in Bohemia naſcentes fluvij exonerantur? *Nabus*, *Frembt*, *Regen* tantò ante, & quà maximè *Danubius* Bohemiæ propinquat, item ad ipſum Paſſavium, *Iltza* nigris fluctibus fluvius (quem *Bohemicum* fluvium incolæ vocant: à quo illa Urbis regio quam alluit, *Iltzſtad* appellatur; uti diverſa *Inſtadt*, quam ſcilicet Œnus allambit) tum alter à *Freiſtadio*, uterque ex montibus Bohemicis orti in *Danubium* præcipites cadunt, ut nè concipi quidem cogitatione illa derivatio & deductio *Danubij* in *Moldavam* poſſit; occurrerent enim ſibi fluvij, & (quod in tractatione *de perpetuo motu* fieri poſſe negatur) fontes & flumina redirent in caput.

Caroli IV. conatus Danubium in Boh. inducendi.

Odoricus Raynald. in An: Eccleſiaſt. in Carolo IV.

Fruſtra Carolus IV. Danubium in Boh. tentavit inducere.

CA-

CAPUT V.

Salubritas aëris & dulcedo aquarum in Bohemia, & unde probetur? Tycho Brahe Cœlum Bohemicum commendat; Bohemia semper à fortissimis gentibus habitata. Hermunduri qui olim ad Albis fontes sedebant, formidati Romanis ex oraculo Augusto Cæsari dato. An verum sit, Imperia in Austrum propagari? Germani cur aliquando à Romanis victi?

Comendatio regionis alto loco sitæ.



EX hac *Bohemiæ* altitudine forsitan fæcunditas & salubritas aëris, & regionis ipsius agnoscitur: ferè enim quæ altiora sunt, eadem salubriora, fæcundiora & vivaciora, magisque experrecti vigoris; unde & Vegetius: *Optimus miles ex confragoso venit*; herbæ ipsæ, & plantæ aliæque stirpes montium, imò & lapides, & gemmæ, tum metalla, & crystalli, duratiores sunt illis, quæ in regione plana nascuntur. Hanc telluris altitudinem spectasse *Czechum* gentis auctorem in eligenda regione, cùm plures vacuæ cultoribus occurrerent *Cosmas* est author, & argumento omnium elementorum hanc unam cæteris prætulisse. Dulciora sunt flumina & puriora, quò altiora; hanc aquæ dulcedinem *Salmones*, sturiones, ac cæteri pisces petunt, verúmque est etiam apud eos, dulcius ex ipso fonte *aquas* gustari. *Aër* quoque quantum altitudine, tantum ferè subtilitate, & bonitate præcellit; hæc bonitas ab avibus procul & sentitur, & petitur; hinc tot avium, etiam peregrinarum, & rarissimarum greges (quales sunt genuinæ & gnisiæ *Aquilæ*, non tantùm illæ saxatiles grandes & pigræ, *quas*, ut ait Plinius, *corvi verberant*, sed minores & nigerrimæ (quæ vera est generis nota) falcones, & omnia *Accipitrum* etiam minorum genera, præcipuè ad *Launam* & in Monte *Zrzip*, tum etiam *cygni*, quos ipsi in Piscinis natantes vidimus, aves noctilucæ, *garruli Bohemici* apud *Aldrovandum*, & *Gesnerum*, *capreæ volantes* & cætera *volucrum sæcula*, (ut Lucretinè dicam) *Ficedulæ* certè, ac *Turdi* cùm alibi generentur, sub autumnum & primam hiemem tantis Examinibus *Bohemiam* implent, ut aliquando in foro duas uno crucifero venditas esse meminerimus; alta amat, quod pennas habet, & si daretur, libertatis amore, Cœlum peteret volatu.

Veget. lib. de re militari.

Cosmas lib. 1. Annal. Boh.

Aldrov. in Ornithologia. Gesner. in Avibus.

Cœlum Bohemicum salubre.

Illud etiam ex hac altitudine consequitur *Bohemia*, quod maximè transpirabilis sit, & ventis sæpius everratur, quod ad salubritatem Regionis facere in *Problematis* docuit *Aristoteles*; adde montes nostros calvos non esse, sed ut feracitatem agnoscas, omnes arboribus glandiferis, ac frugiferis contegi; plurimæ silvarum pineis, cæterísq; calidis arboribus constant, quæ cùm plurimum exspirent, aërem serenant & purgant. Nec illud ratione carere potest (quod alicubi *Slavata Cancellarius Regni* in Regibus nostris ingeniosè observat) omnes quicunque ex *Regibus* ægroti vel in Austriam, vel Ungariam aliové deportari se ex *Bohemia* jusserant, brevì sine remedio obiisse, contrà verò qui infirmâ valetudine in *Bohemiam* advenerant, plerósque sanitatem pristinam recepisse, *Sigismundi*, *Maximiliani II. Mathiæ*, *& Ferdinandi III.* Cæsarum, *Annæ Imperatricis Mathiæ* conjugis, pluráq; alia, etiam privatorum hominum exempla, si id ageretur, possem adducere. *Cæli*

Mathiolus Cōment. in L. 1. Dioscoridis C. 74.

In M. S. Apologia advers. Mathiam C. à Turn. P. 8. quinter: 75.

li Bohemici ſalubritatem, benignóſq; in Bohemiam præcipuorum Cœli ſiderum aſpectus & influxus multis quoque Epiſtolis deprædicat cœleſtis ille Vir *Tycho Brahæus*, ut *Petrus Gaſſendus* Vir clariſſimus è Gallis in vita *Tychonis* annotavit. *Jeſſenij* quoque in eam rem teſtimonia adferentur, cùm agemus de *Praga*. Ipſe incolarum *Bohemiæ* vultus loci ſanioris præbet indicium, optiméque & velut oraculo dixiſſe *Catonem Dalecampius* notat: *in bona eſt regione bene nitere* (id eſt bonæ regionis argumentum debet haberi, cùm vitales & nitidi vultus ſunt incolarum;) dici illud *Homericum de Bohemis* non poteſt, quod *Caunijs* ſemper pallentibus, & luridis aptavit neſcio quis apud Plutarchum.

Gaſſend. l. 5. vitæ Tychonis Brahe.
Ieſſen. lib. de Peſte.
Dalecamp. in l. 18. Plin. C. 5.

Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum; robuſta & grandia videas incolarum corpora, & quod *Terentianè* dicam: *color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum;* læta quædam & exporrecta in pueris, atque in omni ætate & ſexu vivacitas, & venuſtas, ut non vanè in *Icone animorum Barclayus* obſervârit, *Bohemicæ gentis Genium procul à tardis & moroſis quarundam Gentium moribus* diſtare, nihílque cum ijs habere commune. Fateor ſalubritatem loci non ſemper incolarum colore detegi; at ubi plura hujusmodi, ac ferè ſemper, eodémque in loco concurrunt, dubitari non poterit, perinde ut ad cætera mortalium bona, cœlum plurimum contuliſſe. Plura de Altitudine, ſitu, & ſalubritate *Bohemiæ* non addam, ſed ex his apparet, quantis locorum præſidijs natura nos ſepſerit, quámque benignè nobiſcum egerit, ut ad ſummam ſenectutem & longævitatem (quod de Majoribus noſtris paſſim jactatur) pervenire poſſimus; at nos hodie vitijs noſtris brevem vitam nobis facimus, &c. Ex his quæ paulò antè, de fluvijs noſtris, ac præſertim de notiſſimo *Albi* flumine diximus, ſatis apparet quos (antè quàm *Slavi* advenirent) Incolas habuerit Septentrionalis Bohemia, videlicet ubi nunc Diſtrictus *Boleslavienſis* & *Reginohradecenſis* porrigitur. *Tacitus* certè in *commentario de Germania* diſertè docet: *Albim apud Hermunduros oriri, eóſq; ad fontes Albis habitare;* obſervandúmque eſt, neque parum ad gloriam facit: *Bohemiam* omnibus ſæculis à fortiſſimis gentibus habitatam. De *Boijs* (unde Genti vetus nomen) Vir clariſſimus *Welſerus in Boicis* conſulatur; de *Hermunduris Tacitus* ipſe ultro fatetur: *Solis Hermunduris* (verba ipſa annumero) *Romanorum Imperium patuiſſe*; lege quæ in *Tacito* ſequuntur; nimirum velut amici & fratres Populi Romani colebantur; *tanta erat nobiliſſimæ Gentis fortitudo*! Jam & *Marcomannorum* (quos in *Bohemia* habitâſſe meliores ſcriptores, ut poſtea docebimus, affirmant) præcipua gloria, ac vires; eorum virtus militaris, Romanos rerum Dominos multum exercuit, ac ſæpius Majeſtatem Imperij in grave diſcrimen adduxit. Fato tamen id non virtuti earum gentium adſcribebant Veteres Romani, meminíque legiſſe me in Romano ſcriptore: *Auguſtum Cæſarem* oraculo monitum: nimis irritabilem gentem eſſe, quæ trans Danubium habitaret, ab eáque exitium Romano Imperio imminere, ideóque eum ſemper ad Danubium ſtantes Exercitus & ad ejus ripam pro ſalute Italiæ excubantes aluiſſe. Vide quæ paulò ante attuli, cùm dicerem: *Romanis Albim tranſire fato negatum fuiſſe.* Obſervare tamen convenit, quod diligens author *Bodinus* obſervat: *Incredibile*, inquit, *eſt, verum tamen: Imperia verſus Auſtrum propagata ſemper fuiſſe, vix ab Auſtro verſus Septentriones: ſic Aſſyrij Chaldæos, Medi Aſſyrios, Græci Perſas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gothi Romanos, Turcæ Arabas, Tartari Turcas, fregerunt; at Romani ultra Danubium progredi noluerunt. Galli ab Anglis ſæpe victi, Angli verò à Scotis. Omitto Scytharum, Gothorum, Hun-*

Terent. in Eun.
Bohemi Veteres lõgævi.
Hermunduri quam Bohemiæ partem olim tenuerint.
Tacitus comment. de ſitu & moribus Germaniæ. ſine.
Vetuſti cultores Boij Bohemiæ.
Et Marcomanni.
Tacit. l. cit. V. l. 2. Miſcellan.
Romani transdanubianas gentes timuêre.
Bodin. in Methodo hiſtor. C. 5.
Quò magis Boreales Populi, eò plerumque fortiores.

Hunnorum, & cæterorum incursiones, sed infinitis ea res probari potest exemplis; atque illud est, quod Prophetæ toties ab Aquilone bella comminantur. paulò post, de ijs hoc intelligendum esse putat, *qui à gradu quadragesimo quinto, usque ad Septuagesimum quintum habitant, cæteros enim qui ultrà habitent, nimio frigore peruri.* Hæc *Bodini* verba sic accipienda puto, ut id sæpe factum, non semper fuisse, aut futurum credamus, cùm disciplina militiæ, præsens militum animus, quibus aut vincere, aut mori decretum sit, armorum genus, artes & doli militares, aliáque ejusmodi, duritiem illam corporum, si absint cætera, longè superent; probatúmque est proximis annis (nè ullam Gentem nominem) quæ post nos ad septentrionem porriguntur, cùm adest virtutis audacia, fœlicissimè vinci posse. Sagacissimè istud *Seneca* Stoicus in Veteribus & adhuc Barbaris Germanorum nationibus notavit, quæ etsi audaciores, & vitæ ultra omnes gentes prodigæ, tamen ex alijs caussis, & vel maximè ob belluinam quandam in bellis rabiem sæpissime à Romanis vincebantur. Digna notatu verba exscribam: *Germanis quid est animosiùs? quid ad incursum acriùs? quid armorum cupidiùs? quibus innascuntur, innutriuntúrque, quorum unica illis cura est, in alia negligentibus. quid induratius ad omnem patientiam?* (notent ait hoc loco *Lipsius* Germani in laudem suam, sed & in cautionem) *hos tamen Hispani, Gallique, & Asiæ, Syriæq; molles bello Viri, antequàm legio visatur, cædunt, ob nullam rem aliam opportunos, quàm ob iracundiam. Agedum, illis corporibus, illis animis delicias, luxum, opes* (olim) *ignorantibus, da rationem, da disciplinam; ut nihil ampliùs dicam, necesse erit nobis certè mores Romanos repetere.* Hæc igitur tantò antè in Germanis timebant *Romani*, quæ cùm isti adhibuissent, Romanum Imperium ad se traxerunt, hodiéq; in nostra gente consistit.

Seneca l. 1. de Ira C. xi.

Ira obnoxios hostibus milites facit.

Lips. Notis in Senecam.

(✠)

CAPUT VI.

De Montibus Gigantûm, quos Germani Risen-Gebürge vocant; à Bohemis deductâ à Græcis voce (κερκονόσσιοι ὄροι) Krkonošský Hory appellantur.

INter admiranda Telluris Bohemicæ reponuntur ab omnibus *Gigantûm montes*, qui Bohemiam à Silesia dispescunt; *Riphæi* passim à Scriptoribus appellantur, cujus nominis difficilis est ratio; aliqui existimant: *Riphæos* pro Gigantibus sumi, & nescio quem è *Centauris* aut Gigantibus *Riphæum* adducunt; non multum ab his abludunt, qui in ijs montibus portentosæ magnitudinis & pene Giganteæ proceritatis homines habitâsse scripserunt; *Schickfusius* Silesiticorum Annalium conditor tradit: cum *Czecho & Lecho* Slavorum Ducibus, *Riphæos Populos* Septentrionales, Riphæorum montium in Scythia accolas, in has oras venisse, & *Hermundurorum* desertas terras (ad fontes *Albis*) occupâsse, à quibus ipsi *Montes Riphæi* sunt appellati; alij simpliciùs *Riphæos montes* ab illis alteris, Scythiæ montibus nomen accepisse, quòd *Riphæum gelu*, frigoribus, pruinis & ventis, & cacuminibus ad multam usque æstatem nive contectis imitentur; unde etiam

Montes Gigantũ cur appellentur Riphæi.

Schickfus. l. 1. hist. Silesit. C. 6. & l. 4. C. 3.

etiam passim à Silesijs das Schnee Gebürge, id est *Montes nivosi* nuncupentur. utut sit, *Bohemicos montes*, tum *Silesij*, tum *Lusatij*, & *Misnij*, tum *Saxones* appellant: quòd videlicet major eorum montium pars (ut Geometrâ, & mensore regni Bohemię referente didici) Bohemiæ finibus includatur; *Curæi* Silesiæ historici verba sunt: *Montes Gigantæi*, inquit, *aut potiùs Riphæi absunt paucis milliaribus à finibus Silesiæ*.

Curæus in Annal. Siles. init.

Decem non minùs abierunt anni, cùm amicissimum & Reverendum admodùm Virum *Maximum Steiner*, non procul *Welsio* Civitate Superioris Austriæ *Curatum* inviserem, ejúsque Viri doctissimi illustrem Bibliothecam multis millibus comparatam inspicerem, memini vidisse me recèns tum Typis editum Libellum (Lipsiæ nisì fallor, aut Noribergæ) cum titulo *De Montibus Gigantûm Bohemicis*; quo libello Auctor, omnia quæ de his Montibus audierat, diligenter complexus est, tum de *spectro* quo infestantur, multis, unde illud & quale sit, disputavit, non est nunc ad manum, neque posthac unquam librum illum videre contigit, sed nihil singulare (quantum meminisse possum) præter exempla Spectrorum adferebat; Ego rarissima quædam, & in vulgus ignota narrabo, quæ aut ex arcanis libellis excerpsi, aut ab oculatis & fide dignis testibus didici, pauca quæ *Schickfusius* ex libro *Caspari Schvvenckfeldij* hæresiarchæ, quem de *Thermis Hirschfeldensibus* edidit (*Thermæ enim Hirschfeldenses* ad radices illorum montium erumpunt) descripsit, attingam.

Historia istorū Montium Typis edita, quid potissimùm contineat.

§ I.

Quæ res præcipuè de his Montibus memoratu dignæ videantur.

PRincipiò tribus maximè rebus *Cerconossij Montes* celebrantur: *significatione* & prognosticis omnium tempestatum, *Raritate herbarum, Lapidum & Gemmarum*, ac denique *Spectro mirabili*, quod Incolæ *Ribenzall* appellant. De *significatione* tempestatum minuta nolo persequi, sed pro confesso habetur, quantumcunque serenissima & illimis dies rutilet, Sol formosissimus, Cœlum innube, si *Cerconossij* fument, non sic abituram illam diem, quin statim pluviæ aliæque Cœli injuriæ consequantur; imò adeo ex fumi, & exhalationum tristi colore, ac multitudine imminentium aut nascentium nubium, eorúmque altitudine, pronissimum est conjicere, quid Regiones subjectæ aut sperare aut timere possint; sic ut rustici ætatis maximæ, solâ illorum montium vespertinâ aut matutinâ observatione, omnem œconomiam, & labores rusticos auspicentur, aut prosequantur, aut abrumpant. Quia verò *Bohemia Silesiâ* longè altior est, fit, ut *Montes Gigantûm* longè minores appareant Bohemis, ac ferè tantùm ex *Boleslaviensi & Reginohradecensi* Districtibus spectentur; contrà verò in Silesia longè eminentiores & spectabiliores evadant; itáque fit, ut ab istis, quàm ab illis observentur magìs, ideóque à *Silesijs Compassum Bohemicum*, aut Indices temporis appellantur. De *herbis & gemmis* (quod alterum & tertium erat caput) aliqua antè dixi: harum rerum gratiâ hodiéq; ab Italia viros & mulieres cumulatim huc properantes vidimus & videmus: *Topasios*, *Amethystos*, *Crystallos*, *Jaspides*, *Corneolos*, *Sapphiros*, *Turcosas*, aliáque gemmarum genera copiosè in his montibus provenire testatur *Anselmus*; qua de re in tractatu de *Gemmis multa*.

Ex Montibus Giganteis præsagia tempestatum petuntur.

Montes Gigantæi cur ex Bohemia aspicientibus minores videantur.

Ansel. Boëtius Brugensis L. 2. de Gemmis C. 12.

§. II.

§. II.

Descriptio Montium ex narratione Itali Mercatoris, & explicatione nostra.

Veneti Mercatoris per hos Montes itinera.

CElebris est, & à *Schvvenchfeldio* & Schickfusio tradita de *Veneto* quodam narratio; is Anno 1456. duobus paris animi, & audaciæ comitibus stipatus, comparatâ in octiduum annonâ, sociisque omni telorum genere instructis Montes illos & valles permeare, & penetrare constituit; sudo & serenissimo Cælo ingressus est iter, ac primùm vallem, Riesengrundt dictam (habent enim apud peritos sua nomina) diversis viarum anfractibus & ambagibus intravit. In ea valle *pratum* se invenisse narrabat, virore lætissimum, in cujus umbilico grande Saxum biceps surgebat; cavum saxi illius, quà meridiem spectat, primùm subiens, modicè tentatâ fossionibus tellure, purissima auri grana quàm plurima, pisis majora, quædam etiam nucis juglandis magnitudinem superantia lætus effodit, quæ omnia ipso Italo narrante, Majores nostri didicerunt, & consignavêre litteris. Obitâ *Valle Gigantûm*, cùm nihil ampliùs ex quo ditescere possent, appareret, in alteram Vallem Aupengrundt conatu perdifficili, altero alterum, ut poterant, adjuvante, dimittunt sese; repertæ ibi sunt in prato aliquot hominum calvariæ, ac ossa humana cætera, eorum videlicet (ut conjici potest) qui commeatibus & cibarijs malè instructi, cùm aberrâssent & viam expedire non possent, fame interierunt, non siti; aqua enim in vallibus illis suppetit abundanter, multis per ea loca fluvijs nascentibus; ut *Albi* quem ex undecim fontibus oriri proditum est (unde Fabricius *Elb* quasi *Elff* à numero fontium nomen accepisse fabulatur) ut *Giserâ* duplici, majore & minore, quorum prior in solo Silesitico, *minor* in Bohemico erumpit, ac uterque in Bohemiam effunditur, ut *Nießâ* (qui per *Lusatiam* superiorem, & inferiorem labens post *Croßnam* in *Oderam*, atque inde in Mare decidit) ut *Polsniciâ*, rursus duplici (quorum alter in ipsis Bohemiæ limitibus *Albi* conjungitur, alter in *Silesiam* ad *Strigam* descendit) ut *Steinâ* (qui post Glacium alteri *Nissæ* sociatus, tandem post errores varios in *Oderam* influens, devoratur) ut *Boberum*, ut *Metuge*, ut *Wittigonem*, *Zackenum*, *Wistricium* plurésque alios prætercam, qui omnes *Riphæis* hisce montibus suam debent originem; duos quoque ad Giganteos illos montes, immensæ profunditatis *Lacus* latè jacentes in sua *Silesiographia* describit *Henelius*; sed nos in vallem nostram relabamur: hominum fame illâ sonticâ consumtorum flaccidas, & vetustate nimiâ corruptas vestes excussit *Venetus* noster, & non paucos miræ venustatis & pretij lapillos, quos illi sibi collegerant, excepit. Itum deinde ad *Zackeni* pratum non procul ab origine fluvij; hîc sub petris altissimis ingentes effossæ divitiæ, auri purissimi & defæcatissimi grana multa justi ponderis, & propiùs ad *Zackenum*, *Amethysti*, *Topasij*, *Smaragdi*, *Chalcedonij*, aliæq; gemmæ non vulgares collectæ; inter hæc narrabat, obturbâsse sibi, simulacris varijs assumptis *Dæmonem* (de quo paulò post) & laborem fossionis impedire voluisse, at se omnia insuper habuisse, dum gemmas legeret, & quasi nihil videret, laborem perpetuâsse. Ita multis onusti & onerati copijs *Veneti* (quas Incolis ostendebant) domum in Italiam abiêre; nec tantum animi quocunque successu invitante habent Incolæ, ut sequantur, cùm *Spectrum* illud, ut ipsi falsò credunt, plurimis collum obtorserit.

Quinã fluvij his Montibus originẽ debeant. *Fabr. in Misnicis, seu Annalib. Urbis Misnæ.*

Henel. in Silesiograph. C.3.

Dæmon cõtemtu tutissimè pellitur.



§ III.

Ulterior Cerconoſſiorum deſcriptio.

De Vallib⁹ montiũ Giganteorũ.

PORrò plurimæ aliæ Valles ſuis diſcretæ nominibus, pretioſa pericula continentes celebrantur: Riſengrundt / Aupengrundt (quas paulò antè nominavi) Teüffels-grundt (vallis Dæmonis) Goldtgrundt (aurea vallis) Mittagsgrub (Meridionalis vallis) Mummelgrundt (hæc poſtrema feraciſſima eſt Metallorum, quæ commixta gignuntur; éſtq; notior cæteris, quòd in aditu montium prima ſe offert, in ea aurum & gemmæ lavantur, & ſeparantur) tum *Iſeræ* pratum, *Zackenæ* pratum, aliáque ignotiora; omnium profundiſſimæ & maximè depreſſæ valles ſunt *Nivoſi Montis* (Schneeberg) tres numero, ob nives altiſſimas vix adeundæ, alioquin omnium ditiſſimæ; rarò evenit niſi maximâ ſiccitate ut nives liqueſcant; quod tempus curioſè Veneti obſervant. Vidi ipſe, cùm ex *Niems* ſeu *Mimone*, *Zittaviam Luſatiæ* Urbem iter haberem, *Valles montis Nivoſi* calidiſſimo anni tempore, caniculâ in Cœlo latrante, altiſſimis nivibus prorſus obſitas, eáſq; ab uno alteróve Milliario optico tubo viſum adjuvante, diu ſum contemplatus, ulteriora videre non potui, cùm tempus non ſineret. *Nivoſus Mons* Schneeberg abruptiſſimus procul in præceps patet; in ejus cacumine ſæpe humanâ ſpecie *Spectrum* illud ſedere, & pedibus ſupra præcipitium montis poſitis plaudere, & micare, ut ſic dicam, & argutari pedibus, tum clamores terrificos edere, nullo tamen vocis flexu, ſed uno tantùm tenore vociferari, Incolæ qui me comitabantur, narrabant, ſimúlqe ſedile illud horridum digitis oſtendebant. Idoneos imò & Religioſos in hoc Authores poſſum adducere, qui ſe *annorum ſexdecim Nives* in valle, ubi *Gizera* oritur, vidiſſe, earúmque nivium colore diſcrimen notâſſe, mihi confirmabant; vetuſtiſſimæ, coloris erant ſubrufi, nitidiores recentiores, pallidiùs ſemper lucebant, quæ antiquiores fuiſſent, eáſque ſexdecies replicatas ſe numerâſſe. Sed ad Simulacrum illud hominis quod in hos montes dominari videtur, veniamus.

Mons nivoſus Dæmoni ſedem præbet.

§ IV.

Quid illud Spectri ſit, quod in his montibus regnat, atque unde nomen Ribenzall natum eſſe videatur, & quædam de eo miræ narrationes.

Sententiæ virorum doctorum, de Spectro in montib⁹ Giganteis apparente.

INter Authores parum convenit, quid illud *Spectri* ſit, aut unde nomenclatio *Ribenzall* (ita enim ferè vocatur) petita. Quidam aſſerunt: *Dæmonem* qui corpus humanum occupârat, ſacris Eccleſiæ Cerimonijs & carminibus pulſum, in hos montes à Sacerdote Religioſo relegatum nè amplius noceret, quòd crederet eos Montes à nemine inhabitari; ajunt id factum in Comitatu *Ruſſilionenſi*, quem Hiſpani æquè ac Galli *Ronzevvall* appellant, hinc vocem eſſe paulùm detortam vulgúmque, ut amat fieri, ex *Ronſevall*, errando *Ribenzall* appellâſſe; *Montanus* Chymicus magni inter *Sileſios* nominis, qui *Strigæ* non ita ab his Montibus procul, Medicinam faciebat, tradit: quendam ex illuſtri apud Gallos familia, cui *Ronſevall* nomen fuerit, hominem profundâ avaritiâ, & opum ſitientiſſimum, dum vita manebat, DEO pœnas ſumente ejectum in hos montes, ut theſauros ſervaret; huic ſententiæ aliquâ parte ſubſcribere videbatur probatiſſimæ Sanctimoniæ Vir *Martinus Stredonius* è Societate *JESU*, qui dicere ſolebat

(quod ipse ex eo audivi) sibi semper videri, non aliquem malum Dæmonem, sed animam potiùs humanam à corpore separatam, Montes illos incolere; satis esse argumenti, quòd nihil unquam injuriæ obvijs inferret, neque aliquid ex quo Divinum Numen possit offendi, moliretur, aut procuraret; abhorrere istos mores à pravis Dæmonibus, quibus, ut ait *Synesius*: *calamitates populorum, convivia sunt*; Exemplo esse desertas arces, domos, silvas, nemora, in quibus non tantùm Dæmones, sed sæpius Manes, & Defunctorum animas hospitari plurimis documentis sit cognitum, ut de *Alba Domina* (quam vocant) *Novædomi & Crumlovij*, tum in *Arce Perenstein* formosa Virgine, aliisque ejusmodi Animarum Spectris *Chanovvsky & Tannerus* nostri commemorant. Sunt qui existiment vetere Gallorum linguâ *Roy de Valle spectrum* hoc appellari, id est, *Regem Vallis*, quòd *Vallem* potissimùm *Dæmonis* dictam, occupet, idque nomen Montis accolas corrupisse. Ego facilè adducor, ut credam ex *Ronzevall* nomen *Ribenzall* nasci potuisse, & perperam ab ignaris rusticis efferri; at unde ipsum *Ronczeval* natum esse dicemus? quid si imitatione *Hammelensium*? nota est fabula, seu historia de Hammelensibus pueris, quos in montem quendam simplicitate puerili abusus Dæmon abduxit. Vide *Cosmographiam Munsteri*, aliósque Germanicarum rerum Scriptores; id verò quidquid est Spectri, *Ronzevall* quoque dicebatur, ut tradidit *Theobaldus*; quis igitur vetat, quin ab illis Montibus qui Rammelsgebürg appellantur, fossores & Metallarij, vocabulum ad nostros *Cerconossios* transferre potuerint, vel ipsâ similitudine gestorum caussam præbente? cùm & hospes iste, ut *Hammelensis* ille, formas se vertat in omnes, & modò *Monachi* cucullum induat, modò fossorum habitu, modò venatorem repræsentet, modò decrepitum, & vix cubitalem senem barbâ humum verrente, modò etiam *Equi* indomiti, modò bufonis maximi & fœdissimi, modò Galli gallinacei, modò Corvi insidiantis specie viatoribus offeratur; idq; tum præcipuè facere traditur, cùm læsus, vel risu contemtus indignatur, alioquin humanâ se offert imagine, colloquijs humanis oblectatur, comiter monstrat viam, multa etiam arcana Naturæ, quæ in montibus illis reperiri fatetur, docet, sæpe etiam radices & munera hujusmodi offert, nec sese nisi verbo, vel injuriâ provocatus ulciscitur. *Ribenzall* vel *Ronzevval* nomen sibi imponi, ferre non potest, sed *Custos Thesaurorum* gaudet appellari, illoque *gazophylacis* nomine se jactat & gloriatur. At offensus & cachinno priùs, aut maledicto provocatus, statim monstrosâ Imagine assumptâ conterret, & cœlum confundit; emicant continuò fulgetra, & fulmina, pluviæ, imbres, intolerabile frigus, & vel mediâ æstate hiemes sæviunt, *nivésq; deducunt Jovem.* Hujusmodi exemplis plena est omnis illa vicinia, nemo tamen unquam dicere potuit, aut nominare hominem ab hoc *Spectro* vulneratum, minùs interemptum; ultionem scilicet intra terrorem & ludibria continet, naturâ benignus, aut altiori potestate impeditus, quæ eum ut cæteros Dæmones furere, & rabire non permittat. Audivi Religiosos è Societate nostra Viros, qui cùm hostem Svecum ex *Collegio Giczinensi* fugerent, & per hos montes velut tutissimos, in fuga iter facerent, obvium habuisse *Venatorem* ardentibus oculis, nullo aliàs indicio; qui cùm humaniter ultro appellasset, & quò pedes? rogasset, statim errare illos (ut revera fuit) dixit, & suo ductu errorem jussit corrigere, ac sequi; tum brevi & certo calle, promptissimè eduxit, ut cùm se intra altissimos Montes crederent, jam *Silesiam* illis ostenderit, & semitam quam tenere semper oporteret, descripsit; multa inter collo-

Margin notes: ...ons nivo Dæmo... sedem ...ebet. — *In Vestig. Boh. Pie.* — *Theobald. in Arcanis Naturæ sect. 21.* — Metamorphoses spectri Gigant: — Ribenzall nomen suum odit. — Historia de spectro illo religiosis testibus approbata.

loquendum *Venator* quærebat, cúmque de Thesauro, seu argentea Templi supellectile mentio injecta fuisset, prodidit continuò locum, ubi absconderat Ecclesiæ Præfectus, dixítq; non esse illum satis tutum locum, cui fidere possent, hostes tamen locum non reperturos, atque ita feliciter irent, optavit, multa cum significatione honoris; Suspicionem *Ribenzallensis spectri* illud maximè Socijs fecit, quòd subitò cum ductori gratias agere vellent, subduxerit sese, atque ex oculis sit amissus. At contrà malè malis, & quibus mala mens, malus animus fuit, malam etiam fortuna se præstitit: ante non multos annos, (narrat ex *Schvvenckfeldio Schickfusius*) Fossores quosdam montanos (quod genus superstitionibus & dæmonum familiaritate quàm maxime gaudet) sociasse consilia, & ad hos montes properasse, nihil certius quàm thesauros somniantes, quos se evocatis Dæmonibus (ut erant magicorum carminum & institutorum periti) reperturos & domum relaturos credebant. Ab *Occidua* Cæli parte (quod etiam fortè ad superstitionem pertinuit) montes ingressi per Montem qui *Fintzberg* dictus est, in Gigantûm Vallem descendunt; capto statim loco, prolatis, quæ scelerata ars poscit, rebúsque omnibus instructis, *circulum* describunt; vix murmurare cœperant, offert se aspectabilem *Ronzevallius* terribili aspectu, & lineas omnes confundit; tum, ut iratum intelligeres, sublimè elatus, tanto strepitu & fragore in subjectos intonuit, ut propè exanimati terroribus, non Cœlum sibi tantùm, sed ipsam terram sub pedibus discedere, ac perire existimarent; secuta sunt fulmina, fulgura, grandines, venti, ad extremum etiam Nives deciderunt tam copiosæ, ut naturam omnem commovisse ab imo videretur. Illi pavidi circumspectare sese, & quia tota erat in reditu salus, redirent quàm primùm pro se quisque monebant, & hortabantur cessantes, sed confusa erant vestigia, & immemores locorum huc, atque illuc ferebantur incerti, dum tandem tertio die per devia, & invia (quo toto tempore diu noctúq; horribilis illa tempestas desævijt) in certo gradu consisterent. Satis constat non paucos ex ijs, quos dixi, fossoribus, hiemis illius sævitiâ, pedibus frigore adustis, longam *Ribenzallij* circumtulisse memoriam.

Schwenckfeld. lib. de Thermis Hirspergensibus.

Iter quorũdam fossorum adMõtes Gigantæos infeliciter expeditum.

§ V.

De Herbis & quibusdam Stirpibus hîc nascentibus.

IN hisce Montibus saluberrimas herbas oriri *Mathiolus* quoque in *Herbario* suo (quod *Commotovij* in Bohemia scripsit) notavit; *Huberus* ejus Libri Bohemicus interpres idem de *Cerconoßijs* affirmat, ac de nomine laudat *Serpentariam*, *Caryophyllatam* prorsus alijs ejus nominis herbis præstantiorem (quæ l. 4. c. 23. describitur) eámque lætissimè & copiosissimè in his Montibus provenire, tum *Ericam Bacciferam*, *herbam Gentianam*, *radicem Rhodiam*, *Angelicam duplicem*, *Asterem Atticum*, *Crocum* & hujusmodi plures herbas, quas dum de floribus & herbis agendum erit, adferemus.

Huberus Præfat inMathiolum.

Præcipuæ bonitatis herbæ in his Montibus enumerantur.

Mathiolus in herbar: C.38.

Fide dignissimum hominem nuper reperi, herbariæ seu ut vocant, botanicæ rei & medicationis perstudiosum inprimis, & percallentem; qui in scripto (quod à me rogatus de montibus Giganteis, à se ter omnino peragratis, confecit) sanctè affirmat: se in rupibus illis, *Angelicam* defregisse potiùs manu suâ, quàm decerpsisse, aut eruisse; nam altitudine hominis staturam, crassitudine humanum brachium longè superabat; testem adduxit *Civem Pragensem* virum honestum,

qui

qui radicem illam & herbam ab illo *Pragam* allatam, viderat, & manibus tractârat. Vidit idem ille in montibus *Cerconoßijs*, & collegit *Serpentariam*, *Anthoram* utriusque sexûs, *Napellum* ultra modum, ut ille loquitur, *galeatum*, *Gentianam & Sabinam* ingenti proceritate, *Carlinam* quoque seu *Chamæleontem album* Bohemis *Pupavam* (etsi eam nonnisi in æstuosissimis regionibus nasci, & totam Germaniam eâ carere *Mathiolus* disertè affir- (*Math. l. cit.*) met) tum alias peregrinas, & alibi nunquam à se visas plantas, herbas, & flores. Addit: omnes propè quas ibi agnoverit (ut est herbarum peritissimus) geminas ibi se deprehendisse, ut internosci sexus herbarum posset; deinde omnes hasce montanas, magnitudine, vi & efficacitate eminere, & hortenses nostras ac cæteras quæ in planis regionibus nascuntur, pumilas & imbecillas videri, si cum hisce *Giganteis* stirpibus & plantis conferantur.

§ VI.

De Itinerarijs Giganteorum Montium, déq; eorum locorum admirabilibus ex auro & gemmarum copia, divitijs; quæ nostrâ etiam sententiâ confirmantur.

POstquam hæc omnia de Giganteis Montibus scripseram, en adest Amicus (qui se nominari non patitur hoc loco) & libellum offert tenuissimo & antiquissimo scripturæ genere, lectu difficillimum, lingvâ Tevtonicâ, mole exiguum, sed rerum pretiosissimarum indicibus, quæ in his Montibus reperiantur, & ubi illæ quærendæ sint, confertum. Deus immortalis! quæ ibi non legi? nihil sunt omnes cæteræ per *Bohemiam aurifodinæ*, nihil gemmæ, uniones, lapides, nihil rivi, nihil flumina aurea, si cum Gigantûm Montibus conferantur! sunt Tractatus diversorum Authorum facilè octo, *Petri Thomæ*, *Martini Prausij*, *Gentilaneri Veneti*, ac (Libelli Mõtium octo.) plurium, quos tamen unus aliquis ex Italorum, qui in ijs locis diu versati sunt, certissimis narrationibus, & propriâ experientiâ in hunc librum congessit, is se ficto nomine *Sagittanderum* appellat; *Silesiæ*, *Poloniæ*, *Moraviæ*, *Bohemiæ* auriferos montes enumerat, sed præcipuè *Giganteos* nostros tam luculentè describit, ut cùm legeris, valles omnes, arbores & saxa videre & manu tenere te putes: octo dierum cibaria præparari jubet, duos, trésve socios imperterritos ad pericu- (Documenta & monita itineris ad Montes.) la, & sibi inter se fidos, & amicos, quódque maximè commendat, concordes eligi; occursura monstra prædicit, sed silentio superandum monet timorem, nihil enim posse in bonos; jubet mentem, ut noxâ omni careat, emundari priùs; nullius atrocis criminis, nè quidem designati, sibi conscium esse, neque affectu quocunque violento impelli, ac trahi; tandem plures aditus ad Giganteos Montes ostendere, & ex pagis locísque vicinis, maximè *Hirspergâ*, ducentes vias aperire aggreditur, tam solerti diligentiâ, ut si hunc solum libellum manu teneat peregrinus, aberrare non possit, certissimóque ad venas auri sit perventurus. Designationes potissimùm ex quatuor Cœli plagis, ex silvis, figurâ montium, saxis grandioribus, pratis ac rivis occurrentibus petuntur; sæpe passus numerantur, tum rupes & in ijs cavernæ; lapides certis figuris incisi, arborum etiam species, quæ indicium facturæ sint, nominantur. Credo facilè quadraginta, vel sexaginta aurifodinas ditissimas, & pretium provinciarum, ut ipse affirmat, æquantes, & quæ universum Regnum ditare possint, annotari; tum rivulos ac fontes, in quibus aurum maximo numero (pi-

(pisorum aliquando, aliàs etiam ovorum columbinorum magnitudine) crescat, ac colligi possit, recenset idque in Giganteis istis nostris montibus ab *Hirsperga* inchoando iter usquè ad interiorem *Bohemiam*. *Auri* deinde diversas species persequitur, quas omnes in fodinis illis distingvit; postea gemmas ac fodinas gemmarum consignat, videlicet fodinas *Rubinorum*, *Granatorum*, *Jaspidum*, *Amethystorum*, *Topaziorum*, & ubi albi *Sapphiri* delitescant; potiores divitiæ istorum montium ex *auro* constant, tum ex gemmis secundæ, minimæ omnium ex argento; in summa mirari subit: eam in Patria hactenus negligentiam fuisse, ut nullam ipsi opum, quæ facillimè colligi possunt (cùm vix ullæ istorum montium fodinæ, ut ipsimet Itali affirmant sex ulnas profunditate superent) curam susceperint, maluerintque alios ditari, quàm suos; hoc illud est quod in sacris literis legimus: *comederunt alieni robur ejus, & ignoravit*; tot commeantibus quotannis ab Italia, aurúmq; & gemmas, ut constat, herbarum prætextu efferentibus; optarem ejus libri copiam fieri ijs, qui Regia commoda procurant in Patria, neque temere alienigenas in montibus his vagari sinere. Idem iste montium descriptor aliquot in locis innuit, irridétque *Bohemorum*, *Moravorum*, *Polonorum & Silesiorum* negligentiam & cessationem; narrat eousque exterorum hominum priore sæculo audaciam processisse & procedere, ut sibi fodinas in montibus istis dividant, quas alijs tentare non liceat; *Gentilanerum Italum* hominem, fodinas in *Moravicis* montibus coluisse, nullo nisi Italicis suis scientibus & ad maximas in Patria opes pervenisse; adjicit has clandestinas fossiones Exterorum, sine dubio aliquam injuriam continere, & hypocrisin quandam nummariam, mirarique se, ac diu id non futurum prædicit, quin tota res prodatur Regibus, & in apertum efferatur. Hæc ille. Quæ ejus vaticinatio nondum (ut videmus) finem accepit. Tantarum opum gazæ, de qua nunc egimus, in montibus Giganteis, fidem adstruit, & omnia firmat universæ Bohemicæ antiquitatis sensus, pretia Regnorum à spectro illo servari asserentium, notúmque est Bohemorum proverbium, quod etiam Itali usurpant: in *Bohemia* (*Vysokam* potissimùm nominant, est pagus situs in radicibus Giganteorum montium) *ad Vysokam pastores vaccas lapidibus incessere, qui vaccis ipsis sint pretiosiores.* Nec illud est de nihilo, pagos quàm plurimos in illa montium vicinia *Seüffen* appellari: *Hermansseüff*, *Brunseüff*, aliáque hujusmodi villarum & pagorum nomina, quæ nihil aliud apud peritos significant, quàm lotionem, cùm scilicet aurum lavatur, quod artem certam continet, ídque agere lavando, Seüffen illi dicebant; unde Hermanseüff, exempli gratiâ, locum significat, ubi primitus *Hermannus* aliquis auri lavandi Officinam statuisset, Brunseüff, ubi Bruno aliquis aurum ab arena separabat, aut ubi in fonte aurum lavaretur; idémque est de reliquis, quæ pari nomine gaudent, judicium; tum propè stat Arx olim invicta *Schatzler*, quam à Thesauris asservandis dictam, nemo Germanorum erit, qui dubitet. Mea conjectura est: *Hermunduros* veteres, quos ad *Albis* fontes consedisse inter Authores constat, non vanè hunc sibi legisse locum, neque otiosos in auro quærendo fuisse; ab ijs igitur illa pagorum & villarum nomina ortum & nomen habent; sed ad scriptores nostros, quos initio citaveram, redeamus: additus est in fine Tractatus, cui fictus ille *Sagittanderus* titulum fecit: de *Conjecturis montanis*, ubi ex intima artis illius metallicæ scientia probat: montes *Poloniæ* utriusque, tum *Bohemiæ*, *Moraviæ*, ac præsertim *Silesiæ*

Montes Gigantûm auri præcipuè sunt feraces.

Itali ex mõtibus Gigãteis ditati.

Paulus Aretinus in Tabula Bohemiæ.

Pagi ab auri lotione nomen trahentes.

Tacit. commet. de Germania.

Panckerot.

Aliud iter ad montes aperitur.

siæ auro & gemmis pretiosis ad miraculum abundare, enumerátque iterum innumera loca in quibus aurum & gemmæ excrescant; sed hæc si vera sunt, nisi ijs, ad quos summa rerum spectat, publicanda non censeo.

§. VII.

De Itinerario Joannis Majer Augustani, déque alia quadam Descriptione Montium istorum ab Amico homine, qui ea loca sæpius peragravit, in gratiam mei confecta.

VEnit in manus meas alius quoq; libellus, authore quodam *Joanne Majer Augustano* olim mercatore, qui cùm ære alieno oppressus, inter ærarios relatus, Patriámque, & Conjugem, ac parvos liberos deserere coactus esset, consilio senis cujusdam Itali usus, ad Montes *Cerconossios* profectionem suscepit, & indicatis ab eodem Sene auri, & gemmarum fodinis, feliciterque inventis, pristinas opes, quæ ad octo millia ascenderant, recuperavit, & se Patriæ, Collegióque Mercatorum reddidit. Recitat igitur totum iter à *Thermis Hirspergensibus* sursum ad montes Giganteos per pagum *Hermersdorff* (quem ego ab *Hermunduris* accepisse nomen suspicor) sub *Kinast* jacentem; & ex eo in *Weckersdorff*, in pagellum *Schreiberska*, & ab hoc in *Montem nigrum* appellatum, ante quem *pinus* ingens multis notis (quas indicat ex ordine) incisa sit occursura; pergit deinde complures rivulos, in quibus aurei globuli volvantur, recensere, eósque partim apertos & Soli expositos, partim musco opertos, & tacitè subter labentes, signis omnibus & passibus enumeratis, ubi aurum obryzum aliquando pisi magnitudine à metallorum perito colligi possit. Mirabilis prorsus ibi est narratio de *Antro*, cujus aditum lapis perforatus obtegat, in quod foramen vecte immisso, emoveatur lapis & pateat antrum, in quo maximæ sint opes auri repositæ. Magis mira est de *Subterranea Cruce* narratio, ubi auri tanta sit feracitas, quanta paucis in locis: docet Scriptor clausas esse fores, at simul indicat saxum, sub quo clavis reperiatur; de hac *Cruce* (mirâ concordiâ) omnes qui de *Cerconossijs* egerunt, faciunt mentionem, & in omnibus rebus indicandis conveniunt. Narrat deinde Author antè laudatus *Joannes Majer*, aliquas *Spectri* illius Gigantei, sese ut *Protheum* in varias formas vertentis metamorphoses: aliquando ut *Monachum* cinerei coloris habitum indui, testudinem musicam tenere, tantâ vi chordas ferire, ut terra subtus tremere videatur; efferri aliquando volatu, super altissimarum arborum cacumina, mox testudinem abjicere cum tonitru; aliàs corripere arbores turbine, & in gyrum rotare cum fragore, & tristitiâ quadam totius naturæ; aliàs *Hirci peregrini*, & nostro orbi ignoti formam assumere, aut alterius monstri similem fieri, ac modò flammarum globos faucibus ejectare, modò aquarum flumen ore profundere in Aurilegos, modò ascendentes arcere fulminibus; sed addit: hæc omnia esse oculorum ludibria, quibus arte suâ illudat, ac proinde nihil pertimescenda; & si nihil moveâre, sponte ad priorem statum omnia reditura, nullo damno relicto. Pro coronide libri enumerantur quidam rivi aureas arenas vehentes ad *Kinast*, ad *Hermersdorff*, & de Saxo *Mannstein*, ubi fabarum instar repertum sit aurum, déque alijs eorum locorum divitijs. Hæc ex *Joannis Majeri Manuscripto.*

Aliud ad *Montes Giganteos Itinerarium*, mansionibus omnibus *Pragâ* usque ad apices & crateras illorum montium

[Margin notes: Paulus Areti- us in Tabula Bohemiæ. — Panckerot. — Pagi ab auri lotione nomen trahentes. — Aliud iter ad montes aperitur. — Cit. commēt. Germania. — Spectrum aspectabile in Montib. Gigantum formas se vertit in omnes. — Descriptio horum Mōtium ab homine Amico.]

tium (nam aliquid crateribus simile in summo repræsentant) consignatis, ab homine Amico (qui ea loca adierat) conscriptum summâ fide, mihíque oblatum diligenter servo. Mentio in eo *Itinerario* fit antiquarum fodinarum auri, quæ nunc obcæcatæ & desertæ jaceant; *Vitriariæ* cujusdam officinæ, ubi videlicet *vitrum* conficiatur (*Huti Rokytnice* à Majoribus appellatam invenio) tum villæ cujusdam, quam *Vetulæ* discerpserint; deinde commemoratur, quàm ibi nivosæ hiemes regnent; casas omnes & villas nivibus contegi ad summum sic, ut culmina vix apparere possint; commendantur præcipuè ex montibus duo, quos *Craterum* instar aut *Tympanorum* conformârit Natura; ad alterius *Crateris* radices fluere aqvulas limpidissimas, ponè *Crateris* labium supernè jacere lapidem, ut sepulchrales esse solent, aptissimum ad sedendum & capiendam quietem, longum orgyias duas, latum dimidiam orgyiam. Non procul abinde cumulum esse confertissimũ multorum millium lapidum sectorum, aut sectis lapidibus persimilium, portarum magnitudine. Ab illo, de quo dixi lapide, *Hirschbergam* viam aperiri, quæ est unica; nam cætera omnia dextrâ & sinistrâ parte inaccessis rupibus & petris, & grandium saxorum ruinis defendi. *Vallem* quandam lætissimam monti subesse, unde mirifici & gratissimi variorum florum odores efflentur, eâ se voluptate delinitum recreari, & novam quandam animam trahere sibi visum esse. In eadem Valle aquas purissimas *Crystalli* instar lucentes fluere, ibidémq; pasci armenta plurima, quæ vicini pagi in hanc vallem mittant. *Herbas* illas tam raras, támque salutares Lac innocentissimum gregibus & armentis præstare; unde & caseus conficiatur gratissimi saporis, & primæ per eam viciniam authoritatis. Porrò *Craterem alterum* tentatum jam pridem esse fossionibus, & in ejus visceribus aurum quæsitum; ejus rei indicium præbere fossas, quas manu factas esse constet, in earum aliquam se ingressum, glebas lapidum extulisse, qui semina quædam metallorum, ac potissimùm *cupri* continerent. Ab hoc *Cratere* multas esse vias, tum *Hirschbergam*, tum in *Gabel*, tum in alia loca ducentes; ipsos verò montes ad multa milliaria porrigi, nec sine periculo nisi cum socijs pluribus, ob nequitiam illorum hominum, qui ea incolunt loca, atque etiam ob *Venatores Kinastianos*, adiri posse. Hæc est summa Narrationum de *Montibus Giganteis*; quid ipse sentiam, quid probem, quid sequar, non addo; penes Lectoris arbitrium relinquo.

§. VIII.

Status Cerconossiorum, & aliorum Montium Rudolpho secundo in Bohemia Regnante.

Rudolphi II. diligentia in Fodinis colendis.

MAximum Admiratorem & Amatorem gemmarum *Rudolphum* secundum *Cæsarem* fuisse constat inter omnes, & Cap. XXXV. hujus Libri probabimus; itaque sagaciter sæpius scrutatus sum, quæ potui, pervestigavi omnia, ut rescirem, qualem se in hoc gemmeo & aureo negotio gesserit Curiosissimus, & cujusvis generis Metallorum, & Gemmarum maximè Intelligens Imperator: nam si ille *Cerconossios* negligeret, satis potens argumentum haberemus, non esse id quod de ijs dicitur, montium illorum uteros auro, gemmísque gravari; tandem omnia rimando, comperi: *Rudolphum Cæsarem* jam ab initio Regni sui nihil quæsivisse magis, quàm ut in *Bohemia*, præsertim in *Gigantûm Montibus*, Aurum, Ar-

Argentum, Metalla & Gemmæ investigarentur; omnibus Comitijs admonitu Cæsaris inculcatur, ut *Incolæ Regni Bohemiæ* diligenter explorent, ubi quid pretiosum in *Tellure Bohemica* delitescat, libertas quærendi datur omnibus, & præmia maxima inventoribus decernuntur. Anno 1585. Inter *Cæsarem & Regni Ordines* conventum: ut ubicunq; locorum, aurum, argentum, & cætera metalla impune quæsita & reperta fuerint, fundi Dominus certâ pensione, juxta leges montium acceptâ, si ipse fodinas excolere nolit, Regios Operarios laborantes non turbet, sed adjuvet. Eadem cura de antiquis fodinis *Rudolpho* imperante fuit: mittuntur frequenter ex Comitijs *Cuttenbergam, Jochemsthaliū, Cninum, Przibramum, Crupnam*, aliáque in loca, qui statum fodinarum examinent, intelligant, & quid desideretur, quidve corrigi possit, quid ad utilitatem Regni adjici, scripto comprehensum, ad *Cæsarem & Ordines* perferant; non mirum igitur *Rudolphi* temporibus felicissimè laboratum in montibus: Ipse multis in locis (præcipuè dictâ abs se *Rudolphopoli* ad *Budvicium*) argenteos montes invênit, Ipse *Przibramenses* argenti fodinas redemit, & diligentissimè coluit magno proventu, ut in *Historia S. Montis* ex Rationarijs Libris ostendi, (vide Caput XV. hujus Libri) denique nullæ per *Bohemiam* erant fodinæ, quas resuscitandas & restituendas non susceperit *Rudolphus*; hinc aureorum & argenteorum laterum exstructi ordines, hinc tanti in *Bella Turcica*, in *Aulam & Principes*, in *Ludos & Spectacula* liberalissimè profusi sumtus. Hæc ejus erat certior *Chrysopœja*, quàm ea, quâ domi aurum dilapidabatur pro lapide. Sed neque *Cerconossios Montes* omisit *Rudolphus*, Gemmarum & auri si quis alius locus, feraces: effodisse eum quàm plurima pretiosa ex montibus illis satis indicant *mensæ, coronæ, torques, annuli* de quibus Capite XXXV. dicemus; misisse ad eos montes, ac reliquos per *Bohemiam*, ad pretia rerum inquirenda *Anselmum de Boot* Gemmarium suum Virum his in rebus versatissimum, *Anselmus* ipse in *Libris de Gemmis*, quos *Rudolpho* dedicavit, sæpius testatur; sed hæc jam senescente *Rudolpho*, cùm jam eum gubernationis difficillimæ, & fraternæ rivalitatis pertæderet, gesta esse existimo. Venêre in manus meas benignissimè ex *Camera Regia* communicata, quædam *Cæsaris Rudolphi diplomata*, quæ satis indicant, quàm altè in animum prudentissimi illius *Cæsaris de Montibus* cura descenderit, & quem investigandis montium divitijs modum ac viam *Quæsitores* illi tenuerint. A. 1595. 29. Januarij *Joanni Eckstein & Leonardo Stadler*, qui se certa loca in *Bohemia* auri, argenti, æris, ac ferri feracia scire, & indicium facturos promittebant, dat *Rudolphus* amplissimam facultatem ubivis (præcipuè in *Zbiroh*, ubi ferrum illi gigni maximâ copiâ affirmabant) quærendi, fodiendi, operas ex legibus metallicis conducendi, & universam illam monetariam œconomiam ordinandi, tam in *Regijs* quàm *Procerum* bonis, salvo tamen jure fundi, propter quod usitatum & pridem legibus statutum pretium Dominis penderetur; hoc amplius statuit: ut omne aurum & argentum infectum, quod effoderint, ad *Monetariam Regis Officinam* deferant, tantundem argenti signati recepturi. Anno 1595. 8. Julij, *Rudolphus* Imperator cuidam *Joanni Kocaur* concedit, *Montes* omnes præsertim Giganteos perscrutari & gemmas quærere sine omni à Dominis locorum impedimento, hâc unâ lege ut priùs *Cæsari* emendas offerat, *quibus* ait Imperator, *plurimùm nunc egemus*; eidem quod semel concessit alijs literis Anno 1601. 19. Novembris confirmat.

Cura fodinarū Avorum & Patrum memoriâ.

Rudolphi II. diligentia in Fodinis colendis.

Anselmus de Boot Rudolphi II. gemmari⁹.

At non meliùs consvetudo eorum temporum in gemmis perquirendis, quàm

quàm ex literis alijs ejusdem *Cæsaris*, intelligitur: *Simon Thaddæus Budeccius de Falkenberg Parochus in Tina Rovenska sub Montibus Cerconossÿs*, supplicabat: liceret juxta memorias sibi à *Patre* & *Majoribus* suis relictas, metalla & gemmas in *Cerconossÿs* quærere, esse in ijs *Montibus* ferum & silvestre hominum genus, proinde postulare, ut authoritate Regiâ adversus eorum vim muniatur. *Cæsar* dato diplomate concedit *primò*: ut *Budeccius* non modò in Giganteis, sed omnibus alijs per *Bohemiam* montibus ubivis locorum, nullo Dominorum prohibente, quatuor aut pluribus, quos sibi esse comites voluerit, stipatus, tutò & liberè aurum, argentum, & pretiosos lapides investigare, & effodere possit. II. Ut authoritatem & potestatem habeat, in eos inquirendi, eos capiendi, & in carceres detrudendi, quicunq; sine *Bohemiæ* Regis permissu ac nullo Regis diplomate muniti, ex alijs terris advenæ, gemmas, aliáque Telluris nostræ pretia, colligunt, effodiunt, atque hoc pacto *Regnum* Thesauris suis exspoliant; mandat ut pagorum judices, Urbici senatores, Domini, ac cæteri omnes regni incolæ, adversus eos, *Budeccio* assistant, & à *Budeccio* indicatos in carcerem compingant. III. *Cæsar* ad authoritatem viro conciliandam *Diploma* in grandi membrana descriptum, patens ut ab omnibus legi possit, *Budeccio* traditurum se promittit, quo si qua vis ingruat, tueri se ac socios possit. IV. Concedit, ut *Budeccius* aliquod *Vexillum* parvum curet, in quo depicta sit *Aquila* nigra in campo sanguineo, quod vexillum ipsi in periculosis locis præferatur, atque ita sciant, *Montium* illorum incolæ, cæterique omnes, *Budeccium* authoritate Regiâ munitum venire, metalla ac gemmas legitimè quærere cum potestate, secùs quàm illi, qui in has terras aliunde adveniunt Regnum deprædaturi.

Severitas Cæsaris in eos, qui in Boh. ad gēmas colligendas adveniunt.

Vexillum Cæsareum in gemmarum inquisitione.

Datum in Castro Pragensi A: 1601. Die Lunæ post Dominicam Invocavit. Notanda diligenter sunt verba Cæsaris in ejus diplomatis principio: *Satis jam nobis constat, exploratúmq; est, Regnum nostrum Bohemiæ DEI optimi benignitate & liberalitate singularibus prorsus donis, & variorum Metallorum, Auri, Argenti, Gemmarum, ac pretiosorum Lapidum thesauris abundare, illud unum semper querimur dolenter: destitui nos hominibus, qui ejusmodi gazas & bona Telluris intelligant, & quærere noverint, totósq; se huic labori impendant; nam etsi olim fuerint, qui initium fecerint laboris, tamen cùm non statim (ut fit) operi præmium respondisset, concidentes animo, brevi omnem cogitationem & simul conatum abjecère, &c.* Hæc Cæsar. Gemina sunt omnia, quæ ab eodem Cæsare, cuidam *Wilibaldo Heffler* conceduntur; is *Cæsari* obtulerat ex *Achate* pretiosum globum ad instar humani vultûs conformatum, & ex auro obryzo artefactum quiddam, utrumque in Bohemia repertum; affirmabat idem, scire se in *Bohemia* locos, ubi *flavi Topazÿ, tum Adamantes & Jaspides* crescant; Item *Pragâ sexdecim milliaribus scrutando deprehendisse fodinas Marmoris nigerrimi, & alteras candidissimi instar Cretæ*, unde effodi ingenti copiâ marmor possit. *Cæsar* igitur promissis lætus, certis conditionibus concedit, ut unà cum Familia sua ubivis locorum scrutetur, exploret, colligat, effodiat, tum prædictū Marmor, tum alios quoscunque pretiosos lapides & metalla, modò locum indicet Regi, & offerat emendos. Datæ literæ *Pragæ* A. 1607. *die Lunæ post Dominicam Oculi.* Ex his, tótq; alijs *Cæsaris* diplomatis satis patescit eorum temporum consvetudo, & *Rudolphi* in Metallorum secturis ac fodinis avidissima diligentia.

Querela Cæsaris de paucitate eorum qui gemmas intelligant, & quærere noverint.

Achates.

aurum obryzum.

Marmor nigrum & parium.

(+)

CA-

CAPUT VII.

De celebrioribus Bohemiæ Montibus, & quæ in ijs reperiantur memoratu digna. Montes limitanei Bohemiæ. Mons mediterraneus Zrzit, vel Zrzip. Mons Petrinus. Mons Albus. Montes originarij hæreticorum.

Montibus cingitur Bohemia.



Ontibus coronâ incingi *Bohemiam*, aut quasi mœnibus silvarum & rupium naturali muro circumdari, docent, quicunque de *Bohemia* egerunt; idem Tabulis Chorographicis expressum videmus, denique etiam oculorum fide discunt, & experiuntur, quicunq; ad limites *Bohemiæ* perveniunt, quacunque demum viâ ad nos intrent, aut exeant à nobis, Montes sibi occurrere & calles angustos rupibus, & saxis excisos superandos esse noverunt; lenissimum & proclivissimum iter ad Moravos est, multis tamen in locis impeditum, & tortuosum; reliqua *Bohemiæ* limitanea altis montibus, & profundis vallibus, horridis Silvis, inaccessis Rupibus, sæpe etiam aquis ex alto cadentibus, aliisque diverticulis muniuntur; adde arces idoneis locis, & montibus impositas maximo numero, de quibus pòst agemus, ut parvâ manu, præsertim si locorum periti, & montani homines adhibeantur, defendi possint, narrátque Æneas Silvius: Majores nostros, ut antè dixi, jactare & gloriari solitos propè inexpugnabilibus munimentis Bohemiam naturâ defendi, quod sæpius malo suo hostes incautè Bohemiam ingressi, ut in Historijs legimus, senserunt. At *frustra sunt foris arma, si deest consilium domi*, & vel maximè, si proditione Patria oppugnetur, invia nulla via est. *Oriens æstivus* Bohemiæ, magnâ parte montibus & silvis altissimis à *Krulich & Schildtberg* (unde monti nomen) supra *Moravicam Treboviam*, inde procul per limites Moravicos euntibus defenditur; *hibernus Oriens* silvas impervias ad *Policzkam*, quasi diceres decipulam) *Heralecz & Zdiarium* munitur; *Meridies* silvis Richnoviensibus & Bistrzicensibus in Bechinensi Districtu, deinde innumeris montium altissimorum ordinibus post Crumlovium & Rosenbergam *Passavium* versùs, itinere impeditissimo per *Hasloch* (novère difficultates quibus illac iter aliquando fuit) prætenditur; *Occidens & Septentrio* Bohemiæ munitissimus censetur; nam Occidentem totum, imò & maximam Meridiei partem, magna *Hercyniæ* portio, & *Gabreta*, & *Luna* occupant silvæ; ad *Septentrionem*, eadem *Gabreta*, tum *Sudeti* Montes, tandem occurrunt *Gigantei*, eâ semper continuatione & serie succedentibus montibus, ut nulla murorũ potior custodia, nulla altitudo, nulla manufacta profunditas, vel excogitari possit; quod spectaculum me attonitum sæpiùs tenuit, atque etiamnum cogitantem delectat, nam ferè omnes limites obivisse me, merito ùt existimo, & glorior & gaudeo. Sed de silvis & montibus Bohemiam circumeuntibus initio hujus tractationis aliquid scripseram, de montibus nunc aliquid scribere propositum est; nam montosa & alta Regio (qualem esse *Bohemiam* probavimus) sinè dubio Montibus & Montium gloriâ triumphat; *Mediterraneos* verò hoc loco tantùm, ut sic loquar, qui videlicet in ipsa Bohemia stant, & foras non pendent, (ut sunt *Gigantei*, seu *Cerconošsý*, Lunares & in silva *Lunæ* aut *Gabreta* positi) persequemur, sed qui verè *Bohemici* & nostri sunt ditione

Orientalis Bohemiæ pars quos habeat limitaneos mõtes.

Quinam montes ad Meridiem.

Ad Occidẽtem & Septentrionẽ altissimis montibus Bohemia permunitur.

ne totâ, totísque radicibus. *Mediterraneus* idémque Bohemiæ & Czecho ipsi gentis authori notissimus ad Raudnicium stat mons sine rivali, sine æmulo, quippe solus in lata, lætâque planitie *Zrzit* nomine, velut si *speculam* dicas; in eum montem cùm silvis tegerentur omnia, ut vetustissimi annales perhibent, *Czechus* evasit, & perlustratâ circum regione sedem fixit; consedêre non procul inde, & qui unà advenerant Proceres *Bssovij*, *Wrssovecij* alíique, sed Przemisliis Ducibus *Wissehradum* postea, eáque regio præplacuit. Ad radices hujus Montis paternè prorsus Populum judicavit *Czechus* multis annis, fatóque suo defunctus, cum veris suorum lacrymis est humatus, inde datum Villæ nomen *Ctinovves*, id est *Honoris Villa*, ob tumulum scilicet, & loculum honorarium, quem Parenti publico *Czecho* rudis ille Populus magnifico opere ut putabat, exstruxit; *Pulkava* qui sub Caroli IV. initio, historiam scripsit, docet: *Czechi* tumulum ætate adhuc suâ monstrari solitum à Viatoribus, & nescio quo arcu, vel suggestu notabilem fuisse; perlustravi cum socijs curiosè omnia, nullum usquam vestigium deprehendi. Summa igitur hujus Montis gloria est: *Czecho* primo gentis Duci familiarem & speculæ vicem præbuisse, & ad eum sine dubio supremâ voluntate voluisse componi; In Apice montis Sacella spectantur cum Campana & turricula non indecente, quæ Majores ita ædificatione junxêre, ut ædem *Virtutis & Honoris* exhibeant, & per primum ad secundum, & tertium eatur, ideóque ab omnibus abolito vetere nomine *Zrzit*, *Mons S. Georgij* appelletur; celebratur supplicationibus S. *Georgij* sacro die, & *Raudnicio* tum ex vicinis Pagis à Sacerdotibus populum ad sacra & conciones adduci, narrant qui audiêre; humantur circa *Sancti Georgij* Sacellum quorundam Pagorum incolæ, ac nominatim Pagus *Rovvna*, in Monte *Sancti Georgij* sepelitur. Sacellum illud B. *Henricus Zdik* Olomucensis Antistes, Pragensi Episcopo id ei munus deferente, Anno 1126. consecravit. Ad extremum Aucupio Aquilarũ potissimùm mons nobilitatur; *Aquilæ*, *Falcones* & omne accipitrum genus æstate & primo autumno hîc capi vidimus, ut cùm *de Avibus Bohemiæ* scribam, memorabo.

Mons Zrzit vel Zrzip.

Czechi Ducis nostri tumulus ad Ctinoves.

Pragenses Urbes etsi in crepidine, & valle sedeant, Montes tamen mœnibus claudunt; *Petrzin*, *Mons Sancti Laurentij* hodie dicitur à Sacello, quod Monti illi S. *Wenceslaus* imposuit: nam cùm ibi Dæmonum cultores rogos accenderent, ac Dæmones in flammis sese suis spectandos, varijs formis exhiberent, ad sistendos Dæmonum honores S. *Laurentium*, qui flammas vicisset, & extinxisset sanguine, velut Præceptorem ijs *S. Wenceslaus* imposuit, ex eóque tempore cessarunt præstigiæ. Id Sacellum S. *Wenceslao* in cælum recepto Nepos S. Martyris *Boleslaus Pius* sibi sumsit ornandum: memini me puerum in pariete sacelli sinistro, vetusta Insignia Ducum nostrorum *Ahenum* (quod erat *Dapiferorum Imperij* insigne) & tres lineas depictas vidisse cum *Boleslai Pij* nomine. Semper ille Mons Ethnicorum habitationi deputatus fuit; *Carolus* IV. Montem mœnibus cinxit, in summa Populi fame, ut in *Arnesti* vita narravi, ibíque Ethnicos habitare jussit, qui Tapetes, asarota, peristromata, aulæa, aut quo velis nomine, quorum summi artifices habentur, contexerent. Porrò à Petrino hoc monte *Petrovvskios*, genus latronum immane, dictos suspicatur *Paulus Stransky*: cùm enim adhuc extra Pragam, Mons esset, qui multis locis cavernosus est, latrones in ijs latitabant, qui Viatores Urbe egressos aggrediebantur, & noctis beneficio in nota sese latibula protinus referebant. *Petrino* Monti proximus stat Mons *Sion*, & huic contiguus *Mons Suillus* Basilicâ S.

Pragenses Montes.

S. Laurentij seu Petrzin.

Petrowsky unde dict. *In Republ. Bohem.*

Mons Stihow.

S. Viti, Palatijs & magnificis substructionibus Arcis Regiæ, toti *Pragæ* spectabilis, quo nihil illustrius *Praga* videt; sed Arces hoc loco describere non vacat. *Suillus* cur olim dictus sit, nusquam invenio. At monti *Sion* ob similitudinem, quam ad *Sionem* Palæstinæ habet (ut agnoscunt qui utrumque viderunt) Episcopus Olomucensis *B. Henricus* (qui è terra sancta sæpius Peregrinus redierat) cùm *Cœnobium Strahoviense* fundaretur, nomen imposuit; quod idem *Litomißlij* præstitit, Cœnobium (*Montem Oliveti*) ob situm similem appellans.

Mons Alb⁹. Post Pragam Mons est *Albus* extremâ hæreticorum clade Anno 1620. signatus; fatalis omnino locus, & ut illis infelix, ita Religioni Catholicæ fortunatus inprimis, olim colore saxorum, jam ossibus albescit; multa in eo prælia gesta, multi mortales humum planxerunt, quæ alteri tractationi servantur, neque satis decet hîc præverti. Quidam Montes apud nos appellationem hæreticis dederunt: Tabor. *Tabor* Mons (nunc etiam Civitas) à Zisskianis Castris (castra enim Bohemi, Poloni & cæteri Slavici nominis Populi *Tabor* dicimus) nomen accepit, cùm ut quisque miles tabernaculum fixerat, casam aliquam excitare Contubernales *Zißka* jussisset, unde tota illa Urbs ex alto despectantibus nullam aliam refert speciem, quàm castrorum. Sed de *Taboritis* veteribus (nam hodie nihil illâ gente humanius) in *Epitome historica* multa scripsimus. *Taboritis* nequitiâ, immanitate & hæresi pares, imò ut reor, etiam superiores *Orebitæ* fuerunt; à monte *Oreb* appellari ipsimet voluerunt; altissimus est Mons & præceps, an in *Czaslaviensi*, an *Chrudimensi* Provincia numeretur, non satis scio; sed in eum tamen ob memoriam rerum, & initia hæreseos factæ conscendisse me juvenem recordor. In his montibus prima hæreseos Hussiticæ jacta sunt fundamenta, illuc adrepebant, qui Calicem sitiebant. Nominatur à *Mathia Lauda* in Bechinensi Mons *Beran*, plurésque alij, ubi occulti hæretici convenire, seque Montibus illis & Silvis tegere solebant, dum denique crescente ex numero audaciâ, Urbes Catholicorum invaderent; nolo actum agere, & ea quæ in *Epitome* commemoravi, repetere.

Pragenses Montes. S. Laurentij seu Petrzin. Oreb. Mõs Beran.

CAPUT VIII.

Præaltus Mons Milessow. Ab eo Rustici significationes temporum accipiunt. De Monte Geltz. Ridiculum quiddam de Canibus vinum haurientibus, quod in eo Monte accidit. Scopuli & Pyramides circa Arces *Trosky* appellatas.



Vos modò nominavi Montes, ferè ex rebus gestis memoriam merentur, at proposito meo magis congruunt, qui altitudine, venustate, divitijs, aut dote aliquâ gignentium commendantur. Altissimum Bohemiæ Montem in Provincia Litomericensi quidam esse affirmant, *Mileßovv* dictũ, à *Mileß* Viro illustri & Originario familiæ *Kaplirzianæ*; *Montes medij* (**Prostředny, Mittelgebürg**) appellantur, qui à *Litomericio* continuâ serie ad *Bilinam* usq; & *Mireßovvicium* trahuntur; eorum indubiè Princeps toto vertice *Mileßovv* est, supereminet omnes, & tacentibus (qui ei adstant ut Cli-

Milesłovv. Petrowsk[...] unde dic[...] In Republ. B[...] jem. Mons Str[...] how.

Clientes) alijs montibus, nihilque ſignificantibus, primus ipſe ſentit vel ſerenitatem, vel pluviam, triſtem diem & nubilum vel lætum, tenuem, pellucidum, verbo: quidquid erit, ſine fuco ſignificat, velut *Rottenberg, Sileſiæ Compaſtum* appellant, perinde *Mileſsovv* Temporum prognoſtes, jure merito dici poſſet.

à Mileſſow monte temporum præſagia capiuntur.

Vidi ex proximo totum aliquando montem denſiſſimis nebulis contectum, eâ prorſus imagine, qua *Mons Sinai Moyſe* in nebula latente depingitur, at cæteri circùm montes, innubes & hilares velut rerum gerendarum ignari ſtabant, *Sol* ipſe formoſiſſimus ibat; at accolæ locorum, Domum fugiebant, pecora urgebant, méque, ut Domum protinus reciperem, properarem, & equos currum trahentes concitari juberem, monebant; neq; horæ quadrans interceſſit, jam Cælum obduci, Sol contegi, eripi omnis aſpectus:

Virg.

Immenſum Cœlo ruit agmen aquarum;
- - - ruit arduus æther,
Et pluviâ ingenti ſata læta, boúmq; labores
Diluit, implentur foſſæ; & quæ divinus Poëta proſequitur. At contrà etiam accidere vidi, ut cæteri fumârint Montes, *Mileſſio* nihil ſe commovente, nihil aut nubilum, aut turbidum minante; Incolæ rogati, nihil eſſe magnopere timendum à cæteris ſpondebant, hunc unum intuendum eſſe, horum nubila omnia à *Mileſſio* quodammodo devorari. Magna huic Monti de altitudine controverſia movetur ab altero quodam monte *Geltz* Germanis (Bohemis à figura *Sedlo*, ſeu *Ephippium* dicitur) tribus aut quatuor milliaribus diſtat, & *Libeſſico* imminet, quem alij *Mileſſio* altiorem, alij inferiorem eſſe contendunt; ego *Mileſſio* palmam tribuo, idq; authoritate, à qua vix liceat provocare. *P. Theodorus Moretus* Vir doctiſſimus, & libris editis Orbi notus, idémque Magiſter in Mathematicis diſciplinis meus, dimenſione ex legibus Matheſeos factâ, adhibito etiam canali aqueo (quæ clariſſima probatio habetur) demonſtravit: *Geltzium* montem longè eſſe *Mileſſio* inferiorem; ex utroq; tamen *Stella* ad Pragam, & S. *Viti* turris conſpici poteſt, & ipſe conſpexi.

Geltz ſeu Sedlo.

Narrabo quando huc ventum, quid in *Geltz* ſeu *Sedlo*, mihi quondam acciderit: ipſo S. *Joannis Baptiſtæ* die ſub veſperam Montem *Geltz* aliquot ex ſocijs conſcendimus, ut ignes eo veſpere & nocte, totâ Bohemiâ relucentes, quantum daretur, ſpectaremus ex monte: (non enim pridie, ſed ipſo feſto quaſi per otium, cùm feriatur à laboribus familia & ruſtica juventus, plerique pagorum pyras exſtruunt) vidimus illuſtriſſimum ſpectaculum, quo formoſius in hoc genere ſpectâſſe me non memini: nullus pagus eſt, nulla villa, non oppidum, non Civitas, quæ feſtivos *Sancto Baptiſtæ* ignes non excitet; ſæpe in eodem loco duæ ac plures pyræ excitantur, quas Juventus ſuperat ſaltu, pagò univerſo plaudente; hæc omnia ſub nobis poſita, nocte præcipuè adjuvante, ſpectare jucundiſſimum fuit, Cœlum & Stellas in terram decidiſſe diceres, eóque gratius ſpectaculum viſum eſt, quòd & plures ſtellæ humi viderentur, & quòd perpetuo tranſilientium motu & umbris, mutari, & ipſæ pyræ quodammodo ſaltare viderentur; non poſſum oratione ut vellem, quod vidimus, explicare.

Spectaculū pulcherrimum pyrarum & ignium Bohemiâ totâ, nocte lucētium.

Quod addo, etſi leve, ridiculum tamen multis cùm gereretur, & poſtea audientibus eſt viſum: Laſſatis jam oculis ad ſtomachum morâ pridem latrantem ſedandum convertimur omnes, & quæ attuleramus, exponere jubemus Miniſtros: erat aſſa caro, panis, cereviſia, vinum, &c. *Libeſſicenſes* canes duo unà comitabantur, qui & ipſi ſtomacho urgente, cùm egregie famem obſonaſſent, & cibum & quidquid porrigebatur detruncaſſent, exoſſâſſentq;, tandem cibo urente & ſitim excitante,

te, *Aquam* circumspicere cœperunt; nullam *Geltz* aquam habet in apice, licet ad pedem Montis procul emicet rivus aquæ, tamen illi ultro citróque cursitare & quærere, atque iterum ad Dominos (quos amittere in silvis & tenebris tutum non videbatur) recurrere; advertimus quid hiantes optarent, & quid exertis procul lingvis monstrarent; ergo ad majorem faciendam sitim plura de ossibus, carne, & pane projicimus, eáque nullo in futurum timore vorant avidissimè; at siti denuo urgente discurrunt, tum ego in cava duo Saxa, quæ ponè jacebant, in alterum *Cerevisiam*, in alterum *Vinum* infundo; rediêre sitientes, atque ubi bis, terve & cerevisiæ, & vini odorem sensissent, iterum *aquam* quæsitum discurrêre, denique ardente in visceribus cibo, malo victi, rejectâ statim primo accessu Cerevisiâ, ad *Vinum* accedunt, datóque semel initio, non illud modo quod infuderam vini pauxillum exhauriunt, sed novum ac novum sibi postulant affundi: eò res redijt, ut uterque egregiè potus miros de se nobis ludos præberent; titubabant, cadebant, manus exosculabantur, latrabant temerè, ac domum nobiscum reversi, postea velut ebrij dorsis suis incubantes cum rhonchis qvievêre. Die sequenti, ut hesterni meri meminissent, pauxillum vini in scutellam effundo: alter canum detestari vinum visus protinus aufugit, alter nihil cunctatus avidissimè vinum omne exhausit, tantâque semper in posterum vini aviditate, quoad vixit, tenebatur, ut guttulas vini siquæ ex vitris ac poculis deciderent, vel humi delingere soleret. Hæc ad Montis *Gelczensis* mentionem, fortassis non omnino importuna relatu fuerunt. Ad Montes & Scopulos redeamus: Qui geminas Arces (quas *Trosky & Skaly* appellant, de quibus Lib. 3. plura) in *Provincia Boleslaviensi* viderunt ex proximo, non possunt admirari satis, gratissimum illum horrorem locorum, tum vallium, scopulorum, & silvarum, & super eas stantium *Pyramidum* immensæ altitudinis, (quas Natura ipsa in hanc speciem ad ungvem conformavit) omni arti inimitabilem dignitatem; his *Pyramidibus Montes* illi cinguntur, & distingvuntur. Nominare testem possum Virum gravem, *Europâ* omni, imò & *Asiâ & Ægypto* peragratâ clarum, qui isthac cum *Patre nostro* iter faciens disertè affirmabat: post solitudines illas *Asiæ & Africæ* celebratas, nunquam quidquam *Ægypti* similius, vastísque illis ac nudis recessibus se vidisse.

Canes siti dacti vinū bibunt.

Montes & rupes pyramidatæ in Bohemiæ.

CAPUT IX.

De Monte Bilinensi, quæ mira contineat.

Mons Lovvoss & Dievveczky. Mons Radobeyl ad Litomericium. refellitur origo Nominis Litomerzice & de Postoloprty. Montes eodem tempore æstivi & hiberni.



Nter montes illos, quos *Medios* appellavi, & à *Litomericio* continuâ serie usquè *Miressovicium* trahi dixeram, Mons est celebris, quem quod *Bilinæ* immineat, vulgo *Bilinensem* nuncupant; verius Saxum grande aut rupes diceretur, magnâ sui parte præceps & calvus, in vertice nihil habet quàm rupes informes, sed hæc ipsa informitas in montibus, speciem quandam obtinet venustatis. Habere Montem hunc admiranda traditum

Bilinæ Mons.

tum à majoribus est: *Dracones* aliquando è cavernis evolare, atque iterum involare visos; aurum vel argentum utero continere, tum gemmas in eo non semel repertas, & coronatos serpentes, quæ omnia quibusdam antiquis narrationibus confirmant, item stirpes raras gignere; quod quidem verissimum esse ipse comperio. Cùm *Miresšovicij* versarer, *Montem* non semel ascendi, quamvis periculosè ob Saxa lubrica, & iter arduum ac præceps adeatur: nullam altitudinem magis præcipitem (nec illam quidem, quæ in Moravia ad Arcem *Letoviensem* monstratur excipio) in omni vita vidi: nam *Bilinam* versùs non modò abruptum latus habet, sed etiam inane & cavum, sic ut qui deorsum spectant pendêre sibi velut aves videantur: *Dictamnum nigrum & album*, tum etiam *Crocum*, aliásque peregrinas stirpes & herbas me præsente ductor meus nominavit & carpsit, *dictamnum* officinis postea Medicorum ostendi & probârunt. In valle subjecta, plena omnia ignotis & invisis mihi floribus fuêre; habet enim in medio quandam planitiem prato vel horto simillimam, sed tamen declivem; cavernas vidi, vulpiúmque cubilia notavi; antrum visitur, quâ non ante multos annos Supremus Monetæ Præfectus *Udalricus de Lobkovvitz* vocatis fossoribus Montium cavandorum peritis, penetrare & aditum in viscera montis facere tentavit: an victus operis tædio cessârit, an auro reperto (quod à nonnullis audivi) venam inanem & cassam reliquerit, an nihil esse ampliùs quærendum existimârit, nescire me fateor. Ad hunc montem Pagus est *Zelenicze* dictus, ab altera montis parte *Hrobczicze* (Sepultura) ad illum pugna commissa cum Misnijs Anno 1438. in altero, uti etiam in priore, qui in prælio ceciderant, sunt tumulati; sepulchra vetustissima cum familiarum insignibus spectantur hodiéque.

Ejus descriptio, & quæ gignat.

In Meridianorum Montium serie censetur & *Lovvoß*, & duo minores, qui adjacent *Dievveczky* id est *Puellæ* appellati. Lowossium Lovosicium condidisse de suo nomine, montémque illum *Lovvoß* excoluisse arationibus, ut videmus, filiabus verò quas duas habebat, duos contiguos excolendos dedisse, à Majoribus est traditum. Super *Litomericium* Mons est calvitie ipsâ notabilis, propè est ut Ennianè dicam, *saxea verruca*, *Radobeyl* appellant; fuit is Dynasta præpotens *Wrßovecianæ* stirpis cum aurea nassa in Clypeo, nam illam viciniam *Wrßovecios* ditione antiquitus tenuisse *Litomerium*, & ex ijs *Litomericium*, tum *Pokraticium*, alios alia condidisse, & suis insignivisse nominibus ex *Wrßoveciorum* gestis datur intelligi; unde ridicula est illa quorundam Scriptorum derivatio, & in gratiam nominis conficta **Lyto mi ty mérice** / cùm *Litomirium*, seu *Lidmirium Litomericij* Fundatorem & Dominum in Annalibus legamus. Ejusdem modi fictio in *Postoloprtensis Cænobij* nomen irrepsit, quod non à Sutore calceario appellatum est, sed cùm *Apostolorum Porta*, ut in antiquitate legimus, *Cænobium* diceretur, & rude & rusticum vulgus latinas voces non posset exprimere nec meminisse, in **Postoloprty** mutavit, ut patet considerantibus; huic tamen conjecturæ meæ neque ego ipse tantùm tribuo, ut fas esse non putem cuipiam à sententia nostra discedere; præsertim, cùm *Hagek* doceat, *pagum* Postoloprty, longè antiquiorem *Cænobio* fuisse. Sunt alij in hac & alijs *Bohemiæ* Provincijs (quas *Districtus* appellant) præcelsi & spectati *Montes*, sed nomina eorum me fugiunt; alij nihil nisi quòd Montes sint, habere videntur; pleriq; aut ferrum aut stannum, aut sulphur, aut argentum utero ferunt, & in antiquitate (ut aggesti cumuli ostendunt) fatigabantur, & erant in pretio; sed, neq; omnibus nominandis hîc locus est,

neq;

Lovoss & Dievveczky.

Radobeyl.

Litomericium & Postoloprty, unde dictæ videantur.

Hagek in Annal. Boh.

Chanowsky in Vestigio Boh: Piæ C. ult.

Montes parte alterâ æstatem, alterâ hiemem referentes.

Id. ibid.

neque si esset, in tanto Antiquitatis silentio certi quidquam adferre possem; Montes verò, quibus Arces & Castra inædificata videmus, alteri loco serventur. De *Montibus ad Bavariam* stantibus mira est *Alberti Chanovvij* nostri narratio: post *Bergreichensteinam* (oppidum fodinis hodiéque nobile) esse Montes non tam situ (alij enim ad *Septentrionem*, alij ad *Meridiem* latus obvertunt) quàm Cœlo & temporibus adversantes, vallibus latissimis montes illos dirimentibus; monstri instar est (quod se vidisse, & Anno 1639. in rem præsentem venisse religiosissimus ille & Apostolicus Vir asserit) in altero Monte sæpius *æstatem*, in altero opposito *hiemem* dominari, ita ille siccus æstivat, hic altissimis nivibus obsitus à Viatore superari non potest; ob eámq; caussam Messes ipsæ variant, & dum in montibus ad nos obversis demessa sunt omnia, alterâ Montium parte seges virescit: Mirius illud quod in *Biessinensibus & Czachroviensibus* Agris in tractu *Plsnensi*, contiguis, quos unus tantùm sulcus dirimit ac dividit, deprehenditur: *Czachrovienses* adhuc hibernant, cùm in *Biessinensi* Cœlum ardeat; ibi caput attollit humo frumentum, cùm *Czachrovij* adolescit in culmum; elemento quoque dispari, illud riget, hoc tepet & fervet, eâque ex causa, dum *Czachrovienses* bene pelliti ingrediuntur, *Biessinenses* pellibus onerari se sentiunt, villósque deponunt. Aliquid tale Anno 1652. mihi quoque accidisse memini: nam cùm *Glacio Zambergam* in Bohemia contenderem, & *Glacio* ob nives altissimas certum vehiculi genus, quod *Trahas* dicimus, sumsissem, superatis montibus, qui *Comitatũ Glacensem* à Bohemia dividunt, subitò alia rerum facies apparuit: altero enim montium latere viridia omnia reperimus, sic ut *Trahæ* nulli jam rei & usui essent, & *currum* petere cogeremur, nisi in luto natare placuisset; at accolæ montium illorum quotannis id sibi accidere confirmabant, ut unum latus Montium profundissimæ nives contegerent, quando alterum latus lectissimos flores proferret, & cùm ibi omnia ventis everti viderentur, apud se è floribus svavissimos odores efflari.



CAPUT X.

Blanik Mons; Podhora post Teplam; Gesstera ad Dubam. De Monte Prachaticensi. Item de Valle longissima Lauczka nomine.

Hagek in Annal. Boh.

Blanik.

BLanik Mons ad *Naczeradecz* in Bechinensi Regione situs, per illam viciniam benignum præbet rudibus argumentum loquendi. Narrationes audivi quàm plurimas, de quibus illud Plautinum dixeris: *gerræ germanæ, atq; ædepol lyræ, lyræ!* admiratione dignissimum est, quod à fide dignissimis testibus accepi: Silvam ibi esse longam, cujus arbores omnes cùm ab imo & à radice, & à trunco vireant, vivacésque sint, maximè à cacumine summo & à ramis siccentur; vitium deinde paulatim descendit, atque ultimo in truncum & radices trahitur, éstque triste, certè inusitatum spectaculum, arbores omnis generis aspicere supernè siccas, & nullâ ramorum viriditate fælices, infernè tamen vividas & succi plenas perstare, & ab injurijs Cæli sese tueri ac defendere. In Teplensi Cænobij ditione

Podhorberg.

Podhora (Germanis hodie Podhorberg) visitur insignis Mons, sub eo piscina latè porrigitur, quam delicatissimi saporis pisces commendant, ut nihil omnino ab ijs, qui in fluvijs inquietam & sanam vitam agunt, superentur. Hunc *Montem*, aût potiùs pagos illos duos (qui ad ejus radices siti sunt *Hohendorff & Abassin*) accolæ, totius *Bohemiæ* altissimum obtinere locum putant; ut ut sit (nam inter montes Bohemicos de altitudine magnum certamen est, neque ego hanc quæstionem meam facio) illud tamen certum, ex eo monte Provinciam totam *Plsnensem* spectari, ac velut sub ictu jacere; idem Mons *Prognostæ* munus apud accolas obit (ut nuper de *Milesovio* dixi) nam ex ejus aspectu de serenitate, aut nubilo faciunt conjecturam.

Gestiera ad Dubam.

Eadem ratio est in *Boleslaviensi* Regione de Monte, quem à figura *Gesstieram* id est *Lacertam*, appellant; prorsus similitudinem refert lacertæ porrectim jacentis, rupésque cæteræ in longum & latum sic respondent, ut figuram vel invitus agnoscas; mira & rara in eo monte inveniri vetus est accolarum opinio; credunt & ipsi hunc montem suum cæteros omnes per *Bohemiam* altitudine superare. In extremo monte erumpit magno impetu ex cæcis antris eluctatus dulcis aquæ fons (ân amnis potius dixerim?) quem sine lege, sine alveo per crepidinem montis ruentem nuper coërcuêre *Dubenses*, factâque per rupem viâ in laticem coëgere, ut cratere ingenti (in subjecta planitie) manufacto, in eum sese demitteret, ac potiùs præcipitaret, præsenti tam ipsius fontis, quàm potantium commodo; quippe nihil ipse, ut fiebat antè, deperdit aquarum, & potantes ob salubritatem aquæ domum ad suos fontem deferre possunt; innocuum esse, & quantumcunque intemperanter biberis, caput nihil offendere constat. Illa admirationem faciunt: etsi indignabundus, ut sic dicam, exiliat, aquam tamen semper illimem & perspicuam vehere; deinde nunquam hibernis mensibus congelare, ac si tamen manum æstate tentes imponere, omni gelu frigidiorem sentiri; ad extremum ramenta auri aliquando in ea *Aqua* collecta esse senes affirmant.

Libow.

Prachaticio (Civitati in Prachensi Districtu sitæ) *Mons* imminet vel ob hoc memorandus, quòd ex ipso statim cacumine limpidissimum dulcis aquæ fontem effundat (*Libiechovius* ab Incolis vocatur) à latere dextro, *Blanice* amnis à sinistro; hic ille amnis est, quem per *Muldavam* ascendentes ad *Pisekam* Salmones avidissimè consectantur.

Subjectæ & depressæ *Valles à Montibus* suis ferè pretium & authoritatem mutuantur. De Vallibus Giganteis jam diximus: omnium maximè memorabilis est vallis per antiphrasim *Lauczka* (quasi pratulû diceres) appellata. Lauczka. Hæc ex meditullio *Zatecensis Provinciæ* subsidens, multis deinde, variisque ambagibus per *Slanensem* tractum paucis observata, semper tamen alveum suum, ut ita dicam, retinens, plurimis milliaribus Germanicis, usquè ad fluminis Muldavæ crepidinem porrigitur, arationibus maximis exculta, omnisque frumenti feracissima, de qua vulgo nostri jactabant Majores (ut est apud diligentissimum Scriptorem *Paulum Stransky*) si toto Regno durior annona fieret, ac si modò in *Lauczka* seges feliciter provenisset, fame non perituram *Bohemiam*.



CA-

CAPUT XI.

De Antris & cavernis memorabilibus in Bohemia; Antrum S. Ivvani; antra Carlſteinenſia, Liticenſia; iterum S. Ivvani duo; Memorabiles ſubterranei ſpecus ad Skalicium.

Ontibus & vallibus antra ſubjicere, non importunũ eſſe duco & tractatione jungere, quæ Natura conjungit: Antrorum memoratu digniſſima ſunt ante omnia, quæ cœleſti habitatione ſuâ, dum adhuc in terris apud nos degerent, Cœlites conſecrarunt. *Ivanum* Eremitam, quem Bohemia omnis, ut *Sanctum* precibus colit, *Geſtimuli* Dalmatiæ Regis filium bonus Angelus in *Bohemiam* duxit, & ſpecum oſtendit, in qua relicto poſt tergum Regno, & toto genere humano, DEO uni, ſibíque vacaret; obijt *Ivanus* Anno C. 910. ſi *Hagecij* Chronologiam ſequamur, & duos ſupra quadraginta annos in Bohemiæ ſpecubus exegit. Porrò ſolitudo hæc *Sancti Ivani* tam gratâ imagine peregrinis, magno numero illuc 8. Kal. Junias confluentibus ſeſe commendat, ut nullam artem picturæ imitari poſſe putem. Scio vocem Cæſaream: *Ferdinandus III. Imperator*, cùm aliquando ad *S. Ivvanum* veniſſet, loci Majeſtatem ac ſanctum horrorem contemplatus ex proximo, *Regiam & Rege dignam ſolitudinem* appellavit, addiditque ſibi videri: *in omnibus, quas haberet, terris, nihil ſimile, támque ſolitudini aptum, quàm quod videret, inveniri.* Similem prorſus horrorem ſilvarum & petroſorum montium & ſcopulorum pendentium non procul à *Sancto Ivvano* vicinia *Carlſteinenſis* offert, nec procul abludit ab hac ſolitudinis imagine *Caſtri Liticenſis ad Zambergam* aſpectus: Caſtrum ipſum è petris prodiens, & latè circùm Montes altiſſimi, & fluvius *Aquila* intra Arcem volvens cum ſtrepitu; quæ omnia ſic ſine ordine à Natura poſita, ex ipſa tam varia, ut ita dicam, inamœnitate amænitatem oculis maximam efficiunt, ſed ad *Sanctum Ivvanum* revocamur. Repetere non vacat, quæ pridem in hiſtoria *Sancti Montis* narravi; ibi piè curioſus Lector vitam *Ivvani* & mortem, antri de quo nunc loquimur deſcriptionem, Cœnobij quod eo loci *Haſenburgici* excitârunt, hiſtoriam, & quidquid de illa vicinia memorabile dici poteſt, inveniet. Habet hoc naturæ miraculum *Ivvani Petra*, quòd aqua ſuper Sacellum guttatim ſtillans, ſi in lapidem ſubjectum inciderit, lentore quodam pigerrimo occupetur, mox tota concreſcat in Saxum; at ſi vitro excipiatur, & aquoſitatem nativam, & perſpicuitatem cryſtallineam retineat. Plura ejuſmodi antra quæ *Sancto Ivvano* tribuuntur habemus. Qui ſilvas illas ad *Skalenſe* Cœnobium luſtraverunt, ut lignatores, ſcandularij, carbonarij, Venatores, ac cœteri (quos narrantes audivi) ajunt plura hujusmodi antra *S. Ivani* ſignata veſtigijs ad *Miſam* fluvium apparere, traditúmque à Majoribus: in iiſdem *S. Ivvanum* vixiſſe, dum denique in extremam illam (ubi tumulatus eſt) totus immigraret, quam ſolido quatuordecim annorum ſpatio incoluit, malis Dæmonibus priùs Chriſti Cruce, quam à *S. Joanne Baptiſta* acceperat, fugatis. Nuper amicus meus R. P. L. viſitato *S. Ivvani* tumulo (quem ei *Mathias Cæſar*, & Conjux ejus *Imperatrix Anna* adornârat) in ſupercilium Montis, qui *S. Ivva-*

ntrum S. wani.

ideAppendi- em I. ad hiſt. . Montis.

Litice Caſtrum ad Ziambergã gratiſſimo horrore locorum coronatum.

Append. 1. ad hiſt. S. Mont.

Antra memorabilia S. Iwani plura.

Iuvani antro imminet, aliquot Religiosis viris comitantibus, ascendit: mira ibi se & prorsus inexpectata vidisse confirmat, & cavitates terrarum, quas nè quidem per somniorum imagines concipere potuisset: esse anfractus, tot ambages viarum, tot fossas cæcas, profundissimos in præceps hiatus, aliáque horrentia & suspecta loca occurrere, ut licet comitatus, & facibus & telis instructus, durare non potuerit, quin protinus ejiceret sese, & ex antris illis in lucem & apricum emergeret; ajebat: posse ibi hominum millia condi, si res posceret, tectoria antrorum omnia quasi recurvis draconum ungvibus perfricarentur, fædum in modum apparere; luridam esse locorum imaginem, humore quodam lento albi coloris saxa & rupes omnes scatere, qui humor duretur, & in saxum concrescat; hæc ille. Vidi & ego simile quiddam in Moravia ad *Kiriteinam* de quo alio in loco. Aliud insigne S. *Iuvani* Saxum ad S. *Montem* habemus: ad orientem Solem à S. Monte euntibus *Bitizum* versùs (villa est *Racziniorum*) silva arboribus maximis, quercetisque densissima, & aspera saxis occurrit; ferarum, sed aprorum præcipuè, per uligines silvarum sese æstate, autumnóque volventium gregibus & multitudine nobilis. In silvæ medio (duobus ferè à S. *Monte* passuum millibus) saxum ingens objicitur, quod crucem, aut triquetram exprimit figuram; id jam pridem antiquissimis hominum supplicationibus aditur, Crux una major, minores aliæ quàm plurimæ solo fixæ loci religionem adstruunt, nec aliter, quàm S. *Iuvani* lapidem vulgus, à Majoribus nomine accepto, appellat. Ajunt antequam *Skalensem* illam rupem *Iuvanus* incoleret, hîc perdiu commoratum, orando DEO, dies noctésque exegisse: Ejus rei indicia in lapide visuntur non pauca: ita inprimis manufacto opere (nisi divinitus miraculóq; id factum interpretari velis) lapis discedit, ut altero in loco jacere commodè, in altero, si lubeat, sedere & legere, alio item orare possis: Saxi cavitas, ubi jacetur, caput admittit; tum brachiorum loca, crurium, & pedum ad commoditatem dormientium inflexo nonnihil femore; idem in sessione animadvertitur. Summa ubique jacenti aut sedenti præbetur commoditas, ut probavi; ad justam hominis magnitudinem totum illud negotium conformatur. Hæc de scopulo *Bitizensi*. Ejusmodi rupes vestigijs Divorum signatas quàm plurimas habemus: S. *Adalberti* & orantis & jacentis vestigia multis in locis videmus ad *Nebylowium*, ad *Neratovicium*, ad *Nepomucum*, & in ipsa Ecclesia arcis *Zelenohoræ*, alibíque; *Divi Wolfgangi* ad *Chudenicium*, *Guntheri* ad *Pivvonkam*. Celebre antrum est S. *Procopij Pragâ* uno milliari, quod ego etiamnum puer subivi; in eo hospitabantur Cacodæmones, quorum legionem Christi ope fugavit *Procopius*, Dæmonum fugientium, & evolantium signa per rupes & foramina hodiéque notantur. Alia quoque hujus Sancti Abbatis antra per *Bohemiam* visuntur; quorum unum rupes habet sulcatas, cùm Vir Sanctus *Cacodæmonem* arare jussisset; sed hæc quia naturam superant, historiæ Naturali parum congrua, hoc loco prætereo. Antrum ab Arce *Carlstein* non ita procul, trecentis passibus, ostensum mihi ab incolis est, *Lemurum & spectrorum* umbris infame, narrántque Piscatores (qui eâ parte fluminis totam sæpe noctem in aquis ducunt) videre se terribiles visu formas, ac præcipuè *Dracones* ignem vomentes, qui petras illas aut circumsistant, aut locum commutent, aut corpus longissimum per saxa trahant, cum ingenti saxorum cadentium strage, ac totius penè naturæ, stirpium, arborúmque gemitu, ac tumultu, quo spectaculo nihil sit tristius; existimo malos Dæmones in ijs cavernis regnare, & cùm fracti sint

S. Iwani antrum ad Bitiz.

S. Adalb- ti vestigi

S. Wolfg- gi.

S. Proco-

Antrũ Ca- rolsteinen- se.

sint *Christi* regno superbissimi spiritus, velle tamen aliquid videri, & posse.

e Antris bterranead Skaliım.

In *Cavernarum*, in quo nunc versamur genere, nihil Bohemia habet *Skalicensibus* cavernis illustrius: totus ille in Provincia Reginohradecensi tractus, inter *Nachodium & Jaromirium* (ubi *Skalice* urbecula visitur) plenus est cavernarum, & cuniculorum, quos natura, non ars, paravit; obcæcatos esse specus quosdam, dum illac iter haberem, animadverti, sed facilè pauculis saxis remotis aditum inveneris; Codices veteres Manuscripti tradunt, cavernas *Skalicenses* tam amplas esse, ut integros Exercitus capere, & occultare possint, idque bello Taboritarum patuit Anno 1424. 6. Januarij: nam Catholici in ijs specubus abdiderant armatos, & cùm illac *Zißka* Exercitum duceret, certâ spe victoriæ, ex insidijs sunt aggressi; hos *cunicularios Nobiles, Rosacinus in Zißcæ Elogio* vocat, ut in *Vita Arnesti* narravimus; vide etiam Epitomen nostram l. 4. c. 9. initio. Primarij Catholicorum Duces *Joannes Miesteczky*, *Puta Czervvenohorsky*, seu *Czastolovicius*, & *Ernestus de Kaczovv* (ab eadem cum *Talmbergicis* origine descendens) nominantur; de *Jaromiriensi* ambitu sub terram procul eunte, postea suo loco dicemus.

Epitome historica Boh. nostra l. 4. C. 9.

Vita Arnesti l. 3. C. 6. in Notis.

L. III.

,(+)*,*

CAPUT XII.

An sale careat Bohemia? olim Hallis è Saxonia Salem à Majoribus nostris petitum. Sale non prorsus destitui Bohemiam. unde salis inopia Nobis?

anæ & Binæ fontes lis.



Magnificè *Gabriel Bucellinus in Nucleo historico* de Bohemia scripsit: *Bohemiæ* inquit, *ajunt nihil deesse præter Salem; atqui Sal ingenijs non deest, &c.* Salem Majores nostros *Slanæ & Bilinæ* effodisse, vetustissimorum Annalium fide constat; hinc Urbi *Slanæ* nomen, quasi *salsam* diceres; *Bilinæ* hodiéque putei salinares monstrantur; at quia genti universæ Sal domi natus sufficere non poterat, *Hallas Saxoniæ* primitus respiciebat *Bohemia*, atque inde plurimis sæculis *Salem* petebat; *Hallæ* ipsæ veteribus Bohemis Dobro-Sůl id est *bonus Sal*, vel *Urbs salis* appellabantur; quâ necessitate pressi Principes nostri, *Hallas* belli jure occupare aliquando tentârunt, ut de *Przemyslo* I. Principe in Annalibus legimus. *Dresserus* narrat: *Ridacum Comitem Merseburgium*, cùm absque hæredibus moreretur, *Ottoni Magno* Imperatori Salinas suas in pago Dobrosoël (Dobrasůl scribere oportebat) ubi nunc Urbs *Hala* est, tradidisse, quod factum apparet A. C. 945. At hæc longè posteriùs acta sunt, cùm meliores historici *Przemyslum* circa Annum 499. vitâ excessisse demonstrent; hinc tamen intelligimus, cur *Hallas* Bohemi in Antiquitate, *Dobrosul* vel *Dobrasul* nuncupârint. De Slanensi salso illo puteo *Zacharias Theobaldus Stankoviensis* seu *Slacckenvvaldensis* (de quo illud dicere possis: in *Arcana Naturæ facundum misit ingenium*) narrat: se Anno 1607. *Slanam* ad salis fontem accessisse, & curiosè inspexisse; scatere fontem ad dexteram cùm *Pragâ* venitur; *Portam Pragensem* appellari; aquas putei esse candidas, & lactei coloris; tum se familiariter à Civibus quæsisse: quid ita cessarent? cur fontem squalere, & vanescere sinerent? *Syndicum* Urbis pro omnibus reposuisse: venas salis

Veslav. in enealog. Du- Bohemiæ.

resserus in agog. histor. Merspurg.

Theobald. l. de Arcanis Naturæ sect. 1.

terræ motu aversas; ac perijsse hujus rei vetera documenta. Hæc ille, quod responsum mihi inutile & prorsus ridiculum videtur: quasi re præsente, antiqua documenta expectanda sint, & cùm rem manu teneas, legere prius libros sit opus. Idem *Theobaldus* alio in libro affirmat; *Slanensem* salis fontem, dulci aquâ insinuante sese, corruptum, *Salem* syncerum non evehere, ac nec istud ratione aliquâ dictum videtur: non enim salem paratum quærimus, sed fontem, cujus aquæ per artem siccatæ, salem nobis relinquant.

In Hussiticis P. 1. C. 61 & P. 3. C. 31.

Salsus fons ad Aussowitz.

Jam ad Pagum *Außovitz*, qui est in ditione *Teplensis Præmonstratensium Cœnobij*, emicat salsus fons inexhaustis & abundantibus venis; salem ex eo probissimum, aquâ per artem, vel Solem siccatâ & duratâ, confici posse, & olim confectum esse, constat inter vicinos omnes, agnovítque & Cæsar *Ferdinandus I.* qui *Pragâ* missis Cursoribus aquam hanc salis in Lagenis ad se deportari jusserat; deprehensum est: *Salem* esse qualis optari posset, purissimum, vigoris ut ita dicam, experrecti, ad hæc nivei candoris. De toto hoc negotio extant in Cænobio Cæsaris *Ferdinandi* literæ, ut affirmat Religiosissimus & studiorum meorum amantissimus Vir *Aloysius Hackenschmidt* in suis ad me nuper datis; addit rem sibi & Cœnobio notissimam: *ante proximos,* inquit, *hosce duodecim annos, Parochus in Brunnersdorff rerum istiusmodi peritissimus, ex hoc fonte Salem conficere cœpit, interversum negotium à profanis quibusdam hominibus, qui nollent aliquos sine se ac suis crescere; caussabantur illi præcipuè difficilem liquationem, quòd Fodinæ stanni, silvis ad urendum salem versis, ligna necessaria habituræ non essent, ac proinde lucrum sibi paratum ex manibus ereptum iri.* Hujus porrò fontis meminit etiam in sua Haliographia *Joannes Töldenus,* qui insuper adjicit fontem hunc salis ad quandam *Silvam* ingentis magnitudinis jacere; quasi Natura ipsa doceret, quid agendum sit, & pabulum urendo sali subministraret. Ab Urbe Regia *Cadana* eodem *Töldeno* indicante, uno milliari non ampliùs, pagus est notissimus *Herßevvicz,* quem cùm *Töldenus* hæc (Anno 1603.) scriberet, Familia Equestris *Schandevicia* ditione tenebat, ponè quem venæ salis exiliant, atq; inde non procul aliæ spectentur & gustentur in *Pietipeskiorum* Equitum solo.

Salsus fons ad Cadanā.

Alios fontes *salsos* in Boleslaviensi Provincia in loco *Hradißtie* appellato (Germanis **Münchgretz**) tredecim Pragâ milliaribus apparere, idem Scriptor affirmat, ut qui *Bohemiæ Regnum* omnino sale destitui scripserunt, clarissimè refellantur. Ad *Reginæ Curiam* in Reginohradecensi Provincia salis quoque fontes repertos affirmat *Stransky.* Et quanquam *Sal* domi nobis non nasceretur, *Natura*, quæ ut videbimus, *Bohemiæ* nostræ noverca non fuit, providit solerter, ut *Salem* ex proximo petere possimus: nihil de *Sale Hallensi*, nihil *de Polonico*, nihil de illo qui ex Emporijs superioris *Austriæ* magnâ copiâ, secundo Moldavâ *Pragam* devehitur, dicam: *Svvidnicium* in Silesia Provincia Coronæ Bohemicæ, Pagum habet uno milliari ab Urbe dissitum, quem ex re ipsa **Saltzbrunn** dixère Majores. Ad *Wratislaviam* pagus *Bracke* Wratislaviensis Ecclesiæ & Capituli ditio, fontem habet, in quo salis venæ attolluntur copiosissimis laticibus. *Erlebach* pagus est *Egrâ* milliarijs tribus Equitum de *Dossen*, & in eo fons salsus, ad quem circa Annum 1570. stetisse officinas salis complures, idem Scriptor testatur. Sed mihi nulla gratior narratio esse potuit, quàm nupera Viri ex Societate nostra gravissimi, qui in paterna sua ditione in *Prachensi Provincia* quindecim *Pragâ* milliaribus ad Nehossovicium, Montem stare *salis terrei* (qualis *ex Polonia ad Silesios* vehitur) plenissimum mihi significat; eum salem se suis

Salsus fons ad Hradißtie.

& ad Curiam Reginæ.

In Republ. jem.

Item ad Swidnitz & Wratislaviam.

tum ad Egram.

Sal terrei ubi.

ſuis oculis vidiſſe, manu tractaſſe, & guſtaſſe religiosè affirmat; eſſe Sal merum, cujus partem Ovibus expoſitam illæ totam delinxerint. Quam verò ob cauſam foſſionem ſalis hujus Dominus abruperit, dicere, operæ pretium non eſt. Ex his quæ modò attuli luculentiſſimè patet: *Salem* vel in ipſa *Bohemia*, vel prope nos, ad omnem cœli plagam excreſcere, aut effundi. Hæc ipſa ſalis inopia fœcundæ Telluris (cùm adſunt alia) non leve præbet indicium; unde in Pſalmis legimus: *poſuit terram fructiferam in ſalſuginem, propter malitiam habitantium in ea*, rectéque *Abulenſis* conveniens fuiſſe exiſtimat, ut Deus tum maximè humanæ vitæ menſuram poneret, cùm eſſet aquarum diluvio tumulaturus Orbem; ſiquidem *ex diluvio diminutio humanæ vitæ naſcebatur; nam ſuperficies terræ*, ut ait noſter Pererius, *in qua erat magna vis germinandi, diluvij aquis abraſa eſt, quódq; majoris fuit momenti, aquæ ſalſæ Oceani per omnem terram permeantes, virtutem ejus corruperunt, etenim Sal terram ſterilem reddit.* hæc *Pererius.* Itaque DEUS (quod poſtea domitores Urbium feciſſe in hiſtorijs leguntur) iratus *univerſæ carni*, quæ *corruperat viam ſuam*, effuſo Oceano, & cæli cataractis apertis, ſale fœcunditatem Orbis imminuit. Nos domum in *Bohemiam*, quæ nullo aut permodico ſale gloriari poteſt, redeamus.

al ſterilitas argumẽtum.

Pſalm. 106.

Abulenſ. in C. . Geneſeos.

Perer. Tom. II. in C.6. Geneſ.

NOTÆ IN CAPUT XII.

De fonte ſalis ad Auſſawitz.

Feceram in hujus Capitis contextu de fonte ſalis ad Pagum *Auſſavvitz* mentionem; addidi: *Ferdinandum* I. Bohemiæ Regem Abbati Teplenſi *Antonio* negotium commendaſſe, &c. Item noſtrâ memoriâ conſilium hoc ſalis renovatum eſſe, quod tamen poſtea ceciderit, interim Amicus quem ante nominavi, cum quo mihi ab annis propè quadraginta neceſſitudo intercedit, & *Ferdinandi* Regis literas, & ſuum de toto negotio ſenſum tranſmittit; haſce viri amantiſſimi & optimè de ſtudijs meis meriti literas perire nollem; itaque recitabo, ut ſtatum rei bene inchoatæ, & malè finitæ Lectores intelligant.

Ferdinand von Gottes Gnaden / zu Hungarn vnd Böheimb König / Infant in Hiſpaniem / Ertz-Hertzog zu Oeſterreich / Marggraff zu Mähren.

Ferdinandi I. hac de re litteræ.

ANdächtiger getrewer Lieber. Vns hat Chriſtoff von Gundorff vnterricht / welcher maſſen du jhme angezeiget / daß du auff deinen vnd deß Convents zu Töpel Gründen einen Saltz-brunnen / wie du dich beduncken laſſeſt / haben ſolleſt. Vnd dieweil wir dann bedencken / daß wir vns vnd vnſerm Königreich zu Böheimb / nicht kleinem Nutz vnd Fürderung durch ein Saltz-bergwerck / oder Saltz-ſieden auffrichten möchten; Demnach empfehlen wir dir mit ernſt / vnd wollen / daß du ohn verzug fürderlich / dieſen gegenwärtigen vnſern Cammer-Bothen / zu demſelbegen Saltz-brunnen zu führen verordneſt / vnd jhme gelegenheit der ſachen deines wegs vorhalteſt / davon ſoll er waſſer in Flaſchen ſchöpffen / vñ vns weiter zu vnſerer Notturfft zu verſuchen vnd zuermuſtern überantworten. Daran thueſtu vnſere ernſtliche Meinung. Geben auff vnſern Königlichen Schloß Prag / am XXVII. Tag Aprilis. Anno 1528. Vnſer Reiche / im andern.

Ferdinand

Vidit Joannes de Wartemberg.

Ad Mandatum Regiæ Majeſtatis.

D. Zabka Secretarius.

In dorso literarum appressum Sigillum Regium cum inscriptione:

Dem Andächtigen vnserm getrewen lieben Antony Abte zu Töpel.

His addit Vir Religiosus, & Amicus, quæ subjicio:

PRæmissam Copiam ex ipso Originali propriâ manu descripsi. Quis autem rei successus, & an tunc Sal confectus, non reperio expresè notatum; vestigia tamen, & rudera in fonte satis amplo & profundo restant, è quibus nostrates colligunt, olim ibi Salem fuisse coctum. Interim hîc advertendum, quòd paulò post Ferdinandus I. illa Bona, scilicet Dominium Einsidlense cum 20. pagis, inter quos Aussovvitz, ubi Salina, proscripsit, more illorum temporum vicinis Pflug Dominis in Betscha & Schlakenvvald pro 10. M. ßß. primò ad sexennium, deinde ad dies vitæ. Quâ occasione utique dictum opus suspensum fuit, supervenientibus etiam Bellis: & licet dicta Bona, devictis hostibus & Rebellibus, inter quos Casparus Pflug ex liberalitate Ferd. I. ad Monasterium redierint, hodieq; sint nostri Juris; non tamen lego in veteribus chartis, quas pridem diligenter eruderavi, revolvi, & excussi, quòd subsequentibus annis idem opus denuo fuerit tentatum. Nostris autem temporibus scilicet 1665. insinuavit se quidam secularis Sacerdos, D. Joannes Cyriacus Tonner, ante hac Parochus in Brunnersdorff, *ut patet ex copia literarum, quas dicto anno 17. Octobris D. Georgius Fabianus* Schindter, *Supremus Officij Schlackenvvaldensis Administrator, vulgò* Ober-Ambts-Verwalter *(absente Reverendissimo Domino Abbate Raymundo, quocum tunc eram in Cursu visitationum Monasteriorum Ordinis nostri in Moravia) scripsit nostro Capitaneo, prout sequitur:*

DErselbe wird zweiffels ohne guter massen verständiget seyn/ welcher gestalt (Titul:) Herr Johann Cyriacus Tonner/ gewesener Pfarherr zu Brunnerstorff/ auff der Herrschafft Töpel/ vnweit deß Dorff Auschawitz/ ein Saltz-brunnen erfunden/ auch bereit bey der Röm: Kays: auch zu Hungarn vnd Böheimb König: May: Unsern Allergnädigsten Herrn/ als ein beständhafftig Werck angebracht. Wañ dann ein/ vnd anders zubeaugenscheinigen Prob davon zunehmen/ mir allergnädigst befohlen/ vnd Commission aufgetragen. Welchem gehorsamlich nachzukommen/ ich den 26. diß nebst ermeldten Herrn Tonner dahin zugelangen angestelt: dahero solches dem Herrn ingleichen wissentlich mache/ sich zubelieben an bemeldtes Orth ohn Beschwer mit zuverfügen/ die Außweisung der benöthigten Revier mit zubeobachten/ auff daß so dann in allen weitere Ordnung gepflogen werden/ vnd mein gehorsamen Bericht beschleinigen könte.

Instituta igitur Commissio, visa & probata aqua, confectus Sal, usibus consvetis adhibitus, prout ipsemet vidi & contrectavi. Qualem verò relationem supra dictus Administrator ad Regiam Cameram formaverit, ignoramus. Illud opponebatur, quòd salina habeat annexam aquam ferinam vulgò Wild-wasser, *quæ sine magnis sumptibus sit inseparabilis. Item dicebant Schlakenvvaldenses tale opus in his partibus erigi, & practicari non posse, nisi cum grandi jactura stanni fodinarum, quibus promovendis deficerent ligna convertenda in salis coctionem. An autem majus lucrum Bohemiæ accrescat per stannum an per salem? Quæstio est, quam sagaciores resolvant. Crederem esse pro laude Patriæ, ut ipsa salem pareret, quàm ut alieno nutriatur. Sed obj-*

Caussæ cu fons salis destitutus sit.

obyciunt: hîc non tam spectari, quod honestum & laudabile, quàm quod lucrosum est: ajunt enim, salem in Bohemiam allatum, per Telonia quotannis multa millia importare; quod in coctura salis fieri non posset. Utut sit, Teplensibus sufficit gloria, quòd B. Hroznata fundaverit terram salis feracem. Hactenus Religiosissimus, idémque Doctissimus Vir P. *Aloysius Hackenschmidt* ex Cœnobio Teplensi.



CAPUT XIII.

De auri copia apud veteres Bohemos. quando primùm apud nos aurum signatum. D. Wenceslaus in auro Bohemico. Origo auri arenarij.



Salis in Bohemia penuriam omnibus alijs metallis Terra compensat; tantáque auri copia *Carolo* IV. regnante in Bohemia fuit, ut An: 1370. *Carolus Imperator*, cùm eum *Electores* extrahere *Bohemiâ* missis Legatis cuperent, gloriatus sit: se posse *Turrim Arcis Pragensis* universam Auri & Argenti facti, & infecti acervis & cumulis obsipatam contegere. Prima apud nos *Libussa* Princeps aurum signavit: imago erat parte unâ *Solis* lucidissimi (ut metalli hujus præstantiam & à Sole originem ex Philosophorum sententia posses cognoscere) parte alterâ, *Libussæ* lucebat effigies; sedebat in humili sella, capite sic ornato, ut dominantem quisque conjiceret, sed colum non procul à sella, & ad manum habebat. Prima auri in Bohemia inventio juniori *Croco* debetur. *Boleslai Fratricidæ* temporibus auri & argenti plurimæ emicuêre venæ, auréique & argentei *Equuli* (gaudet enim metallorum natura ejusmodi lusibus, & in mortuis Mineris imitatur viventia, ut earum rerum curiosi docent) *Equuli*, inquam, in fodinis reperti ad spectaculum omnem *Bohemiam* adduxêre; ejusmodi argenteum Equellum sine arte effictum, *Wissehradi* in Arce sua *Boleslaus Sævus* videndum proposuit; inde admonitu cælesti & Fratris viso, frugi redditus, in aureis & argenteis Nummis majoribus *Divi Wenceslai* effigiem exprimi jussit, mansitque ea consvetudo *Divi Wenceslai* effigie aurum signandi ad patrum usquè tempora, vidimúsq; Nummos ipsi Aureos (quos *Ducatos* vocant) adhuc sub *Mathia Rege* & Imperatore cusos, *Sancti Indigetis* nostri *Wenceslai* præferentes imaginem. Sed de Moneta Bohemiæ, ejúsque differentijs ac speciebus, alius erit dicendi locus.

[Margin: Caroli IV. gloriatio de auro Bohemico. Pontanus l. 1. Bohemiæ Piæ. Hagek ad A. 16. & 725. & 1040.]

[Margin: Auri numi Libussæ.]

[Margin: Caussæ cur fons salis destitutus sit.]

[Margin: Hagek A 941]

[Margin: Equulus aureus Ducis Boleslai.]

[Margin: D. Wenceslai effigie Aurum signatum.]

Aurum probatissimum est *Plinio*, & laudatissimum, quippe *obryzum*, quod nihil arti debeat, illud nimirum: quod ex rivulis & fluviorum arenis colligitur (ψήγματα Græci vocant, *Adulationem* veteres Romani) hoc quoque primæ notæ *aurum* tot locis apud nos olim lavabatur, & percolabatur, ut ab ejusmodi arenæ cumulis jam ab auro secretis & separatis, per multa milliaria ripæ fluminum excreverint, Urbésque integras hic labor quondam occupârit; hinc *Pisek* (id est *Arena*) Civitas dicta, & *Sussice*, quasi *Siccatio & Siccatura*, quòd ibi aureæ arenæ, & auri purissimi ramenta quærerentur, lavarentur, & siccarentur, quâ ipsa de caussa *Thomas Mitis* Vir ætate suâ inter Bohemos eruditione clarus *Pisecam* Urbem *Hammoniam* appellat. *Watava* fluvius per medium *Prachensis Districtûs* lucidissimis, & per-

[Margin: Amnes auriferi.]

perſpicuis aquis labens, omnium Bohemiæ fluviorum, quantum ad aurum, & conchas margaritis gravidas, ditiſſimus cenſetur; ſunt alijs quoq; rivulis ex aureis arenis divitiæ (ut ad *Przibramum*, alibíque paſſim) at *Watavæ* concedunt omnes. Noſtra ferrea ſæcula aureo hoc labore, aureis Majorum ſæculis uſitato, arenas lavandi, minimè tenentur, ſæpius jam aureas arenas, & inauratos fluctus, humano tabo, & luto ſangvinis maculatos viderunt & horruerunt; certè *Piſecæ*, ubi maximus olim erat aureæ arenæ proventus Anno 1619. tantâ rabie in cives, & quidquid virilis ſexûs reperiri potuit, ſævitum eſt, ut per totam Urbem ex cæſorum aliquot millium corporibus rivi ſangvinis profluerent, & vicinos tres fluvios *Watavam*, *Blatniciam*, & *Muldavam* fœdum in modum colorarent. Sed de *Aureis Arenis* (quod cœperam dicere) in *Montibus Giganteis*, tanta eſt auri arenarij copia, ut olim per aliquot milliaria nullum alium *Incolæ* Veteres Bohemiæ laborem, quàm arenæ cribrandæ, & auri lavandi habuiſſe videantur; natíque ſunt exinde plurimi pagi, villæque, ut ipſum indicat nomen: *Seüſſen*, *Hermanſeüſſen*, *Brunnſeüſſen*, & cœteri, ut nuper in tractatione de Giganteis monuimus. Ipſi porrò *Montes* in pratis ſuis ac vallibus tot rivis aureis exuberant, ut reliquam *Bohemiam* univerſam his arenarum divitijs, meritò provocare poſſint; de quibus ſuo loco. Multum verò referre, quò ſe fluvij, aut rivi auriferi vertant, unde emanent, ubi & quâ parte radices montium alluant, docet *Georgius Agricola* in fine libri 3. *de re metallica*, quem ut curioſi rerum iſtiusmodi legant, ſi in hac arte proficere velint, magnopere ſum author. Sed unde illud, quæſo, *Arenis aurum* accedit? an ea eſt telluris bonitas, ut ignobilibus arenis ſemina auri permiſceat? an arenæ calore ſuo auri ramenta, ſcobémque illam auream, fovent, educant ac maturant? *Athanaſius Kircherus* nodum hunc diſſolvit, cujus verba ſubjicio: *Experientia* inquit: *docet in Tirolenſi Principatu, & in Bohemia, Saxonia, Ungaria, & denique in omnibus illis regionibus, in quibus montium uterus Auro gravatur, ibidem & Rivulos auri ramenta ab Auriferis venis abraſa, areniſque mixta oſtendere.* Subſcribit *Athanaſio* ipſa noſtrorum fluviorum, qui aurum vehunt origo & nativitas, qui omnes ſub ijs montibus oriuntur, quos auro Natura donavit.

Auri ab arena ſeparationes & lotiones intermiſſæ.

Unde Arenæ aureæ.

Kirch. in mundo ſubterraneo Tom. I lib. 3. ſect. 2. C. 3.

CAPUT XIV.

Conſignantur quidam Bohemiæ Amnes auriferi, & rivuli à ramentis & arenis aureis in antiquitate notati. De auro albo.



Atavvam amnem Prachenſis Provinciæ fluvium, principatum hoc in genere obtinere, & regnare, jam dixi; hunc, longo tamen intervallo *Iſera* vel *Giſera* fluvius ſequitur, etiam ipſe gemmarum piſcatu nobilis, & aureas arenas vehens, quas ex *Montibus Giganteis* auriferis deſcendens abradit; labitur per Boleslavienſem Provinciam, & cùm ſe *Turnovio*, *Hradiſſtio*, *Juniori Boleſlaviæ* propinaſſet, ſub amœniſſimis montibus ad *Brodcze* & *Benatek*, tandem ſupra *Boleslaviam veterem*, *Albi* majori ſe commiſcere auſus, ab eodem devoratur, & nomen amittit. *Muldava* quoque (nobis *Wlta-*

Watawa.

Giſera

Muldava.

Wltava) fluvius, etsi his longè clarior & aquis superior, opulentiâ minor est, reperiri tamen in eo & gemmas & aurum testatur *Anselmus*, sed *Iseram* illi anteponit, idque ipsum satis ostendunt tot arenarum cumuli in *Iseræ* ripa ex auri lotione & secretione relicti.

nselmus in bris de Gemis.

Albis fluviorum nostrorum Rex, & *Regnator aquarum* ex meditullio *Cerconossiorum* montium emissus, aurifer est; sed ob alvei profunditatem, & quòd accessu plurimorum fluminum & amnium incerta sit omnis illa, quæ adhibetur auro, probatio (modò enim humilis & modestus, modò tumidus & elatus descendit) & in ripis incommodè aditur, & omnem aurilegorum conatum in elutione perturbat. ob hanc fœlicitatem lavandi, rivuli & fluvij minores in Bohemia, habentur auri feraciores præ fluvijs majoribus, qui nimirum arenas suas examinari non permittunt.

lbis.

Unde Ar... næ aureæ.

Kirch. in m... do subterr... neo Tom. I... 3. sect. 2. C.

Ad Arcem *Tetinam* (*S. Ludmillæ* Martyris & *Borzivogij* Ducis primi Christiani habitatione claram) ad *Tetinam* inquam, in rivo præterlabente, qui se statim in *Misam* fluvium immergit, maximæ inter arenas auri divitiæ colliguntur.

Rivulꝰ Tetinensis.

Ex montibus argenteis *Przibramensibus*, & inter eos montes, nati rivuli (licet argento montes illi, non auro graventur) plurimũ auri vehunt, ut quotidiana experientia, & antiquorum hominum labores ostendunt. Inter *Bergreichensteinam*, & *Sussicium*, inter *Planam & Königsvvartam*, inter *Przisesznicium & Cadanam*, inter *Tollenstein & Gabel*, inter *Dubam*, *Reichenbergam*, *Wysokam*, *Gilemnicium & Cerconossios*, omnes propè eorum locorum rivuli auro scatent; in summa, quisquis ex montibus nostris auriferis, imò & argentiferis Rivus emanat, idem (ut experientiâ deprehenditur) aurum vehit, quódque mirere, ipsa fluvij aut rivi superficies, sereno & æstivo Sole quiddam in fluctibus ipsis refert auri, vel argenti simile, ut oculorum fide discimus. Jam ad rivulos veniamus: ad *Brixiam* (quà ex urbe in silvas iter est) rivus *Bernsbach* dictus, grana auri probatissimi volvit.

Rivus Przibramensis.

Alij plures auriferi rivuli.

Muldav...

Bernsbach.

Ad *Przisesznicium* celebris apud Incolas Mons *Spitzberg* procul eminet, quo superato Pagus *Rosnitz* nomine visitur & ponè rivus, in quo glareæ & arenæ aureæ maximâ copiâ volutantur, & eruditas ad lavandi laborem manus expectant.

Rosnitz.

Inter *Presnitz & Krantzigel* ignobilis ad aspectum rivus est ab Incolis *Rotterell* appellatur, ponè Arbor superne truncatis ramis ad Coronæ regiæ effigiem conformata; ex eo rivulo nigerrima grana colligi solent, quæ explorata per artem, & incudi imposita splendorem accipiunt, & *auro Arabico* bonitate æquiparari possunt.

Rotterellꝰ.

Ad arcem dictam *Königsvvartham*, quà ad Ecclesiam illius loci, ac deinde ad prædium via ducit, rivus præterlabitur, qui nigra probatissimi auri grana in alveo suo continet; ac rursus ab eadem arce dimidio milliari saxum *Borstenstein* accolarum ductu indicatum, dextrâ parte rivum viatori ostendet, nigris itidem granis in alveo refertum, quæ *Ungarici auri* probitatem adæquant. Ante *Wolckensteinum* ad *Annabergam* pagum, rivus profluit, qui *auri rhenani* depurati grana inter arenas ostentat earum rerum peritis.

Uno à *Commotovio* milliario post pagum *Hem* appellatum, trivio superato, arcis cujusdam ruinæ visuntur, juxta quam tot arenæ probatissimi auri granis permixtæ & lotione frequenti per artem secernendæ reperiuntur, ut permirum sit loci Dominos cessare. Consultò graves ob caussas, nomina locorum & Dominorum prætermitto: sunt consignata apud me facilè septem loca per eam viciniam, rivique auri ramentis refertissimi, tantâ solertiâ & claritate indicati ab homine peramico, ut ipsas arbores, ac lapides quâ parte prætereundi sint, nominet, & ipsos passus annumeret; rivuli quidam ibi sunt subter terram labentes, qui

Rivus post Pagum Hem.

qui vix auriculâ telluri admotâ ſtrepentes & fluentes percipiuntur; in ijs rivulis tenebroſæ & nigræ glareæ obryzum dant aurum; Aurea hæc vicinia etiam *Venetis* ad nos venientibus nota eſt, & locum hunc *duo Regna*, ob divitias arenarum auri, nuncupare ſunt ſoliti.

Duo Regna in Bohemia locus dictus.

Brunnerſdorff.

Propè *Brunnersdorff* ad *Egram* fluvium & montem (*rubrum* appellant Incolæ) certo in loco, quem accuratiſſimè deſcriptum habeo, in fluminis alveo, ac ſi ibi cuſa forent, auri ramenta colligi ſolent, ſed niſi oculos eruditos adferas, fallet te color, quem nigrum, aut cinereum videbis.

Tollenſteinenſe aurū.

Poſt *Cerconoſſios* montes, quos Arenarum aurearum copiâ eminere inter omnes conſtat, *Tollenſteinenſes* montes, atque ipſe mons cui Arx vetus *Tollenſtein* impoſita eſt, ab omni retro antiquitate ab auro celebrantur. Ante ipſam arcem *Tollenſtein* fons emicat cum aquis auri probi grana profundens; præſertim ultra eum locum in depreſſa convalle, quam **Meiſſengrundt** appellant. Vide plura C. XVIII.

Saxum Vogelſtein.

Non procul inde ſaxum dictum *Vogelſtein* lucet, in cujus, ut ita dicam, conſpectu auri venæ ſaliunt, quas multæ arbores, pinea præcipuè, multis cæſuris & *Epiſcopi* capite inciſo ſignata monſtrabunt. *Scheberlin* vel *Steberlin* collis eſt ad *Tollenſtein* pallio Matronali perſimilis, in quo & circa quem *aurum*, *argentum*, *corallia*, *ſaphiri*, aliique pretioſi lapides multis in locis & in ripis, & in rivis ſubter humum tacitè fluentibus ingenti copiâ reperiuntur. Hactenus de arenis aureis narrationes, quas à *Prziſeznitio* facto initio ſe obiviſſe Amicus quidam meus mihi narravit, & ſcripto complexus eſt: nolim ejus fidem in dubium revocare; ſi quis tamen hæc dubia & incerta eſſe clamârit, ego non repugnabo magnopere: nihil enim aliud propoſitum mihi fuit, quàm rivos aureos, quos ab idoneis Scriptoribus conſignatos inveni, legentibus indicare, ſed fides ſit penes authores.

Aurum album.

Aurum album (argentum eſſe jurares, niſi pondus, & quædam tamen fulvedo per metallum fuſa aliud ſvaderent) album aurum, inquam, in *Cerconoſſijs* montibus effoſſum, vidi non ſemel; Illuſtriſſimus Vir, qui adſtabat, locum nominavit, ubi ejuſmodi fodinæ proſtarent; locum recordari non poſſum, ſed *Pragâ* non ita procul in antro quodam repertum, & ad ſe allatum affirmabat Illuſtriſſimus & Doctiſſimus Præſul *Joannes de Talmberg* Epiſcopus Reginohradecenſis.

CAPUT XV.

De Fodinis Metallorum in Bohemia, quas Libuſſa Princeps vaticinando prima patefecit. Przibramenſium, Gilovienſium, Krupnenſium, Cuttnenſiúmque Montium divitiæ. Bohemiæ Populus olim in Aratores, & Foſſores diviſus. De Automate ad Przibramum. Aurum Gilovienſe miraculo repertum, & Stannum Crupnenſe. Bohemiæ Reges habuêre ſemper Jura Fodinarum. Fodinarum deſertio quàm noxia Regno Bohemiæ acciderit.

Galeott. l. de doctrina promiſcua C. 14.



Etallorum genera *ſeptem*, totidem *Planetarum* nominibus, & figuris, omnes uno conſenſu Eruditiſſimi homines exprimunt, & diſcernunt, quòd ſcilicet à Planetis in naſcendo & creſcendo pendeant, ut *aurum à Sole*, *argentum à Luna*, ſic cætera quoque metalla à ſuis quæque ſideribus

[Margin: Planetæ cœlestes in Bohemiam liberaliter influere videntur.]

ſideribus, aut procreentur, aut maturentur; neceſſe eſt igitur magnam, & potentem eſſe in *Bohemiam* ſiderum vim, & influxum (quod in Epiſtolis *Tycho Brahæus* animadvertit) cùm omnia metalla in tellure noſtra gignantur, & ſideribus ſuis quæq; naſcendo reſpondeant. Utut ſit, *Lynceus* ideo in fabulis *oculatus* fuiſſe dicitur, quòd primus venas auri, ac metallorum invenerit, eámque artem docuerit: vel *ſub terra videre.* Eleganter de venis metallorum *Seneca*: *Placet naturâ regi terram, & quidem ad noſtrorũ corporum exemplar, in quibus & venæ ſunt, & arteriæ, illæ ſangvinis, hæ ſpiritûs receptacula, & quemadmodum in nobis quædam, quæ matura darentur; hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentúmque petit Avaritia.* Huic *Senecæ* dicto, & venarum ſimilitudini inædificatur aliud, quo quidam (an ſatis magnificè & philoſophicè neſcio) pecuniam, *alterum ſangvinem* appellavit, ob quam velut pro vita & ſangvine pugnatur. *Lyncei* apud nos exemplum prima renovavit *Libuſſa* vates & *Sibylla Bohemiæ*, quæ cùm familiariſſimè Dæmonibus uteretur, ſuæ illius *ranæ aureæ*, quam ſemper manu tenebat, ut ſic dicam, auſpicijs, præcipuas *Bohemis* ſuis auri & argenti fodinas indicavit. Vaticinium ad verbum ex *Coſma* & cæteris ſcriptoribus pridem in S. *Montis* hiſtoria retuli, fidem oraculi, quæ conſecuta *Libuſſam* ſunt ſæcula impleverunt: nam & *Przibramenſes* fodinæ & *Gilovienſes & Cuttnenſes & Krupnenſes*, indicante *Libuſsâ*, quædam brevi, quædam longo pòſt intervallo, ſunt apertæ. *Przibral*, qui *Nezamyſlo* Bohemiæ Duci ſororem in conjugem dederat, poſt vicenos duos à morte *Libuſſæ* annos *Przibramenſibus* fodinis initium, & nomen à ſe dedit; longa eſt hiſtoria, longi ambages, conſulatur *Hagecius*, & ſi is ad manum non eſt, noſtra S. *Montis* hiſtoria, ubi & foſſiones illas & foſſorum cum *Horimiro Dynaſta* capitales inimicitias, & *Equi* volantis ex *Wiſſehradenſi Arce* ſaltum magicâ arte perfectum, & alia quæ huc ſpectant, narravi. Certatim & alij Proceres ac Dynaſtæ, tum ipſi ex ordine Duces, auri & argenti venas quæſière, & inventas, fælici ſucceſſu invitante, excoluêre, ſic ut univerſæ Bohemiæ Populus (Nobilitate & militaribus viris exceptis) in duo olim genera divideretur, *Aratorum & Foſſorum*; ac ſæpiſſime accidit, ut in *Bohemia* fame laboraretur, (quod ex Annalibus conſtat) propterea, quòd argenti & auri fame ſtimulati, relictis ſqualentibus agris, ipſi ſibi incolæ famem alteram manufacerent, mallèntque ſeſe auro, & argento, quàm cibis exſatiare. Ex eo jam tempore *Przibramenſes* fodinæ coluntur, nec tamen exhauſtas dicere poſſumus, & ſi manus admoverentur, plura daturas, dubium non eſt; nunc in S. *Joſephi* fodina, maximè ſudatur. Fodina inter eas *Maria* nomine (nam plerumque Majorum Pietas ex Cœlo fodinis nomen gaudebat imponere) multis ſæculis principatum obtinuit, nunc totis viſceribus exhauſta; affirmarunt mihi *Foſſores*, eam centum & viginti maximis orgijs in profunditatem deſcendere, tantámque fæcunditatem fuiſſe, ut ex ea plures quàm nonaginta puriſſimi argenti centenarios Majores extuderint. *Acta Przibramenſium* Montium tempore & Bellis Huſſiticis ſunt amiſſa, ſub *Wladiſlao* (poſt A. C. 1494) & ſubſequentibus Regibus ad nos uſquè inter manus meas fuerunt, & in Curia *Przibramenſi* ſervantur. Fodinarum numerus iniri non poteſt, quòd annis propè ſingulis novæ, ac novæ repertæ legantur; quinquaginta trium nomina ſunt apud me. Anno 1553. triginta colebantur: *SS. Trinitatis, Spiritûs Sancti, Mariæ, S. Joſephi, S. Michaëlis, S. Annæ, Barbaræ, Joannis, Militiæ Cæli, &c.* Vidi rationes montium Przibramenſium ad Quæſturam & Ærarium Rudolphi II. Bohemiæ Re-

[Margin notes: *Seneca l. 3. Nat. qq. C. 15.* Subterranei meatus metallici habent inſtar venarum. — Aurum album. — *Coſm. in hiſt. Boh. Hiſtoria S. Montis l. 2. C. 3. §. 2.* Prima fodinarum origo in Boh. — De Fodinis Przibramẽſibus.]

Regis Anno 1584. relatas, ubi disertè legitur: ab Anno 1553. usq; ad 1584. quinquaginta quinque argenti centenarios, triginta libras, & duodecim uncias insuper, ex fossis *Przibramensibus* in Regis ærarium illatos esse, quod *Regij Quæstores* subscriptione Nominum suorum fatentur; & tamen fodinæ jam paulatim imminuebantur, & solitudo fiebat in *Montibus*, donec certorum hominum negligentiâ, quorum erat procurare, penitùs conciderent; quid aureis illis Majorum sæculis, quantum argenti credimus extulisse? Artificiosa ibidem visebatur *Machina*, quâ nè fodinæ mergerentur, cavebatur, *Aqua* foras trahebatur, & exantlabatur; ejus automatis singulari arte excogitati imaginem in *Historia S. Montis* expressi, ad quam Lectores meos remitto.

Automa Przibramēse.

De Fodinis Gilowiensibus.

Gilovienses fodinæ Przibramensibus antiquitate inventionis cedunt, pretio metalli & divitijs longè superant, aurum enim fæcundissimo utero conceptum multis sæculis Patriæ genuerunt. Jam sub *Boleslao Sævo* D. Wenceslai Fratre circa A. C. 950. nominatum reperio *Gilovium*, & in eo fodinam *Tobole* (id est *Crumenam*, nomen in fodinis usitatum) ubi aurum *Boleslao* nasceretur; éstq; notatu dignum: *Boleslaum* in opere fodinarum Ethnicis potiùs, quàm Christianis ob familiaritatem Dæmonum uti solitum, ut pridem observavi. Circa A. C. 998. Annalium nostrorum fide constat, ex hac una *Tobola Gilowiensi*, centies mille auri talenta in Principis Fiscum illata fuisse, cujus pecuniæ non parvam vim in pauperes, Ecclesias ac Cœnobia liberalissimus Princeps *Boleslaus*, cognomento *Pius*, expenderit. Præter *Tobolam* leguntur in Gilowiensi nomina fodinarum, *Moßniczka* (capsula) *Halerzek* (obolus) *Sslogirz*, *Jarowvecz*, aliæque. Sine piaculo præteriri non potest, quod Anno 1145. accidisse narrant historiæ: nam cùm *Wladislaus* optimus, idémque bellicâ virtute Clarissimus Princeps Candidissimo Canonicorum Ordini Præmonstratensi regijs opibus in *monte Sion* super Pragam Cœnobium fundasset, eáque fundatio Cœlo, ac præsertim DEI Parenti *Mariæ* placuisset, altero statim pòst anno aspectabilis ipsa; *Redæ* regio Capellano, sacra facienti obtulit sese, & collaudatâ Principum pietate, ut se amari intelligerent, certam *Gilovij* fodinam nominavit, locúmque descripsit, in quo ingens vis auri purissimi lateret: acciperent Principes, & *donum id Virgineum* esse meminissent. Tentatâ fossionibus tellure *Reda Sacerdos* operis præfectus, quatuor supra viginti centenarios auri probatissimi effôdit, & attulit ad Principem: nimirum oraculo divino dictum est: *date & dabitur vobis*, & quod S. Joannes Eleemosynarius habebat in ore: *Deum liberalitate in liberales nunquam superari.* Illud quoque de *Gilowiensibus* fodinis quasi per manus traditum habemus: *Caroli* IV. temporibus *aureum* ibi *Equellum*, naturâ in metallis miris modis ludente, effossum, támque uberes auri venas fluxisse, ut ex *Dubravio Jonstonus* scribat: in Montibus Gilowiensium avulsam de silice puri puti auri massam, quæ duodecim pondo æquaret, quam *Wenceslao* Regi, sic ut erat inventa, Fossores obtulerint. Plura de his montibus dare non possum; quòd jam coli ferè desierint, & *Rationes Metallicæ* nusquam appareant.

Epitome historica nostra. l. 2. C. 2.

Hagek ad A. 1145.

Quædã [...] rifodinæ DEI Ma[...] indicatæ

Massa au[...] 12. po[...] reperta.

Jonst. in T[...] maturgo [...] de adm. fo[...] um C. 26.

Tertij genetis fodinas ad Septentrionem, *Libussæ* vaticinio descriptas habet *Krupna* & vel ipso Bohemico nomine quid ferat, ostendit, *Krupice* enim & *Krupna* vel *Krupy* granosam illam materiam significat similitudine pultis, unde stannum secernitur & liquatur. Inventæ sunt & istæ Cœlitibus beneficio provocatis: cùm *Wladislai* (de quo paulò antè dixeram) Conjux *Juditha Ludovici Hassiæ Landgravij filia, Teplicij* Virginibus ex *S. Benedicti* disciplina parthenonem excitaſ-

Stanni [...] næ Cru[...] ses.

citâsset; *Wladek* enim homo agricola post Annum 1152. nescio quid in silvis moliens, grumosam illam, & granosam glebam reperit, & Principibus indicavit. Horum Montium acta Vetustissima in manibus meis fuerunt, sed quis omnia velit, aut possit persequi? nihil agit, qui omnia agit, & bene dictum ab Aristotele: *Scientia est finitorum.* Ad *Cuttnenses*, vel *Cuttenbergenses* Montes (quos itidem *Libussa* videre se tanto antè prædixerat) veniamus: præcipuæ claritatis toto Regno habentur; diximus jam aliquid de ijs Capite superiori, quanquam, ut quod res est dicam, omnem de ijs non modò facultatem, sed etiam voluntatem scribendi eripere velle posteris visus est *R. P. Joannes Korzinek è Societate Jesu* vir omni scientiarum genere perpolitus, argenteo suo, ut ita loquar, libello *de Cuttnensibus argenti fodinis* patriâ linguâ nuper vulgato, cui propè nihil diligentia nostra potest adjicere. *Libussæ* vaticinium explicat inprimis; prosequitur deinde primam originem fodinarum & Urbis; gratiam & amorem Regum, Immunitates & Privilegia, æstimationem & gloriam apud omnes; militaria Montanorum facinora; fraternitatem cum Pragensibus; Cœli favores; divitias Civium; vigilantiam, magnificentiam, Politicas eorum virtutes; *Monetam Cuttnensem*; deniq; Religionis studium; *S. Barbaræ* cultum maximis opibus promotum; odium perniciale in hæreticos, fundationes in sacris opulentissimas, aliáque hujusmodi. Quibus, amabò, quid adjeceris? aliquid tamen à nobis aut diversum, aut exploratum magis, sine dubio curiosus Lector expectat. In primis *Origo* est in controversia: sæpe laudatus author, sub *Wenceslao I.* Rege Unoculo Anno 1227. à Monacho & Sacerdote, Cœnobij Sedlecensis, *Antonio* nomine, repertas esse ex vetustis Codicibus ostendit; alij sub *Wenceslao II.* Rege sanctissimo sub finem sæculi duodecimi inventionem collocant, quibus & *Miechovius* plurésque nostri, & Exteri Scriptores, tum Ecclesiæ Pragensis Codex pervetustus, quem in *Epitome* nostra citavimus, subscribunt. Conciliari utraq; sententia potest, si non omnes Montes simul argenteos, sed (quod aliunde probari potest) per partes, & vices, procedente semper longiùs labore, inventos esse dicamus: unde vetus *Cuttna & Nova Cuttna*, cujus fodinæ in *Malinensis Parochi fundo, Jurisdictione, ac limitibus*, ut publicæ *Capituli Pragensis* literæ loquuntur, sub *Joanne Parocho Malinensi* sunt repertæ; fætura igitur fodinarum uberrima, non nisi *Wenceslai II.* temporibus universæ antiquitatis testimonio, fuit; itaque primæ illæ in *Gryphio Monte* fossiones obscuræ, istæ post annum 1284. in toto Germanico Imperio & universa Europâ celebratæ, sic ut *Albertus Cæsar* argenti cupiditate, quod rivis, ut ita dicam, fluere in *Bohemia* jactabatur, contactus, Anno 1303. *Cuttnam* sibi dari nullo jure petierit, cúmque negatum esset, *Wenceslao* bellum indixerit, quod cum *Alberti* ignominiâ finitum tradunt historiæ; quam ob caussam *Carolus IV.* Imperator, in *Aurea* sua *Bulla*, quâ totam Imperij Romano-Germanici Justitiam ordinavit, disertè declarat, *ut Rex Bohemiæ habeat Jura fodinarum, cujuscunque metalli etiam salis in terris suis, quod*, inquit, *Antecessoribus nostris Regibus Bohemiæ semper licuit*; quibus verbis sugillat *Albertum*, qui à *Wenceslao II.* Cuttnenses fodinas tradi sibi postulaverat. Nomina fodinarũ innumera in actis Montium leguntur: tricipitem se videre Montem *Libussa* vates dixerat; hi sunt *Kuklik, Kaňk, & Turkaňk*, qui varias sub se fodinas continent, ut numerus non possit iniri; cùm maximè florerent fodinæ *mille talenta argenti puri puti* quot hebdomadis à Regibus percipi solebant, ut affirmat *Hagecius*; alios non parum majores redditus annuos

Historia Cuttnensiũ Montium compendio refertur.

Quando, & à quo repertæ, & incrementa Cuttnensium fodinarum.

Epitome nostra ad Annũ 1303.

Epitome nostra l. 3. C. ult. in Notis.

Hagek ad A. 1306.

nuos in suo libro laudatus Scriptor attulit, nisi ex ipsis rationum libris res tota constaret, incredibilis videretur; nec minor hodie proventus foret, si pari conatu & frequentiâ colerentur. Grave inprimis Avorum, deinde Patrum memoriâ Regno vulnus inflictum est: nam comuni vitio generis humani correpti quidam, fructibus accipiendis imminebant tantùm; ut verò partem lucri ad fodinas continenter elaborandas seponerent, stultæ cupiditati suæ imperare non poterant, cùm naturâ priùs sit, sumtus collocare, quàm recipere, nec ager, multóque minus aurei vel argentei montes (nisi laboribus & pecunijs excolantur) Domino utilitatem adferre possint. Audivi Virum patrium peracutè de hoc argenteo negotio ratiocinantem: *faciamus* inquiebat, *Cuttnenses Montes* nihil afferre ampliùs ad Dominum lucri, nisi ut eam pecuniam recipiat, quam impendit; exempli gratiâ, ut *centum millia aureorum* ad Dominum annuè redeant, qui centum millia in fodinas colendas numeraverat; eritne igitur aliquis tam parum Bohemiæ amans Præses Montium, qui pauperi populo, qui Regno universo, qui, ut ita dicam, generi humano tam iniquus sit, ut cùm ipsemet nihil detrimenti accipiat, altera centum millia, quæ è tenebris fodinarum proferunrur in lucem, & Regnum tot millibus aureorum annuatim locupletant, invideat, nolitque ditare? atqui certissimum haberi debet, non modò pecuniam recepturum Dominum, sed alterum tantum, eóque ampliùs ex illa fodinarum cultura, vel his temporibus relaturum. Porrò illum Montium Bohemicorum neglectum irrecuperabile propè damnum consecutum est, ut fodinæ in immensum *Aquis* perenniter fluentibus implerentur, quas jam educendi ab imo, vix ulla aut perdifficilis omnino ratio apparet, deceptis jam pluribus qui id tentârant, & in medio conatu ab arte sua destitutis. *Privilegia* Cuttnensium, *Immunitates* Regum, favores & gratias, vide apud eundem, quem sæpe laudavi Scriptorem; *Przibramensium* summa laus est, quòd eorum ope potissimùm (quam in rem *Sbinkonis Archiepiscopi* amplissimum testimonium Sigillis omnibus Archiepiscopi & Canonicorum pendentibus in Curia servant) *Basilica S. Viti* sit exstructa, ob eam caussam *Przibramensi* Civitati in Clypeo & Annulo, *S. Viti Basilicæ Chorum seu primam* Ecclesiæ partem pictam ferendam gratissimi homines Majores nostri concesserunt, quod hodièque videmus.

Fodinarum desertio quàm Regno noxia.

Civitas Przibramensis cur Chorum basilicæ S. Viti gestet in Clypeo

CAPUT XVI.

De eodem Fodinarum argumento; de Montanis Urbibus. De Jure Asyli in fodinis; nomen à Sanctis trahunt. De Montanis Dæmonibus. De Fabrellis in Parietibus Domorum; Aurum & Argentum sæpissimè in animantis alicujus figuram Natura conformat: Equus argenteus; Virgæ argenteæ; Culmi aurei; Fila aurea & argentea.



Commune omnibus per *Bohemiam* auri, & argenti fodinis Privilegium est: *Jus Asyli.* ut nemo quicunque ad eas confugerit (enorme & spe asyli patratum maleficium excipitur) retrahi possit: magno erant in honore Majorum ætate *Montanæ Civitates* & Oppida, earúmque nonnulla Privilegia

Urbes montanæ.

gia Constitutionibus Regni constabilita leguntur. Montanæ Urbes & Oppida præcipua nominantur: *Cuttenberga*, *Budvicium*, *Commotovia*, *Crumlovium*, *Grupna vel Krupna*, *Joachimivallis*, *Przisezniciun*, *Gilovia*, *Przibramum*, *Cubitus*, *Rudolfstatt*, *Slavvkovv*, *Schönfeldt*, *Winterberg*, aliæque complures. Illud admiratione dignissimum reputo: omnibus propè *fodinis Bohemiæ*, aliquod *Virginis Matris* aut *Sancti* alicujus Templum imminere, aut stare in proximo, quod miraculis, ac beneficijs cælestibus honoretur: *Przibramum* Divam suam habet in S. *Monte*, *Cuttna S. Barbaram*, *& DEI Matrem Namietensem*, *Budvicium* suam Domi colit; *Krupna* suam; *Gilovia* suam; *Joachimivallis* & illi terrarum tractus suam sibi vendicant *Culmensem*; sunt quæ à Cœlitibus nomen acceperunt, ut à *S. Anna*, *S. Catharina*, *S. Sebastiano*, ac cæteris. At quemadmodum Montibus plerumque *Divi* ac *Divæ* incumbunt, ita cavernas subter mali Dæmones servant, ac in fodinarum tenebris dominantur: mira narrat de his montanis Lemuribus in Cubitensi Districtu *Zacharias Theobaldus*; offerunt sese aspectabiles sæpenumero fossoribus, tricubitales senes barbâ usquè ad imum ventrem productâ, aliquando fossorum habitu cum lucernis, malleis, cæteróque apparatu, ac nisi irrideas, vel alioqui odiosus esse velis, nullam inferunt molestiam, certis tamen in locis furunt, trucique aspectu se offerunt, ut notavit *Georgius Agricola*. *Cuttnæ* sæpius visi sunt magno numero in fodinas, aut ex fodinis evolantes, notátque M. S. Codex, annis etiam nominatis, cùm nullus fossorum adesset in fodinis (maximè si damnum immineret) *Dæmones* auditos fuisse scalpere, fodere, tundere, aliáque opera fossorum exercere; nonnunquam in numerum ut fabri ferrarij solent ad incudem, ferrum versare ac malleis verberare. In ijsdem cavernis audire est frequenter crebros sed minutissimos verberum ictus, quasi tres, aut quatuor fabri tunderent, (*Kovvarziczky* vulgus Bohemorũ vocat) sed hoc non solis fodinis propriũ: audivi egomet *Mikovicy* ad *Pragam*, cùm ibi comitatu plurium pernoctandum mihi proficiscenti esset, in muro proximo ejusmodi fabriles ictus locum accessi, pollice admoto, crucis signum expressi; pergebat tamen labor; postea quasi data quies esset silebat; tum iterum tunsiones solitæ sequebantur. Multis hæc res admirationem movet, & expedire se à quæstione quid illud sit, non possunt? sunt qui vermes quosdam, ligna, vel Saxa vetusta rodentes esse velint, qui ad numerum id præstent, sed quis unquam eos deprehendit? denique quotquot consului, etsi in re tam nota, & usitata, nullum nisi arcanum esse Naturæ, responsum accepi; at vulgus hos quoque *Dæmones* existimat. Nec illud admiratione caret, quòd sæpissime aurum, argentum, ac metalla cætera diversorum animantium figuras spontè naturæ exhibeant, & cùm infectum aurum vel argentum effodere conantur, factum & formatum inveniant. Dixi in *Historia Bohemiæ* Anno 952. *Dalimilum* Lipnicensibus fodinis Præfectum, Eqvulum argenteum in venis argenti reperisse; *Giloviæ* sub Carolo IV. aureum Equulum esse repertum, aliquando legi. Anno 767. ad *Beraunam* virga argentea in silvis reperta est, tantæ altitudinis, ut hominis justæ staturæ altitudinem facilè cubito superaret. Rursus Anno 789. in *Krzesna hora*, Pastor *Virgam auream* reperit, digiti crassitie, quam cùm *Wissehradum Mnatæ* Principi attulisset, propè ipsum Principem longitudine æquavit. Anno 874. sub monte *Trzebussna Przibik* venator argenteam itidem virgam in rupe excrevisse deprehendit. *Cuttnæ* quoque, ut dixi, argentea virga ab *Antonio* reperta dedit originem. In Arce *Tinhorssoviensi* (quod referente

[Margin notes, left:]
Montes metallici divinæ Matri consecrantur.
Mathesius. Agricola. Theobaldus.
De montanis Spectris.
Agr. de re metallica. M. S. Cuttnense.

[Margin notes, right:]
Fabrelli domorum.
Metalla se in certas species libenter conformant, maximè rerum vicinarum.
Epitome historica l. 2. C. 5.
Hagek in Analibus.
Hagek in Analibus.

te amicissimo & nobilissimo Viro *Adamo Ernesto Groß de Walt* didici) hodiéque asservatur Tabella, in qua *virga aurea* depicta spectatur, crassitie minoris digiti in manu humana, altitudine quæ *Pragensem* ulnam exæquet (quanta scilicet avenæ altitudo fuit) inter cujus culmos est reperta. Civis Tinhorssoviensis arte vietor, nomine *Leonardus Ryffel*, ipso seculi hujus initio, cùm *Avenaceam Segetem* in agro suo montoso ad ipsam *Tinam* sito (monti nomen **Kněžská Hora / Pfaffenberg** antiquitas imposuit) maturam haberet, laborem auspicatus, nescio quid tremulæ lucis in spicarum adhuc stantium cumulo videt; accedit, & falce, semel, iterúmque percussam spicam ex metallo constare animadvertit; ergo velut *non hos servatum munus in usus*, nec satis avenæ suæ congruens, Virgam radicitus extrahit, separatim deponit, loco, ubi creverat, hebetudine mentis, minimè consignato. Vespere domum reversus, Civem suum *Joannem Pachtam* consulit, virgam ostendit, & cùm quid esset ignoraret, facili licitatione unam sexagenam numerari sibi petit, & vendit. Post dies aliquot rei indicium ad *Wilhelmum Popelium* loci Dominum emanat, qui nè tam dives DEI & naturæ munus stupore hominis corrumperetur, jubet: protinus pecuniam *Joanni Pachtæ* redderet, & ad se virgulam deferret; delatam emit (ut tum erant in subditos lenissima Dominorum ingenia) centum sexagenis *Leonardo* in vestigio numeratis, donum *Cæsari Rudolpho* rerum naturæ curiosissimo Principi gratissimum futurum, neque secùs quàm sperârat, contigit. Quæsitus deinde Cæsaris jussu locus est, unde virgula extitisset, sed nullâ diligentiâ tam *Leonardi*, quàm cæterorum, ad virgæ aureæ venas & origines licuit pervenire. Hîc ego audire ex Philosophis, & Naturæ contemplatoribus cuperem, primùm: quæ illa vis tanta, quæ ratio, quâ unâ æstate tam robusta & alta auri virga extrudi potuerit? si de ramo salicis, aut alterius arboris celeriter crescentis sermo foret, tamen ita subitò excrevisse fidem superaret, quanto difficiliùs est credere, auri tam perfectum ramum, tantillo tempore, exstitisse è terra? utique tardiora sunt metallorum, quàm stirpium aut arborum incrementa. Deinde quæro: quid illud esse possit, (quod pluribus exemplis patet) *Aurum* ita se crescentibus ponè stirpibus accommodare, ut inter segetes, segetis in modum, inter vineas botrorum effigie, inter arenas arenæ ad instar conformetur? pergamus ad reliqua.

Virgæ aureæ, & argenteæ.

Joannes Tonner è Societate nostra refert: ejusdem *Rudolphi II.* temporibus in *Prachensi Provincia*, dum frumentum metitur, è messoribus unum aliquem cum alijs frumenti spicis, *culmum aureum* falce resecuisse, quasi aurum ex illa bona spicarum societate, & continuâ familiaritate in similitudinem tandem illam transierit, radice ipsâ sese accomodante; spicis omnibus auream sororem & Reginâ prono vertice adorantibus. Sæpius id in *Bohemia* factum indicat idem Scriptor: *quandoque*, inquit, *vitibus se aurum filatim circumplectit è terra excrescens; aliquando verò intra arbores invenitur circa medullas & venas instar tenuissimi funiculi in altum eductum*. Hæc ille.

Notis ad Vestigium Boh. Piæ ad C. 1

De aurea spica.

Nostrâ memoriâ renovatum hoc exemplum vidimus, & in eam rem, testes omni exceptione majores dare possumus: in ditione *Comitis Czernini* filis repertis tam flexibilibus, ut Rustici qui repererant, inter folia ad radices vetustæ arboris humi serpentes, ad nullam aliam rem valere fila illa crederent, quàm ad pileos coërcendos, & ornandos; unus aliquis circulis illis *Falcem meßoriam* suam, cujus manubrium laxatum movebatur, circumligaverat: non enim *aureum*, sed *ferrugineum* potiùs aut nigrum colorem

De filis aureis ætate nostrâ repertis.

rem

rem præferebant. Advertit id sagax quidam *Judæus*, & pro ijs circulis *Zonam* aliam, mox secundam, deinde tertiam rusticis obtulit, & priores illos circulos omnes emit. Re patefactâ, *Judæus Sycophanta* restituere coactus est, quod emit à Rusticis; rusticis aliter pretium persolutum. Habeo Authores qui *Circulos aureos* apud *Comitem*, & quædam vascula ex liquefactis illis circulis confecta viderunt, cùm in eodem loco circuli plures reperti postea fuissent.

CAPUT XVII.

Iterum de fodinis Argenti; quædam Cuttenbergensia. Cura fodinarum in vetere Bohemia. Wladislai Regis ex Cuttenberga divitiæ. De Jochmstalensibus fodinis, earúmque commodis. Fodinæ Planenses; quædam mortiferæ. Przisezniceuses, Rudolphinæ ad Budvvicium & Bergreichensteinenses.

[I]terum de [fo]dinis Cut[t]ensibus.

IAm verò *Argento* longè magis, quàm *auro Bohemiæ* montes abundant. *Cuttna* Urbs magnæ in Bohemia Vetere authoritatis, Civitatis Pragensis jure donata (quam etiam *Carolus* IV. multis Immunitatibus auxit, datóque Anno 1359. *Aquisgrani* Cæsareo diplomate à *Francofurtensi* vectigali per *Mænum* solvendo immunem esse jussit) hæc, inquam, Urbs argentifodinis dives, maximè per *Bohemiam* celebratur; virgatum ibi & vitis instar conformatum argentum Pastor, vel ut alijs placet, vir Religiosus *Cistercienſi Ordini* adscriptus *Wenceslao* II. regnante reperit, suóque capitio locum signavit; unde *Kapihora* bohemis primùm, deinde Germano idiomate *Kuttenbergæa Civitas* est appellata. Lustravi ego ipse quondam fodinas omnes itineribus subterraneis, & quod de fossionibus hujusmodi à *Plinio* dictum memineram, exclamavi: *Labor iste vincit opera Gigantûm*! ita omnia perfossa, perterebratæ Montium (quos *Gang* vocant) venæ, rupes perviæ tunsionibus factæ, ut *Athonis à Xerxe* perfossi imaginem quandam me videre crederem.

[Z]ach. Theo[b]ald. in Arca[n]is Naturæ. se[c]t. 2. [M]iechov. hist. [P]olon. l. 4. C. 1.

Cuttnenses fodinas *Ziska Cyclops* (quòd *Sigismundus* Rex Catholicus inde belli nervum sumeret, quod hæreticorum Duci minimè placere poterat) *Crumenam Antichristi*, rectiùs *Podiebradius Rex*, *peram*, *sacculúmque suum* vocare solebant. Maximam omni ævo Proceres nostros de *Cuttnensibus fodinis* curam gessisse *Comitiorum acta* declarant; lege interim Comitia Anni 1571. si ad manum sunt, vel *Acta Wilhelmi Rosensis*, qui legationis illius, aut potiùs Inspectionis, princeps fuit, & ad Ordines retulit, quæ viderat. Anno 1586. frequentissimè de *Cuttnensibus fodinis* à Proceribus consultatum invenio. Jura, immunitates, legésque Argenti fodinarum primus Regum apud nos libro singulari complexus est *Wenceslaus Rex* II. Anno 1278. sed ea omnia postea sublata sunt melioribus substitutis, usu & experientiâ crescente, ut habet *Bartholomæus de Prachnian* in suo M. S. Codice Cuttnensi. Porrò primum *fossoribus sigillum* exsculptum est Anno 1313. *Wladislaus Rex Ludovici* Pater antè quàm *Ungariæ* Regnum obtineret, fodinas hasce *Cuttnenses* ferebat in oculis; ventitabat *Cuttnam*, ex villa *Italica*, seu *Florentina*, pedes officinas

Cura fodinarum Majoribus nostris maxima.

Wences. Brzezan M. S. ad A. 1571.

M. S. Cuttnense ad An: 1478.

cinas obibat, præsertim ad *Domum* (quæ *Principis* appellatur, éstque diversi coloris laterculis contecta) commeabat libenter, erátque operæ pretium, cùm opulentissimè pacato illi & amantissimo suorum Regi argenti venæ affluerent, præsertim ea fodina, cui *S. Barbaræ* Basilica superstat, eáque fossa *Asinus* appellabatur, magnam argenti vim ex se profunderet, quo *Rex* tueri dignitatem suam, bella gerere, Regias Vrbes redimere valeret, ut *Colinum* quod *Nicolao Trczkæ* de Lippa oppignoratum Anno 1505. redemit, petitâ ex uno hoc *Asino* pecuniâ, ut *Cuttnenses* libri commemorant. At infelix ad extremum *Asinus* ille fuit, siquidem Anno 1541. in Majo, argenti loco subitò effossæ sunt aquæ, mersíque fossores quàm plurimi, tres soli evasêre mortem. Anno 1544. irreparabili prorsus damno fodinæ omnes desertæ sunt, videbantúrq; venæ omnes evanuisse, ut *Cuttnensis Codex* affirmat. cùm cessarent homines, *Montani Dæmones* laborem sumsêre: Anno 1509. in fodina *Ssmytna* præcipuè, diebus & noctibus laborabatur, audiebantúrque ictus malleorum, voces laborantium, & reliqua omnia, cùm nullus hominum intrò subjisset; præsagium quoddam ea res fuit: nam Anno 1522. subitò erumpente Aquâ, in eadem fodina octodecim fossores aquis perierunt.

Fodina Asinus dicta ditissima.

Nicolaus de Prachnian ad Ann: 1505.

M. S. Nicolai Daczciczky. Spectra fodinarum.

Joachimi Vallis in Cubitensi Districtu argento ditissima *Cuttnenses* fodinas, aut æquat, aut superat. (repertæ sunt Anno 1516. 13. Martij *Ludovico Wladislai* filio Regnum apud nos auspicante) hîc primùm Monetæ genus *Joachimsthaller* (hodie *Imperiales* dicimus) procusi, quos Vulgus (quod compendia quærit) omissâ priore voce, *thaleros* aut thalleros appellavit, ut in *Epitome* nostra historica ostendimus; de hisce fodinis multa *Zacharias Theobaldus Scklackovvaldensis*, Norimbergæ in exilio mortuus, libro singulari vulgavit. tota illa vicinia & Montium uteri ad fines *Cubitensis & Zatecensis* Districtûs argenti feraces habentur. Narrat *Fabricius* Anno 1492. primùm in Oppido *Glashüta* tribus *Dresdâ* milliaribus *Bohemiam* versùs, argentum purum à summo cespite erutum fuisse; deinde multò etiam copiosiùs in *Schrechenberg* quatuor à *Chemnicio* milliaribus prope ipsa *Bohemiæ* confinia, quo in loco ex Operarum multitudine populosissima Urbs à Tutelari Diva, *Annæberga* nuncupata, surrexit. mira fæcunditas! ab A. 1496. usque ad 1500. in Principis ærarium illati sunt ex uno illo monte 1240838. nostrates seu rhenenses floreni (id est ampliùs quàm 413612. aurei, *non computatis decimis & impensis.* Sed nos in Bohemiam redeamus.

De Valle Joachimica.

Lupac. in Calend. histor. ad 13. Martij.

Reichstalleri hîc primùm nominati.

Fabric. l. 7. [...]rigin. Saxon. fin.

Añæberg

Joachimica Vallis quantum argenti Dominis suis annuatim redderet *Georgius Agricola* metallicæ rei scientissimus, & per eam viciniam diutissimè versatus, locupletissimus est testis L. 4. de re metallica: *ut* inquit, *plerumque quater singulis annis Domini pecuniam* (in Operarios) *contribuunt, sic quater in eos distribuuntur fructus fodinarum, modò magni, modò parvi, prout plus minúsq; auri aut argenti, aut reliquorum metallorum fuerit effossum. Certè ex Georgio fodina Schnebergiana fossores tam multum argenti quartâ anni parte eruerunt, ut in singulas vicesimas octavas partes distribuerentur panes argentei, qui valerent mille & centum aureos nummos Rhenanos; ex Annebergensi fodina, quæ Cælestium Exercitus appellatur, Nummi unciales octingenti; ex vallis Joachimicæ metallo, quod Stella nuncupatur, trecenti; ex Abertham capite fodinarum, quod Laurentianum vocatur, ducenti viginti quinque. Quò autem quisq; plurium partium fuerit Dominus, eò plus fructuum capit.* Hæc ad verbum *Agricola.* Enumerat idem perdiligens rerum metallicarum Scriptor quasdam *Joachimicæ vallis* fodinas, ut *Gairicam* à *Gairicis* ibidem partes possidentibus, & aliam ex effossis

Agricol. l. 4 re metallica

Proventu[s] ex quibus[dam] busdam a[r]gentifodinis.

Agricola l. [4.] de re metalli[ca].

effossis rebus appellatam *Venam plumbariam* à plumbo nigro, & aliam *fragmentum dives*, dictam, quòd eam scilicet vis torrentis aperuerit. Jochmstalenses divitias Jonstonus quoque rerum Naturæ curiosissimus commendat: *in valle Joachimica*, inquit, *Massa argenti pondo decem talentorum Atticorum quondam eruta dicitur.*

Planenses fodinæ S. Annæ patrocinio maximum argenti numerum *Sslickijs* Comitibus olim dederunt: *Fodinam S. Laurentij* paulò antè nominavit *Agricola*, periculosam tamen illam fossionem fuisse l. 6. annotavit: *quarta*, inquit, *caussa: cur fodinæ deserantur est, virus loci alicujus, si id funditus tollere, vel levius facere in nostra potestate non fuerit; ea de re specus ad Planam, Laurentius dictus, fodi non solebat, cùm argento non careret.* Et paulò antè in eodem libro: *Ad Planam Bohemiæ oppidum sunt nonnulli specus, qui quibusdam anni temporibus halitum ex Acidulis emittunt lucernas extinguentem, & fossores diutiùs in eis morantes, necantes.*

Sed aliæ ibidem fodinæ maximas Dominis attulêre divitias, ob eámque argenti copiam, *Jus cudendæ Monetæ Sschlickij* impetravêre à Regibus cũ S. *Annæ effigie*, quam olim in territorio *Veneto* coluerant, & quam ditionem *Gaspar Sslick* Cancellarius trium Cæsarum ob fidelitatem suam Cæsari & Imperio præstitam, ab hostibus Imperij ereptam, amiserat.

Sslackenvvaldi celebres esse fodinas argenti ex eodem *Agricola*, qui earum non semel meminit, certissimum debet haberi.

Przisezničium quoq; (Presnitz Germanis) & *Rudolphina Civitas ad Budvicium*, multis à *Cæsare Rudolpho* ornata quondam Immunitatibus, inclaruerunt argento.

Przisezničenses Imperante *Carolo IV.* A. 1341. traduntur repertæ; tres aliæ in eodem Zatecensi Districtu, *Sonnebergenses*, *Platnenses*, *Sebastianibergenses* aut jacere omnino, aut negligentiùs coli videntur, fortè nullo sumtum præstante quiescunt. *Rudolfina* Civitas (Rudolfstadt) elegantissimis quondam ædificijs, ut senes narrant, exornata, sic ut ipsi *Budvicio* splendore ædium nihil concederet, hodie nihil nisi ruinas, minásque murorum ingentes ostentat; ob rebellionem excisa est, stimulantibus *Buquoium* in rivalem Urbem, & incitantibus *Budvvicensibus*, à qua nimirum venenum, & pestem hæreseos in suos cives afflari videbant; illuc hæretici *Budvvicenses* occulti ad cœnas Evangelicas itabant. Quod fodinas attinet, jam sub *Maximiliano*, ac nominatim Anno 1570. argento exonerabantur. Annis sequentibus majores semper utilitates & argenti Divitias Reges percipiebant, quo permotus *Rudolphus Imperator* Incolis (qui omnes Germani erant, & varijs ex Germaniæ locis confluxerant) *Jus Civitatis* tribuit, & à suo nomine *Rudolfstadt* appellavit; sed ad fossiones redeundum est: tradit Jonstonus in his Rudolfopolitanis fodinis frusta argenti reperta: alterum quod Crucem, alterum quod Leonem ad vivum repræsentaret.

Rudolfopolis.

W. Brzezan in Hist. Rosensi ad A. 1570. & 1580.

Jonst. in Thauma. nat. in fossil. C. 27.

Non procul *Sussicio* aliquot locis, maximè in oppido quod *Bergreichstein* dicitur, argenti divites venas invenêre, inveniúntque Fossores. *Przibrami* ad *S. Montem* hodieq; argentum quæritur, & separatur igne, quod *Cuttnense* nobilitate & meliore notâ exsuperare dicitur.

Bergreichstein.



CAPUT XVIII.

Fælicitas Fodinarum Crumlovienſium in Bohemia. Fodinæ quædam deſertæ. De Miſa argentea Urbe. Liberalitas Roſenſium in Pauperes & Noſocomia. Codices officij Monetarij. Ratiborienſes in Bohemia ſodinæ; tum Teplenſes & Dobrzikovvicenſes. Index fodinarum auri & argenti; Regni totius exinde gloria. Foſſores Bohemici in Belgio apud Alexandrum Farneſium. De mortuis metallis.



D *Crumlovium* non uno in loco, olim *Roſenſium*, nunc *Eggenbergici* Crumlovienſis Ducis auſpicijs, argentum eruitur, atque, ut ſæpe audivi, fæliciter procedit negotium, *Officinâ monetariâ* in cudendis pecunijs deſudante. Jacent inter hæc *Nalzovienſes*, & quæ ad *Hradek* ſitæ ſunt fodinæ argenti, primæ etiam æris ingenti copiâ, præcipuè A. 1530. divites; *Grabenſes* ad *Oſſecenſe Cœnobium*, ut & *Roztochianæ* argenteæ, defeciſſe & exhauſtæ omnino videntur.

Miza ſeu Argentina. *Strzibro* quaſi *Argentum* diceres, regia Civitas eſt ideo dicta, quòd dum primùm cingeretur mœnibus Anno 1131. in fundamentis aliquot argenti glebas reperire contigerit, vigétque etiamnum in ea Urbe traditio: *Libunculos Argenteos* juſtæ magnitudinis, quatuor ſupra viginti (alij tantùm duodecim fuiſſe contendunt) ad usquè *Rudolphi II.* tempora in Curia fuiſſe ſervatos. Quod paulò antè de *Crumlovienſibus* fodinis ſcripſeram, novum non eſt; ſunt apud me *Fodinarum Roſenbergicarum* accuratiſſimi Indices, paucula in exemplum adducam. Anno 1521. in fodina S. *Adalberti Crumlovij* ingens argenti copia effoditur, ſic ut per maſſas lapides venderentur; erat argento permixtum aurum tam liberaliter, ut ex tertia ferè parte aurum purum putum, dum ſeparatur, proflueret; eo Anno, 432. marcæ argenti, 140. marcas auri dederunt. *Gubernator familiæ Petrus* ut DEO ſe gratum præſtaret, ex omni Triceſima ſeu 30. partibus, quatuor partes ſeponebat; & Noſocomijs & pauperibus adoleſcentulis in ſtudijs literarum alendis ſcrupuloſiſſimè dividebat; hoc beneficio quaſi provocatus DEUS, reſpondebat ſummo fodinarum, præcipuè *Nalzovienſium* proventu in argento, *in auro Crumlovij*; tantáque hujus fuit bonitas, ut ab artificibus peritiſſimis, & metallicis examinatum, & *Ungarico* (quod probatiſſimum habetur) comparatum, uno grano ſuperaret; ſcilicet cùm in *Ungarico* nota eſſet centeſima, *Crumlovienſe* unum præterea granum haberet, & notam aureæ bonitatis. Scio me properantem ad alia multa neceſſariò omittere. Habeo authores & oculatos teſtes, viros graviſſimos, qui mihi non ſemel affirmarunt: vidiſſe ſe apud Illuſtriſſimum virum, quem nominabant, *grandem Codicem Manuſcriptum*, in quo quidquid divitiarũ tellus *Bohema* ſinu clauderet, omnibus montibus, vallibus, ripis, fluminibus, fontibus, ſilvis, nemoribus, locis denique auriferis omnibus notatis, & nominatis, ut facili indicio ad eas perveniri poſſet, omnes auri, argenti, ac cæterorum metallorum, gemmarum & pretij alicujus lapidum fodinæ, venæque omnes, unde illa eruerentur, conſignatæ eſſent; ejus libri, etſi nihil omiſerim induſtriæ, & ami-

De fodinis Crumlovienſibus.

Liberalit[...] A. 1539. Petri de R[...] ſis.

M. S. Roſe[...] A. 1521. 15. 1543.

Rationa[...] Codices Montiũ[...] tallicoru[...]

amicorum etiam fidem ac diligentiam imploraverim, vel inſpiciendi copiam nunquam impetrare potui. Hic nimirum Liber, omni nos metallorum locorum enumeratione, & labore, in quo nunc verſamur, abſolviſſet. Sed pergamus ad reliqua, & agamus quod poſſumus, cùm non datur quod volumus: Anno 1550. in *Montibus Ratiborienſibus* ditione Roſenbergicorum primùm repertas argenti glebas *Wenceslaus Brzezan* eſt author; Centenarius lapis (ita barbarè appellamus 120. libras) efferebat duas ſexagenas Miſnenſes, viginti ſeptē groſſos & obolos 4. (quod ex rationum libris deſcribo) itaque cùm longè ſuperaret expenſas, coli cœpit, ac proceſſu temporis fælicior fuit argenti proventus.

MontesRatiborienſes. *W. Brzezan in vita Wilhelmi Roſenſis M.S.*

In fundo *Cœnobij Teplenſis* Fodinas argenti ditiſſimas repertas, & apertas ſuperiore ſæculo, indicium fecit Vir Candidiſſimus, & mihi vetuſto amicitiæ uſu conjunctus *R. P. Aloyſius Hackenſchmid*; has ingenti foſſorum frequentiâ excoluit laudatiſſimus Abbas *Sigiſmundus*, cujus diuturnam quadraginta ampliùs annorum Gubernationem, hoc munere Natura, vel potiùs Naturæ author honoravit; ex eo argento confectæ ſunt *ſtatuæ* plurium Divorum, *Cruces*, aliáque hujuſmodi argentea *Cimelia*, quæ etiamnum ſpectantur in *Eccleſia Teplenſi*; *Mathæus Göhl* Abbas argenteum hunc laborem proſecutus, non parvas Cœnobio utilitates, & divitias comparavit, donec denique Hæreſis & bella ex hæreſi nata terram ipſam clauderent.

Argenti fodinæ Cœnobij Teplenſis.

Dobrzikovicij quâ Pragâ *Beraunam* ter eſt, in ditione *Hoſpitalariorum cum rubea Stella*, fodinas auri divites fuiſſe ex Majorum traditione ſenes narrant, foſſáſque oſtendunt, quæ obcæcatæ ſint; nunc *marmor*, auri loco, per viciniam illam effoditur. Jam expeditis præcipuis fodinarum originibus ſub unum aſpectum, Montium Auri, & Argenti fodinas Lectori offeramus.

Aurifodinæ Bohemiæ:

Lipnicium.
Gilovia, & in ea *Tobola* fodinarum ditiſſima.
Cnin. Cerconoſſij montes.
Czizova. &c. &c.
Crumlovium habet Aurum & Argentum.
Bergreichſtein habet Aurum cum Argento.
De *aureis arenis* jam dixi.

Crumlovium apud Fabricium atq; etiam in vetuſtis Codicibus *Cromenau* appellatum inveni; conjectura oboritur *Crumenam* primitus appellatum, uſitatiſſimo in montibus auriferis nomine, ut jam antè memini monuiſſe. Crumlovium Crumena. *Cap. XV.*

Baubin (quem *montem Bubonis Dreſſerus* vocavit) *Hoddiegovinus* (in notis ad Hagecium) putat fuiſſe Urbem Regiam *Marobodui* dictam *Bubienum*, A. 942. ſub *Boleslao Sævo* feraciſſimas foſſas auri, *Piſecã* verſùs ſitas fuiſſe inter Meridiem & Occidentem prope antiquam Arcem *Baubin* facilè conjicimus; ob quam cauſſam Hagecius Anno 815. Regionem ſeu *Diſtrictum Piſecenſem, Baubinenſem appellat.* Baubinenſes fodinæ.

Argenti Fodinæ:

Przibramum & in ea vicinia Trzebuſſna, Lazium, Tiſova, &c.
Cuttenberga.
Joachimi vallis, cum tota vicinia.
Preſnitz.
Sonneberga.
Platna.
Sebaſtianberga.
Rudolfſtadt.
Crumlovium.
Nalzovium.
Hradek.
Grab, & illa tota vicinia.
Roztok.
Strzibro.
Montes Ratiborienſes.
Zdiarskij Montes.

Slavvkovv ſeu *Sslackevvalda* habet argen- Slawkow

argentum cum stanno. Huc quoque spectant *Montes ad Arcem Monedularum Thale vel Dolenstein* (hodie passim audio *Tollenstein* appellari, originaria hæc fuit sedes *Baronum de Schleinitz*, qui se huc in *Bohemiam* ex Misnia multis antè sæculis transtulerant) jacentes. Aliquam hi montes cum *Cerconossijs* cognationem habere videntur; de ijs in libris toties laudatis, multa est ab auri fodinis mentio & laudatio: enumerantur loca, in quibus indubitatè magnus auri proventus sit; indicatur, & tantùm non digito demonstratur *Perlarum* pretiosissimus *fons*, quæ pisorum rotunditatem & magnitudinem æquent; iterum alius auri fons, atque iterum aliquot fodinæ *granatorum*, *Crystallorum*, *Chrysolithorum*, & pretiosorum lapidum, quæ omnia perspicuis illustrantur exemplis. Faxit DEUS, ut hæc quæ modò attulimus, in *Patriæ* (*quæ omnes omnium charitates*, ut Tullianè dicam, *complectitur*) emolumentum & gloriam cedant!

Tollensteinij montes pretijs rerum celebres.

Vide C. XIV.

In vetustis quibusdam literis *Petri de Rosis* (quas M. S. Codex Clementinæ Bibliothecæ recitat N. 254.) nominantur *Fodinæ Bohemiæ Auri & Argenti*, quæ sub *Joanne Rege* post Annum 1320. summâ operarum frequentiâ colebantur maximo proventu: *Gilovv*, *Reichenstein*, *Knin*, *Plsna* (veterem intelligo) *Luczim*, *Hartmanicz*, *Pomuck*, *seu Nepomuk*, *Cuttna*, *Cedliczan* (fortè Sedlczany) & *Czirn*. Hæc ibi. Cùm ante annos aliquot ex deserto Castro *Radim* (quod conscenderam) *Veterem Plsnam* despicerem, circa Pagum *Lossyna*, hodie ad *Nebilovium* spectantem, veteres argenti fodinas notavi; eas puto quæ in Antiquitate Plsnenses appellantur. *Porzicij* (ditio est *Comitis de Can*) argenteos fuisse Montes senes meminêre, & fossæ testantur.

Fodinæ cõplures.

Lossyna.

Porzicz.

Paka an aurum, an argentum gignat, nescio dicere; fodinæ tamen magno numero patent, quibus *Beatæ Virginis* effigies clara miraculis superstat.

Paka.

Carolus Imperator in vita sua ad Annum 1342. annotavit fodinas argenteas (montem argenteum ipse appellat) ad *Wrzesnik montem* esse inventas. Quis mons ille, aut ubi situs sit, scire percontando nunquam potui. Anno 1599. in ditione Chlumecensi ad *Reginohradecium* in rivo quodam rusticus duas glebas auri purissimi reperit; Loci Dominus fodi circùm eum rivum terram jussit diligenter, nunquam tamen auri vena, aut ejus vestigium inventum.

Carolus Imp. in Vita sua C. 14.

Wrzesnik.

M. S. Cuttnen.

Nomina Montium præcipuorum auri & argenti feracium attuli, nam (nè Lector erret) tanto numero, tantâque frequentiâ apud nos fodinæ visuntur, ut neq; ad unius milliarij spatium iter facias, quin tibi aliquo in loco in montibus, silvis, petris, vel ad flumina, & rivos, cumuli arenarum, vel cavernæ manufactæ occurrant. Ob eam auri & argenti fœcunditatem *Bohemia* vetus, *Regnum Aureum* à cœteris nationibus appellabatur. Ex hoc universæ antiquitatis sensu *Bucellinus*: *fertilissimum*, inquit, *Bohemiæ Regnum, cui neque aurum, neque argentum, sed neq; omnis generis gemmas Natura, seu potiùs Conditor Naturæ DEUS deesse voluerit*. Majorem testem placet advocare: *Clemens* ejus nominis VI. Pontifex in Universitatis Carolinæ confirmatione sic inter alia loquitur: ut *Regnum Bohemiæ, quod Divina Bonitas multitudine Populi* (notanda sunt verba) *rerúmq; copiâ prædotavit, fiat literarum fertilitate fœcundum, ac in eo quemadmodum auri & argenti copia dignoscitur, sit & scientiarum prævalens munere &c.* Argenti igitur, auríq; copiâ, Indicis & Americanis regionibus navigatione nondum repertis, omnia Europæ Regna provocabat, plurimas etiam Regiones superabat *Bohemia*; his opibus conservata est, *aurum* enim, ut canit Horatius: *per medios ire satellites, & perrumpere amat*

Regnum aureũ olim appellata Bohemia est.

Bucell. in Nucleo hist. in Bohemia.

amat saxa, potentius ictu fulmineo; ob hasce dotes amabatur à Regibus, ab Amicis colebatur, ab hostibus timebatur.

[Emmanuel de Meteren in hist. Belgij. lib. XI. ad Annū 1582.]

[Fossores ex Bohemia in Castris Farnesianis.]

Porrò cùm tot Metallorum fossionibus olim insudaret *Bohemia*, nihil mirum est ad valla, aliáque ejusmodi Munitionum opera eruditas & validas manus habuisse: *Alexander* certè *Parmensis*, *Belgij Gubernator* Poliorcetæ dignus cognomine tot Urbibus expugnatis, clarissimus Imperator, ad Castrorum munitiones, circumvallationes Urbium, ducendas fossas, cuniculos agendos, ac cætera Militiæ opera, quæ palis & ligonibus peraguntur, perficienda, Avorum memoriâ, non alios ferè quàm *Bohemicos Fossores* adhibebat, quos optimos, magnis pecunijs ex *Bohemia* conduxerat, sempérque habebat ad manum, ut observat *Emmanuel de Meteren Hollandus*. Ex ea quoque fodinarum multitudine & illud processit, ut novum Magistratum Reges statuerent in Regno, ad quem *Montes Metallorum* & tota *Monetæ* ratio spectaret, *Supremum Monetæ Præfectum* vocabant: eorum institutionem, deinde etiam *Monetam*, alio in loco postea tractabimus diligenter.

[Theobald. in Arcanis Naturæ. sect. 20. Metalla etiam moriuntur.]

Capitis hujus fine, in quo de *Metallis* præcipuè diximus, placet coronidis loco addere, quo mortales mortalitatis nostræ admoneamur, metalla ipsa senectutem sentire, refértque *Theobaldus* naturæ rerum curiosissimus, allatum Patri suo ex *Michelsberg Bohemiæ*, *Metallum* primò effossum, quod nullâ aliâ injuriâ, quàm ætatis & diuturni temporis, marcidum omnino, vietum, & nullius rei jam esset, probátq; ibidem, etiam fodinas ætate veterascere; atque illud est, quod *Ovidius* canit: *Tabida consumit ferrum, lapidésq; vetustas*; erit videlicet tempus, illúdque in proximo, quo nos *fuisse*, non ampliùs (quod nunc vix sumus) *esse* dicatur.

(+)

CAPUT XIX.

Stannum Krupnense & Stankowiense, quod argento miscetur; de cumulis metallorum antiquitus effossis. De ferri, cupri, plumbi, & æris fodinis. De Alumine. Telluris varietates in Bohemia.

[Stannum multis in Bohemiæ locis.]



STanno refertissimi sunt montes ad *Crupnam*, ídque tantæ bonitaris habetur, ut cum *Anglicano*, quod vocant, concertet, atque à peritis modicè correctum pro Anglicano vendatur. *Schlackevvalda* quoque (*Stankovia* Bohemis, dum ea lingva per Bohemiam regnaret, appellata) stanno abundat. Est ibi fodina dicta S. *Barbaræ*, in qua stannum miscetur argento. Hic labor hoc opus est, ut à vili pretiosum innoxiè separetur, quâ arte ad opes maximas pervenisse traditum est *Sigismundum Wan Civem Egrensem*; nam cùm alij argentum separaturi stannum comburerent, ejúsque jacturam facerent, unus ille peritissimè rem tractare nôrat, ut servaret utrumque, ideóque grati erga DEUM animi causâ, ut erat vir Catholicus, *Pauperum Nosocomium* ex eo lucro, circa Annum 1467. in *Wansiedel* excitavit, & perpetuis Censibus instruxit.

[Theobald. in Arcanis Naturæ loco cit.]

Ibidem *Schlackenvvaldæ* cumuli quidam arenarum spectantur toto itinere usquè ad *Schönfeldam* jacentes, (*Kraupen* ex Bohemicâ voce appellant) hos cumulos, velut thesaurum poste-

Cumuli arenarũ stanno jam eliquato.

posteris reliquisse videntur; certè ex ijs hodiéque stannum præstans colligitur. Idem nostrâ ætate in *fodinis Cuttnensibus* factum vidimus, cumulos ejectamentorum illorum, quæ videlicet eliquato jam argento Majores nostri ejecerant, cupidè præsenti pretio ementibus Metallicis, qui *Norimbergâ & Hamburgo* advenerant, & multo exinde argento ditatis; at patrijs & domesticis fossoribus multum dolentibus, argentum sibi & *Bohemiæ* perire, quòd Majorum traditione acceperant: hos cumulos pro *Regni Thesauro* habendos esse. Oriri hoc loco quæstio posset: utrúmne regerminârit in cumulis argentum? nam matrices & argentiferum semen commixtum fæcibus illis fuisse dubitare nemo potest; negat istud fieri posse *Theobaldus*, aitque negligentiam Majorum in caussa esse, qui stannum illud *Schlackenvvaldense*, aut *argentum Cuttnense* paulò negligentius elaborassent; ego rem in medio relinquo, & peritorum sententiam expecto. Hisce stanni fodinis Slackenvvaldensibus *Lauterbachianas* (de quibus Anno 1549. maxima inter *Stampachios*, *Sslickiósque* lis fuit ad ipsa *Comitia Regni* deducta) & *Schönfeldianas* adjice, ejus metalli cum primis feraces. *Ferrum* ferreis hisce sæculis nusquam deest, passimq; per *Bohemiam* eruitur & tunditur, flammísque edomitum & liquatum in varios belli & pacis usus aptatur: (falli me non puto, si ejusmodi officinarum, Hammer vocant, per Bohemiam centum sparsas esse dixero) optimum *Zdechovicij* (quæ fodinæ primæ omnium cæterarum in Bohemia jam sub *Croco* repertæ sunt) *Commorovij*, *& Nyzburgi* in Podbrscensi regione Majoribus Nostris videbatur. De *Lanoviensibus* ferri fodinis in *Hradecensi* (ut ex Iudiciorum Regestis patet) sæpe certatum est, quæ contra *Wilhelmum Waldsteinium Christophoro de Jandorff* Anno 1552. deniq; sunt adjudicatæ.

Scoriæ argentiferæ Cuttenbergæ.

Theob. l. cit.

Lauterbachianæ & Schönfeldianæ stanni fodinæ.

Ferrum & ferri fodinæ.

Hagek ad An: C. 677.

M.S. Wartembergense.

Ferri fodinas celeberrimas habuit olim *Cœnobium Teplense*; ætate nostrâ *Abbas Fridericus* resuscitavit, quæ jacebant, fodinas & officinam ferrariam exstruxit, in qua probatissimum proceditur ferrum. In una Regione *Plsnensi Radnicij*, *Osecy* (8. Pragâ milliaribus) *Rokicij*, *Miresſovij*, *Porzicij &c.* fornaces quique conflando ferro, novem officinas cudendo & feriendo malleis habentur. Ex hoc uno *Districtu* de cæteris conjecturam facere licet, maximè de ijs, qui longè feraciores ferri sunt, ut *Podbrcensis*, *Cubitensis*, *Zatecensis*, *Bechinensis*. *Cuprum & plumbum & æs* inter *argenti*, *stannig*, venas passim reperiri, sciunt ejusmodi rerum curiosi. Cupri tamen unius fodinas, nulli alteri metallo permixtas habet Bohemia in *Cubitensi*, locus zu Treyhacken dicitur; ubi permirum illud visitur, ab ignibus subterraneis fodinas illas æstuare, & aduri, quasi ipsa Natura, quid cupro fieri velit, ostenderet, ac moneret, si utilitas ex eo quæratur, flammis esse domandum. Ad *Mutienin* in Regione Plsnensi effossum fuisse æs meminêre senes, ejúsque improbi laboris hodiéq; supersunt vestigia, fossæ altissimæ.

Teplenses, & in Plsnẽsi Districtu ferri fodinæ.

Cuprũ, æs, plumbum.

Theobal: l. cit.

Alumen diversis artificibus quanto in honore & pretio sit, nemo ignorat; at ejus lapidis (aut quo alio nomine appellem) confectio, magnas continet difficultates, certámque Soli naturam, unde materia eruatur, reposcit, sic, ut in *universa Evropa* (in qua etiam *Angliam* includo, aluminis, ut perhibent, magistram) vicenæ, ac nè vicenæ quidem, *Aluminis* officinæ reperiri dicantur; aliquot ejusmodi officinas habet *Bohemia*; *Commotovij*, & alteram non procul inde, *Girkaviensem* seu antiquâ Bohemiæ voce, *Borecensem*; *Girkaviam* enim in Regni Tabulis *Borek* antiquitùs appellatam invenio. Quæ modò de certo telluris genere ad *Alumen*, & quæ nuper de *Metallis*, & postea de *Vitris* adferam, ostendunt satis: quot & quàm varia sint

Alumen.

Tellus Bohemica mirè variat.

ſint in una *Bohemia* diſcrimina telluris! *metallifera*, *gemmipara*, *lapidum pretioſorum matrices*, *bituminoſa*, *glareoſa*, *arenoſa* (ſed id rariùs) *cretacea*, *nitroſa*, *pumicoſa*, *gravis*, *nigra*, *levis*, *alba*, *argilloſa &c.* Argillæ ipſæ quam variæ! *albæ*, *nigræ*, *rubræ*, *flavæ*, *fulvæ*! hæc paſſim; ſed ad montem Kaatovicenſem propè Arcē Strzelam, argillam etiam *cæruleam* videbis aptiſſimam colori. Vide quæ de varietate Telluris ingenioſè philoſophatur *Sennertus*, & quæ *Stransky* attulit; omnia enim hæc ineſſe *Bohemiæ* deprehendes.

Sennert. in Epitome Philoſ. init.
Stransky de Boj. C. 1.



CAPUT XX.

Argenti vivi, ſeu Mercurij copia. Nitrum Sulphur. Carbones. Officinæ nitrati pulveris. Calx Pragenſis optima; de ea proverbium Italorum. Latomiæ Bohemicæ. Marmor Bohemicum omnis generis. Lapides igniarij. Molares. Arenæ Bohemicorum fluviorum. Pragenſis Urbs omnia habet in promtu & ad manum, ædificationis auxilia. De Calce marmorea.

Mercurius.



ARgenti vivi copiam ingentē noſtris *Montibus* inhærere, & foſſionibus in apertum protrahi, & dum metalla ſecernuntur, profluere, nemo niſi qui metallorum, aut naturam, aut confectionem ignorat, inficiabitur, adeòque nihil mihi hoc loco addendum exiſtimavi.

Nitrum.

Nitrum foſſionibus frequentiſſimis multis in locis apud nos quæri, & paſſim erui in confeſſo eſt: ſæpe ita in propatulo *Nitrum* habemus, ut fodere nihil ſit opus, ſpontè, aut in ſuperficie telluris, aut ſtatim, ſi modicè telluris, ut ſic dicam, ſummam cutem ſubmoveas, pateſcit, & noctibus flammâ erumpente, aut etiā poſt pluviam, medio die (quod non ſemel ipſe vidi) ſeſe prodit, & geſtiunt quodammodo, & turgent venæ, ut tundendo apertæ reſpirent. Vel una *Praga* tres Nitri numerat officinas, quis reliquas totâ *Bohemiâ* ſparſas enumerare ſperet? nec unquam ſemel inventum deeſſe *Nitrum* poteſt, cùm etiam in ea tellure, quam rejeceris, copioſè iterum tempore proveniat, & ſeminibus in tellure neceſſariò relictis, recreſcat. Idem eſt *de fodinis ſulphuratis*, quæ tanto numero ubique per *Bohemiam* percutiuntur, & patent (quod fieri neceſſe eſt in tanta multitudine Metallorum, ut periti ſciunt) ut ſi *ſulphurarias* enumerare, totúmq; hoc ſulphuris negotium deſcribere velim, dubitare me de Lectoris prudentia, & peritia oporteat. Ex hac *Sulphuris & nitri & carbonum* (*quam ſilvoſa Bohemiæ* Regio præbet) copiâ & commoditate maximâ, non mirum eſt, innumerabiles (certè quàm plurimas) *Pulverarias* antiquitus excitatas, & quotidie novas excitari; ex his enim tribus, *Nitro*, *Carbone*, *Sulphure* pyrius pulvis (ut ſciunt omnes) componitur. *Praga*, & *Plſna* ejuſmodi officinas domi habent; aliæ Civitates paſſim in vicinia, ut *Wozicij* aliíſque plurimis in locis.

Sulphur.

Officinæ Pulveris pyrij.

M. Anton. Magius in Miſcellaneis. l. 1. C. 1.

Calx.

De Calce nihil attineret mentionem facere, cùm iſta dos Provincijs omnibus ſit communis, ſed ipſa *Bohemicæ* calcis præſtantia negligentiorem me, & ut Terentianè dicam, *omiſſiorem* eſſe non ſinit. Calcis probatiſſimæ lapides

pides effodiuntur plerisque in *Bohemiæ* locis; fornaces calcariæ magno numero ubique ad silvas visuntur; sed Montes maximi, qui ad *Pragam* post *Wissehrad* adverso flumine *Moldavâ* euntibus occurrunt, tum illi, qui in *Albo monte* secantur, calcem tam candidam, tam nitidam, & omni fæce carentem exhibent, ut cùm accenditur, aut postea liquescit, & subigitur, nihil propè excernendum, aut abjiciendum relinquat, cùm lapis totus, quantus est, mera calx fit, & in liquidam calcem vertatur, eámque nivei prorsus candoris, ut statuæ (opere quod nunc vocant stuccatorio) ex *Pragensi Calce* aptissimè figurentur; jámq; in proverbum apud Italos abijt, cùm vel in ipsa *Italia* aliquod calcis genus velut præstantissimum commendant, *Pasta di Praga* dicere, quod ipsis Italis Murarijs narrantibus didici.

Latomiæ.

Latomiæ aut *Lapicidinæ* apud nos frequentes, & optimæ (ut sic loquar) sortis, quales maximè exoptant Murorum opifices, & architecturæ magistri, neque ita duri qui *calcem & commissuram* non combibant, (quod ad perpetuitatem operis multum facit) neque contrà ita molles, ut aut malleorum ictus non perferant, aut si figuram aliquam ducere & exprimere velis, teneritudinem & fragilitatem lapidis timere possis.

Marmor.

Ad *Latomiam Marmora* quoque referuntur; quæ, etsi *Bohemiæ* parciùs Natura indulserit, indulsit tamen non paucis in locis: ad *Dobrzicovicium* nigrum marmor eruitur, sæpe venis aurei coloris interstinctum, quod blanditur oculis, éstque visu jucundissimum. *Album* seu *parium*, tum illud quod *porphyreticum* dicimus, varium item marmor & venosum multis in locis, & maximè ad *Carlsteinam* secatur in montibus, quos nunquam exhaurire fodiendo possis; sed de his fusiùs postea Cap. XXXIII.

Lapis igniarius.

Lapides igniarios affrictu scintillantes, & qui ad fistulas ferreas, etiã ad eas, quas *Flintas* appellant, ut ignem pulvis concipiat, adhibentur, tota *Bohemia* suppeditat; idem officiũ præstant quidam pretiosi Bohemiæ lapides, ut *Adamantes & Topazij*; ego *Onyche & Carneolo* ad excutiendum ignem multis annis utor.

Molaris lapis. *Muret. l. 8. Variar. lect. C. 15.*

Lapides Molares tam superiores (quos *asinos* in antiquitate appellatos probat eruditissimus *Muretus*) quàm inferiores, domi nobis nascuntur; neq; esse crediderim *Districtum Bohemiæ*, cui ex alio *Districtu Molares* petere sit necesse, cùm idonei maximè in *Latomijs* nostris secentur.

Arena ad cæmentum ex fluvijs petitur.

Arenulas ad cæmentum aptissimas habemus; ajunt optimas esse fluviorum arenas ad commissuras murorum, id verò passim quà *Albis*, *Muldava*, aliíque apud nos fluvij feruntur, usitatissimum est: ex alveo fluminum scilicet, arenas, certâ quadam machinâ educere; eo pacto quidquid Domorum est *Pragæ* exstruitur, *Muldavâ* qui mediam Urbem intersecat, arenam purissimam, minutam, & illimem Civibus offerente; ex quo & illud commodi sequitur, ut alveus fluminis quotidie reddatur profundior, adeóque in exundationibus (quæ frequenter Pragenses ripas mergunt) minùs molestus sit, minúsque pertimescendus. His rebus, quas modò attuli, consequens est dicere: *Pragensi Urbi* maxima à natura præsidia ad ædificandum contulisse Naturam, ut & minore pretio, & maximis auxilijs exstruatur: Millies audivi *Architectos Italos*, qui beatam prædicabant *Pragam*, quòd & *Lapides* maximè ædificationi idoneos, & *calcem* bitumini tenacitate nihil concedentem, & nivi similem, & *Arenam* præsto haberet ex flumine, & *silvas cæduas* à milliarijs plurimis, in ripis *Muldavæ*, *Berauncæ*, *Sazavæ*, aliisque fluvijs stantes, quæ secundo flumine *Pragam* defluerent; addebant: etsi ædificando *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam*, *Poloniam* peragrassent, nihil se uspiam locorum

Praga facilè & parvo ædificat.

quod

quod tantæ támque fœlici, & facili ac parabili ædificationi conferri posset, invenisse. De *Calce* tamen hoc adjicio: in *Kaurzimensi* Provincia ad *Czestin Kostel* (quâ *Kaczerovium* via ducit) *Fodinas Marmoris* prorsus solitarias (nam præter eas nihil ibi Natura marmoreum offert) inveniri candore Lapidis mirabili. Qui perpetuitatem Operi suo in ædificando quærunt, *Marmor* illud conterunt, commolunt, & aquâ sæpius affusâ subigunt. Laudatissima inde *Calx* spissatur, cui candore, nitore, lævore, constringendíque lapides facultate parem, *Murarij* per *Bohemiam* non habent.

Calx ex marmore seu marmoratum.

CAPUT XXI.

De Officinis vitriarijs in Bohemia, quæ sint præcipuæ. De quodam pulvere, aut cinere ad vitrum conficiendum necessario. quàm ingeniosa sit vitri flandi inventio.

JAm *Vitri* conficiendi prorsus singularis ars (*Chimiæ* præclarus & pretiosissimus partus, nisi pretium apud nos copia extingveret) ejúsque artis officinæ tanto numero ad *Bohemiæ* silvas visuntur, ut vicinas, & remotas Regiones superet *Bohemia*. In Districtu Bechinensi *Benessovienses*, in Chrudimensi *Heralecienses* commendantur; *Krageticium* quoque & *Bircksteinium* vitra conficiunt; ditio *Krzivvokladensis* Operarum frequentiâ omnes alias patrum memoriâ superabat. Quis omnes enumeret? cùm ab annis 20. novas excitatas officinas sciamus, & propediem excitandas. in summa: nullus propè est *Bohemiæ Districtus* (nisi fortè *Vultaviensis*) qui *vitri officinâ* careat; sunt, qui plures numerare possint, ùt *Reginohradecensis*, *& Plsnensis*. Commoditatem huic labori ipsa regio præbet, silvosa maximè, & quod à *Magistris Officinarum* sæpius audivi, certum genus lignorum quibus *Bohemia* abundat; quorum lignorum cinis, & pulvis, Vitro conficiendo materiam suppeditat benignissimam, ut sine eo pulvere ars tota concidat, opúsque sit eum cinerem ex certis *Bohemiæ* silvis in remotas regiones, quæ illo careant, procul transportari, & transvehi. *Richnoviensis Vitriaria* Celsissimi Principis Archi-Episcopi Pragensis; *Bistricensis* Comitum Slavatarum; *Braumoviensis*, *Porzicensis*, *Crumloviensis*; ad S. Annam Sancti Fontis, ùt vulgus appellat; *Hirschenvvisensis* (Gelenj Lauka) *Greibicensis*, *Falckenaviensis*, *Pramensis*, *Przibeticensis*, *Sebisensis*, *Sskvvorzecensis*, *Krumvvaldensis*, *Pauerhittensis*, tum quæ ad *S. Crucem* sita est, & alia *Brattenbachensis* ad *Jochmstal*; *Naczensis* post *Girkaviam*, *Svvartzbachensis*, *Starckenbachensis*, *Binnebergensis*; & in *Wrzistie* non procul *Heralecio*, in *Dobravoda* ad *Benessovium* (ùt paulò antè dixi) in Districtu Bechinensi, &c. Quædam tam perspicua, nitida, pura, & ducta subtiliter Vitra conflant, ut in Imperium, & universam Germaniam, maximis pretijs vitrorum venditores invitentur. *Comites Kaunicij* paulò ante hæc tempora, *Ludum*, ut ita dicam, aperuêre pretiosissimorum Vitrorum, ad *Neüschlos*, quæ perspicuitate & nitore *Crystallum* propè æquabant; testem in hoc habeo universam *Bohemiam*; omnes Procerum ac Nobilitatis Mensæ hodiedum hoc genere vitrorum implentur; cæterásque omnes vitrorum officinas, dum labor ille caleret, sepeliebant; nunc audio Laborem,

Vitrorum apud nos vilis annona.

Vitra Kauniciana.

Planenſia vitra nunc quàm maximè celebrantur.

quâ cauſsâ neſcio, frigeſcere. *Planenſis* officina, in regione *Plſnenſi*, hodie, ut audio, venuſtate vitrorum, cæteriſque varietatibus pleraſque ſuperat, & in arte regnat. Plures alias vitri Officinas apud nos, ſi in eo *fortunæ Græciæ ſitæ* forent, ùt ait ille, adducerem; una *Chrudimenſis Provincia*, quatuor officinis vitriarijs, in quibus diu noctùq; ſudatur, gloriari poteſt. Vix puto tertiam Officinarum partem enumeraſſe me; tres, quatuórve hujusmodi officinas cùm acceſſiſſem, liquidiſſimâ voluptate perfuſus diſceſſi, neque enim (niſi in rem præſentem veniſſem) cogitatione ullâ fingere mihi potuiſſem, tantam eſſe vim ignis, ut cineres liquidos, & fluidos redderet, & è contrario jam fluentes ſolidaret; deinde flatu tot, & tam varias vitrorum formas fabricari, ut ſic dicam, poſſe. Quàm multæ ad hanc artem induſtriæ! materia ipſa quàm multis eget præceptis, ut idonea ſit flatibus! quàm tenax, & ſui ſimilis ignis! denique *Vitrum*, grande eſt Naturæ & artis miraculum; neque omnis ignis valere poteſt. Vidit hoc doctiſſimus *Plutarchus in quæſtionibus Naturalibus*. *Diverſi*, inquit, *ſunt ignes, & diverſorum effectuum: qui aurum fundunt, flammâ de paleis ſuccensâ aurum domant; Medici è palmitibus igne facto, medicamenta concoquenda leni igne calefaciunt; flammam è myrica ad emolliendum & formandum vitrum ajunt eſſe commodiſſimam, &c.* quæ omnia ab Artificibus diligentiſſimè obſervantur.

Ars pulcerrima Vitrũ conflandi.

Plut. l. 3. qq. Nat. qv. 10.

(✠)

CAPUT XXII.

Chartariæ officinæ apud nos enumerantur.

Mylij error de origine Chartæ. Multitudo Officinarum hujusmodi. Chartæ Hollandicæ materiam ſuppeditat Charta Joachimica. Molitorum artes in Bohemia. De opere figlino. Ridiculum quiddam de Wenceslao Rege ac Cæſare, déque Auriga Ollas Pragam vehente.



Hartarias Officinas magnam & artem, & utilitatem, & neceſſitatem continere, toto quodammodo genere humano hodie ſcripturis occupato, pro confeſſo habetur. Egregiè hallucinatur *Mylius*, qui artem chartæ conficiendæ primùm circa annum C. 1470. inventam affirmat, cùm ex Gallicia duo viri, *Antonius & Michaël*, *Baſileam* veniſſent, & ſecum artem illam attuliſſent antè Germanis ignotam. Sed *Mylium* integræ Manuſcriptorum Codicum Bibliothecæ refellunt, in quibus plurimos in charta Codices, jam ante Annum 1340. ſcriptos, quoties lubebit, oſtendam. De Membranis ab *Eumene Pergami Rege* inventis, de *Papyro*, ac deniq; de *charta*, accuratiſſimam invenies tractationem apud *Robortellum*, diſputatione *de Arte veteres libros corrigendi*. Ad *Chartarias Officinas* redeamus. Exiſtimo *Bohemiam* (etſi non maximo ambitu clauſam) non parum ampliores ſe provincias earum numero provocare poſſe. Enumerabo per Indicé, ùt ſub acumen ſtyli ſponte venient, memoriâ ſuggerente.

Mylius in horto Philoſophico tit. Papyrus. de inventione chartæ.

Franc. Robortell. Tomo II. Criticor. Jani Gruteri.

Pragenſis lucroſiſſima.
Reinercenſis in Comitatu Glacenſi.
Pardubicenſis in DiſtrictuChrudimenſi.

Jochmſtalenſis chartæ bonitas.

Molæ aſſetariæ.

Ben-

Benſenſis. hæc inter probatiſſimas cenſetur, éſtque multiplex.
Novodomenſis in Bechinenſi provincia.
Herazdiovicenſis in Prachenſi.
Egrenſis.
Aulæregienſis ad Pragam.
Litomiſslium Civitas, habet duas.
Gerkavia habet duas, quæ à nitore & candore chartæ plurimùm commendantur.
Nimſenſis ſeu *Mimonenſis*.
Briſavienſis.
Trutnovienſis.
Langenavienſis.
Hohenelbenſis ſeu *Albipolenſis*.
Peltztorffenſis.
Auſtenſis, quæ à multis laudatur.
Commotovienſis, & hæc valde laudata.
Hammerenſis.
Eichvvaldenſis.
Telnicenſis.
Taleſchinenſis.
Rzecicenſis.
Rokitnicenſis.
Fridlandenſis charta elegantiâ prorſus (ſingulari.
Radlicenſis.
Landervaſſerenſis.
Planenſis.
Ronſpergenſis.
Einſidlenſis.

Jochmſtalenſis chartæ bonitas.

Jochemſtallenſis. hæc ut reor, principatum obtinet ex chartæ bonitate. Cùm antè annos aliquot *Jochmſtalium* adijſſem, narrantes Chartarios audivi, totam propè hanc chartam *Jochmſtalenſem* in *Hollandiam* devehi; ibi rurſus refingi, atque ex ea politiſſimam illam, & tenuiſſimam chartã denuo confici, quam in libris (*Lugduni Batavorum* præcipuè editis) mirari ſolemus. Eſt enim charta *Jochemſtallenſis* utcunque craſſa, adeóq; ex una ejus philyra duas, magno lucro *Hollandi* conficiunt, materiâ ſuppetente.

Hoc loco ſuſpicio mihi oboritur, non omnes me Officinas chartarias enumeraſſe; ſed quis id à me requirere & jurgare poſſit, cùm novæ aliquibus in locis excitentur? Porrò *Moletrinæ chartariæ*, & illius quoque non ignobilis artificij, quo aſſeres ſcinduntur, elegantiſſimam deſcriptionem Lector inveniet in *Hercule Prodicio Stephani Vinandi Pighij*, quam ab amante ejuſmodi artium ſtudiosè legi cuperem; hîc obiter addo: *Aſſerarias* Molas, multòque etiam magis *Moletrinas*, ubi farina conficitur, apud nos propemodum infinitas numerari, & *Molitores* peritiſſimos eſſe omnis ligneæ architecturæ, artifices lignarios ſummos, & quidquid ſerrâ, dolabrâ, ac ſecuri peragitur, ad ungvem callere.

Molæ aſſerariæ.

Figlinum opus.

Figulorum ars non eſt tanti, ut eorum fieri mentionem oporteat, ſed in eo labore *Beraunenſes* & *Levvinenſes* excellunt. Ridiculum eſt quod *Cæſari Wenceslao* ante ducentos annos accidit, ídque & veteres memoriæ, & Beraunenſes affirmant: commeabat *Wenceslaus Imperator* tum *Pragâ Zebracum*, *Cunradicium*, *Zbirohum*, tum hinc rurſus *Pragam* frequentiſſimè, & mutatione loci tædium Imperij curarum levare ſolebat; fortè evênit, ut itinere Pragenſi *Beraunam* proficiſcens Imperator in Aurigam incideret curru everſo, & ollis, quas Figulis Beraunenſibus ad nundinas *Pragam* vexerat, confractis, Deos, homines, & iter ipſum diris devoventem. *Wenceslaus* ut erat, facilis & facetus, cùm ex auriga irato, bona verba extorquere non poſſet, offert optionem (utì damnum ſibi compenſaret) quidquid vellet à ſe petendi. Auriga confeſtim: *hoc* inquit, *unum, Imperator, peto, ut cùm hæc via tam impedita, ſaxoſa & inæqualis ſit, tuo Edicto ſtatuas, ut non ampliùs duo milliaria (quod hactenus factum) Beraunâ Pragam computentur, ſed tria, útq; nobis miſeris Aurigis tam ſæpe currifragium hoc itinere patientibus, pro tribus milliaribus Figuli pretium numerare cogantur.* Dictum factum, & Imperatoris Decreto, tribus milliaribus *Pragam Beraunâ* diſtare declaratum eſt, quod hodiéq; ſacroſanctè ſervatur, pœnâ etiam in eos, qui contradixerint, legibus conſtituta.

CAPUT XXIII.

Fluvij Bohemiæ. Albis unicus noſtros omnes Fluvios devorat. Cereviſiæ ex Aquis apud nos diſcrimina.



Luvios omnes *Bohemiæ*, in ipſa regione, aut ex limitaneis *Bohemiæ* montibus naſci jam antè narravi; hinc illa aquæ dulcedo, cùm fluvij omnes non procul ab origine manantes, quaſi totidem fontes, & aqua omnis fontana haberi poſſit, quam avidiſſimè *Piſces*, ac *Salmones* præcipuè, conſectantur. Si compendio uti vellem, *Albim* unum Bohemiæ flumen (qui poſt oppidum *Wrchlabi*, *Hohenelb*, à Septentrionali *Bohemiæ* parte oritur) nominarem; nam hic unus, cæteris omnibus fluvijs devoratis, & receptis in ſe, unus extra Bohemiam (poſt *Uſtam* ad *Dieczinum*) fertur, & retinet nomen; cæteri, qui ei ſeſe in *Bohemia* addunt fluvij, nomen amittunt. Memini me in *Epitome hiſtorica rerum bohemicarum* omnes noſtros enumeraſſe fluvios, & cum cura curſus eorum tradidiſſe; præcipui, qui in *Albim* exonerant ſeſe, habentur: *Upa*, ante *Jaromirium*; *Metuge* ſub *Jaromirio*; *Aquila* duplex, (cujus aquis præcipuè oblectari *Salmones* in comperto eſt) ad Reginohradecium; *Lauczna*, apud Pardubicium; *Cydlina*, ad Libicium; *Chrudimka* ſub Pardubicio; *Mrlina*, ad Nymburgum; *Giſera* fluctibus argenteis aut gemmeis potiùs, & nobiliſſimis piſcibus celebris, ad Tauſſimium; tum ad Melnikum ipſum, *Wltava* ſeu *Muldava*, primæ poſt *Albim* authoritatis & nominis flumen; naſcitur in oppidulo *Wltavva* in ditione Ducum Crumlovienſium, in Meridionali Bohemia; & hos antequàm *Albi* miſceatur fluvios recipit: *Malczam* ſeu *Malice* ad Budvicium; *Luznice*, ſeu *Luzinam* ad Muldavo-Tinam; *Blaniciam*, *Wolinkam* & *Vatavam* gemmiferum & margaritarum nobilem piſcatu, ad Arcem *Zvvikovv*; tum *Koczabam* ad pagum Sſtiechowicenſem; *Sazavam* nigris fluctibus ex Moravis limitibus venientem, ad oppidum *Daule*; ac denique cum *Beraunka Mzam*, ſeu *Miſam*, ad Aulæ Regiæ Cœnobium, (à quo fluvio, Crantzius Miſniacorum nomen falsò deduxit) *Miza* verò antè quàm *Muldavæ* jungatur, amnes in ſe recipit multos: *Bradavvkam* & *Radbuze* ſuper Plſnam; *Uhlavvam* paulò infra eam; tum alios fluvios quinq;: *Rokyczanenſem*, *Plaſſenſem*, & *Teiſingenſem* ſub Kaczerow, *Rakovvniczenſem* ſuper Krziwoklad, & è regione Berraunæ Aquam *Divicenſem*; hoc omnium fluviorum cum *Muldava* comitatu, ſuperbior *Albis* in *Miſniam* eluctatur, ſex fluvijs poſt receptum Muldawam auctior, ſcilicet *Beſſovvcâ* ſeu *Bſſovvkâ* ſub *Mielnico*; *Chablovvka*, & *Egrâ* (Bohemis Ohrze) ſuper Litomericium; *Bilinâ* ad Auſtam; *Plauczenice*, & *Badebachâ* ad Dieczíniam; ſinguli fluvij ſuis quiſque dotibus commendari ſolent, quas hoc loco percenſere nihil attinet. *Albim* à numero undecim amnium qui in *Albim* influunt, dictum exiſtimant multi, alij à numero undecim fontium (quorum omnium nomina recenſet *Fabricius*) ex quibus oritur, quaſi Elf, accepiſſe nomen putant; *Labe* per metatheſin vocant *Bohemi*, notiſſimum antiquis Græcis, & latinis Scriptoribus flumen. Gratiſſimum, ſed ex horrore ſpectaculum eſt: *Albim Bohemiâ* egredientem videre: totus in anguſtam & ſaxeam quan-

Enumerantur Bohemiæ fluvij, quos omnes Albis unus devorat.

FluvijBohemiæ variè colorati.

Ex aquæ varietate ſæpe Cereviſiarum oritur varietas.

Fabric. in Annalib. Urbis Miſnæ. l. 1. init.

Alveus Albis ſaxoſus poſt Auſtã.

quandam convallem impactus tremente toto alveo, & petris subtus horrente, spumantibus fluctibus eluctatur in *Misniam*; credebam tum periturum me dum illac navigo, nunc quasi superato recenti periculo, quoties cogito, revivisco.

Fluvij Bohemiæ variè colorati.

Aquarum apud nos, etiam quæ alveis fluunt, multa sunt discrimina: calentes, tepidæ, gelidæ, dulces, austeræ, limosæ, palustres, cœlestes & pluviæ, turbidæ & pellucidæ; color nonnullas discriminat. *Albis* turbato fundo, turbidus plerumque procedit; *Muldava* (maximè dum minor æstate fluit) virentis herbæ colorem præfert, & revera dum oritur, diu multa prata percurrit, ac lavat; *Sazava* nigrore quodam tingitur; *Misa Beraunca* junctus candidat, sic ut nihil dissimilius esse possit, & tres ex ijs fluvij (*Beraunka, Muldava, Sazava*) qui ante *Pragam* juncti mediam Urbem discriminant, facilè coloribus distingvantur; id mihi discrimen ex vitiferis collibus, qui Sacrario *S. Magdalenæ*, & horto Societatis nostræ trans *Muldavam* imminent, ostendit pridem R. P. *Mathæus Scultetus* Vir Apostolicus è Societate nostra; addebat eam esse caussam, cur *Novæ & Antiquæ Urbis Cerevisiæ* meliores ac pingviores sint *Minoris Pragæ Cerevisijs*: illas enim ex nigris *Sazavæ* aquis, has ex *Beraunka*, qui ripam *Parvæ Partis* alluit, inustas & coctas esse; atque inde accidere, ut quidquid *Urbis Minoris Cerevisiarij* coctores conentur, quantumvis Magistros eosdem ex *Urbe antiqua* vel *Nova* advocent, hordeum ex ijsdem agris petant, aliáque omnia præstent, nunquam tamen robur Cerevisijs suis addere, & conciliare possint; ídque ampliùs ex eo patescere: quòd si adversùm *Sazavam & Muldavam* eamus, & quæ loca alluant perpendamus, omnia illa optimis *Cerevisijs* hordeaceis, *amaris*, ut vocant, & ex flavo nigris, abundent; contrà, quæ *Beraunka*, & qui in eum totus immigrat *Misa* irrigat fluvius, non ab hordeaceis Cerevisijs, sed à tenuibus & triticeis (quas *Albas* vocamus) commendentur. Lectoris sententiæ totum hoc quod nunc attuli, subjicio, vide quæ postea adferentur. Sed saporis discrimen magnum *aquis* nostratibus inesse notius ac certius est, quàm ut argumentis pugnare sit opus: intelligunt id ac sentiunt maximè *Salmones & Auratæ* delicatissimi piscium, ut suo loco dicemus.

Ex aquæ varietate sæpe Cerevisiarum oritur varietas.

CAPUT XXIV.

Thermæ Teplicenses & Carolinæ. earum origo, & mira quædam; natura & vires. Thermæ amissæ sunt imposito lavantibus pretio.



Fabric. in Annalib. Urbis Misnæ. l. 1. init.

Alveus Albis saxosus post Aussig.

THermarum in natura plurima sunt miracula, nec hâc gloriâ *Bohemiæ* regio caret: duplices habentur in honore, *Teplicenses & Carolinæ*, nisi fortè *Landecanas* (in *Comitatu Glacensi*) in Bohemiam quoque trahere velis, quæ quidem *Thermæ* appellari non possunt, cùm calidæ non erumpant, atque ad lavandum, eas calefieri sit necesse. *Teplicenses Aquæ* calidissimæ terrâ exsiliunt, longè tamen mitiores sunt *Carolinis*, quæ ob fervorem, ab humano corpore, nisi refrigerentur, perferri non possunt; tantus est aquæ ardor, ut térque quatérque intincta animantia (gallinæ, sues &c.) pennas & pilos amittant. *Teplicenses* ad A. 762. suum volutabro detectæ,

Inventio Thermarū Teplicensium & Carolinarum

Carolinæ longè posteriùs Anno 1370. Carolo IV. apud nos regnante, dum per hæc loca feras sequitur, *Canis* venatici in has aquas lapsu, prodente ambustionem ululatu.

Quinam de ijs scripserunt.

Teplicium Slavicâ voce quasi dicas *Caldarium*; hinc etiam *Carolinas* alluit fluvius *Tepla* nomine, *tepla* enim & *Teply* calidum Bohemis significat; ut *Carolinæ*, *Wary*, à coquendo, quòd ibi aqua coquatur, effervescat & bulliat, appellantur. De hisce Thermis scripsêre plures: *Teplicenses* historicum habent *Gasparem Schvvenckfeldium* Reipublicæ Görlicensis Physicum, qui earum Originem & Naturam diligenti, etsi parvo opusculo (ut Tullianè dicam) descripsit, Anno 1607. eúmque libellum *Magdalenæ Waldsteinianæ natæ Zezimianæ de Austi, Dominæ in Arnovia* dedicavit. *Carolinæ* descriptores, & laudatores habent plurimos, qui earum salubritatem literis, pro eo ac merentur, celebrarunt; præcipuus ætate Patrum *Matthias Sommer* Medicinæ Doctor, in hoc oppido natus, & domesticus. Lipsiæ editus Liber est Anno 1609. duplici præfatione, primùm *Baroni de Fels Leonardo Colonnæ*, deinde Senatui Imperialis Urbis *Norибergæ* dedicatus. Libelli summa est: enumerat complures Aquas Medicas per Germaniam (*Badenses* seu *Martias*, apud Moguntiam *Wysbadenses*, non procul Confluentiâ *Embserbad*, ad Salisburgum *Castienbad*, *Badenses* in Austria, & apud *Helvetos* alias eodem nomine, *Wirtembergicas*, *Aquisgranenses*, *Lotharingicas*, *&c.*) atque his omnibus antefert *Carolinas*. Anno 1370. inventas esse à *Carolo* ut antè narravi. Lavisse hîc Cæsarem *Carolum*, & læso pedi fecisse medicinam; habuisse in animo *Castrum* pro defensione *Thermarum* condere in saxeo illo monte, quem Incolæ Cervorum montem (Hirschenstein) quòd in eo Cervos videre sæpissimè liceat, appellent; narrat ubi nunc *Curia* assurgit, grande saxum stetisse, cui *Caroli* effigies incisa fuisset, id saxum (Carlstuel) *Caroli* sedem appellatum, inertissimâ negligentiâ Veteres ædificio contexisse. *Teplam* fluvium à Calidis aquis bohemicum nomen habere; explicat deinde *Aquarum Carolinarum* naturam solertissimè, & unde odorem, vires medicas *Aqua* illa hauriat, docet; calce, sulphure, alumine, rubricâ, salpetrâ, & cæteris, sed *vitriolo* maximè imbutam esse demonstrat. Tractatio tota descriptione publicorum quorundam operum concluditur; *Alberti C. Sslicky* præcipuè pia liberalitas commendatur, qui Anno 1531. Hospitalem pauperibus excipiendis domum fundavit, & dotavit. Hæc Doctor *Sommerus*. Illud non parvum est Naturæ hoc loco miraculum: *Aquam Thermarum* intemperantissimè, sed innoxiè à lavantibus potari: incipiunt à paucis v. g. decem cyathis, addunt altero die plures; augent quotidie potûs mensuram; multi ad cyathos aquæ 40. 50. ascendunt, tanta inde acquiritur alvi lubricitas, ut simul bibatur, simul perdatur, hoc perfectæ curationis certum est argumentum; inde ut cœperant à parvo cyathorum numero, contrà descendunt à maximo, & ad cyathos paucos perveniunt; hoc jam sanitas est, idq; rebus ipsis compertum. Juvabit Excellentissimi & Expertissimi Medici *Joannis Caroli Kirchmayer à Reichvitz* Jurati Regni Bohemiæ Physici annotatiunculam, quam rogatus mihi transmisit, apponere: *Cyathus* inquit, *est Mensura liquorum, quæ respondet Unciæ uni cum dimidia circiter, sed pro qualitate liquoris. Pocula Thermarum Carolinarum sunt majora, & varia, Unciarum duarum cum dimidia, aliqua Unciarum trium cum dimidia circiter. Si natura & constitutio ægrorum ferat, à decem vel pluribus incipiunt, & ascendunt ad 40. vel 50. Fuerunt jam, qui sexaginta & septuaginta transcenderunt, prout in aliquibus naturis operantur. Bibuntur aliquot diebus,*

Margin notes: C. 5. Sumarium lib: de Thermis Carolinis. — C. 1. — C. 2. — C. 5. — C. 3. & 4. — C. 5. — Potatio aquæ calidæ in balneo Carolino.

ebus, quinq; circiter; poſtmodum balneatur, ídque alternis repetitur térve, quatérve. Hæc ille. Præter *Aquas* multa alia, quæ mirari rerum Naturæ curioſi poſſint, *Caroli Thermæ* offerunt: *Stillatitius* in primis lapis, ut vocant, qui ſubitâ Metamorphoſi ex aquæ guttis ſtillantibus duratur in lapidem (Germanis Walſtein ſeu Tropfſtein) tanto ibi proventu quotidie creſcit, ut intra pauciſſimos dies balneorum vaſa, & Thermarum canales intercipiat, niſi manu defendas, & naſcentem decuſſeris. *Gypſeus* ibidem *lapis* (*Stalagmitem* Græci vocant, cùm guttæ rotundæ ex aqua in gypſum vertuntur) variorum colorum, fuſci, candidi, griſei &c. figuræ quoque variæ (fabarum, piſorum, coriandri &c. naturâ, cùm rem non poſſit, aliquid lætum ſaltum & utile cibis imitante, ut ſæpius diximus) maximo numero reperitur; irritántque *Aqvas Thermarum* pueri, & hilaris illa ætas, ut quidquid juſſerint, creſcat, ligneis formulis ad id paratis infuſum. Tanta ibi lapideſcentium rerum copia, ut lignum ipſum nocte impoſitum, manè lapideâ cruſtâ intectum conſpiciatur; quæ colore & corpore calcis naturam explorantibus præfert. Sæpe ex ipſis Thermarum canalibus videas ſtramina, folia arborum, quercûs, & alni pendentia, quæ in lapidem dúrata in aquam inciderant; lacertam ibi vidiſſe memini à Pueris occiſam & merſam, in lapidem tranſiſſe, elegantiſſimi Sculptoris arte expreſſam juràſſes. præcipuè *lapilli rotundi* piſorum inſtar ſpectantur: qui quòd candicent, ex materia quâ conſtant, vivæ calcis; quòd verò niteant, & fulgeant, ex tinctura, ut vocant, Minerali, conſequuntur. verbo: omnia ibi Metalla & Elementa confundunt, & commiſcent ſubterraneæ flammæ, cogúntque naturas, ut errore mirabili, altera in alteram depugnent, & tandem ex mutuo illo certamine refractæ, novum aliquod mixtum lapidis genus ex multis parturiant. Quæ commiſcentur, ut in canalibus ad oculum patet, ſunt: *Calx, ſulphur, alumen, ſal nitrius, tum ſemina metallorum.* Quæ, quia, ut ita loquar, malâ fide conjuncta conſtant, duraturâ ſoliditate & debitâ non conſtant, & vitrum fragilitate imitantur.

Qualitates Thermarũ Bohemicarum.

Illuſtrat *Thermarum Bohemicarum* naturam ac vires (ut aliarum quoque in Evropa) immortale *Athanaſij Kircheri* ingenium, brevi quidem, ſed acri, & penetrali nervoſitate: *Carolinæ in Bohemiâ,* ait, *ſulphureo-aluminoſæ ſunt: glandulas, ſtrumas, ſciaticam, paralyſin, & ſimiles morbos curant. Tales Thermæ Badenſes Helvetiorum, & Badenſes in Badenſi Marchionatu, & in Auſtria &c.* & pòſt: *Teplenſes in Bohemia ſulphure, nitro, alumine, bitumine, & ſaxo calcario conſtant; nullum eſt ferè morbi genus, cui non proſint.* Quibus verbis *Athanaſius Teplicenſes* viſus eſt *Carolinis* præferre. Ad *Thermas Carolinas* illud adjici debet: oppidum illud cum Civibus ſuis non ſemel grave ab aquis periculum ſubijſſe, ac tantùm non Aquis obrutum. In vetuſto quodam Libello annotata inveni *Thermarum Carolinarum* pericula; nunc ſcribenti Liber ad manum non eſt: memini in eo legiſſe, ad prioris ſæculi finem collectas nubes aquis gravidas decidiſſe in fluvium *Teplam*, & Thermas ſubitò merſiſſe, non paucis mortalibus in alveum abreptis, ídque non vice ſimplici factum. A. 1579. 2. Aprilis, atque iterum Anno 1636. 10. Februarij, Piſcina *Podhorska* (nunc **Podhrſel**, *Lacum* vocant non pauci) ruptis tempeſtate aggeribus exundavit, & graviſſimis damnis *Thermas* affecit: habeo fragmentum literarum, quas *Thermitani ad Abbatem Teplenſem* 20. Februarij Anno 1636. dederunt, ubi illa damna enumerantur, & quatuor ſexagenarum millibus reparari non poſſe conteſtantur. Illud propè exciderat, magno divinæ providentiæ dono, Thermas noſtras omnes

In Mundo ſubterraneo.

Natura avaritiæ Thermarũ aquas utrasq; ſubtraxit.

Jonſt. in Thaumat. nat. Claſſe 4. C. 14.

mnes protinus exaruiſſe vectigali impoſito (ut ex Camerario Jonſtonus de Carolinis obſervat) de *Teplicenſibus* conſtat, idque inter Exempla Avaritiæ legimus, & in propylæo *Thermarum* ſcriptum videmus: cùm loci Dominus, aut Cives, lavantibus pretium olim ſtatuiſſent, *Aquas balnei* ſtatim amiſſas ex oculis, neque niſi ſublato vectigali, ſummo foſſionum labore, recuperari potuiſſe. Apparet DEUM æquè ut *ſanitatem*, ita ſanitatis remedia, omni conditioni hominum communia, & in propatulo eſſe velle. Idem de fonte *S. Wenceslai Pragæ* commemorant Senes, exaruiſſe venas, cùm ab haurientibus pretium poſceretur.

CAPUT XXV.

Origo Deſſnenſis Balnei, ac vires Medicæ. De Acidulis Egrenſibus & Teplenſibus. Novum Balnearium in Bohemia.

Hiſce calidis, medicíſque, fontibus dicam, an rivis, an amnibus? meritò accenſeri poteſt Aqua *Deſſnenſis*, tribus *Taborio* milliaribus (itinere *Novodomenſi*) mirè ſalutaris, & quod innumeris conſtat exemplis, ad ſalutem ægrorum mortalium cœlitus quodammodo comparata. Vidi ante multos annos, typis ſæculi hujus initio vulgatam de Origine fontis *Deſſnenſis* narrationem. Anno 1599. ipſo S. *Catharinæ* feſto die, mulier vidua & pauper, *Catharina* Urbanczowa nomine, quæ pridem dolore capitis excruciata, nullum in Medicis auxilium invenerat, ex pago *Svvecze* domum in oppidum *Deſſnam*, unde orta erat, redibat. Nondum Sol occiderat, cùm in colliculo quodam videt Sacerdotali habitu indutum venerabilem ætate & gravitate Senem genua poſuiſſe; aderat triennis, ut videri poterat, *Puellus*, albo amictu, & ipſe flexis geniculis oranti ſimilis, manu hâc & illâ duas faces ſerenâ flammâ lucentes ſuſtinens. Non erat terrificum ſpectaculum, ſed gratum Mulieri; itaque & ipſa invitata pietate, genua ponit. inter orandum animadvertit, quaſi cœlum fulmen minaretur, coruſcationes fieri; ter

Thermæ Deſſnenſes mirabiliter inventæ.

coruſcavit, ad ſingulas Senex ille vultum demittebat, ſic ut ipſam humum fronte contingeret; mox ortæ mulieri ſunt tenebræ, totámque illam Senis & pueri ſcenam evanuiſſe ſenſit, acceſſit tamen intrepidè locum, vidétq; tres puriſſimas aquæ venas (quas neque ipſa, neque alij, qui ſæpe illac iter fecerant, unquam antè obſervaverant) emicuiſſe; *Mulier* confeſtim doloris ſui admonitu Aquâ illâ volâ manûs hauſtâ, oculos, DEI nomine invocato, & reliquum caput lavat, ſenſitque dolores omnes momentò quaſi potentiſſimo pharmaco detrahi, ſéque integram recepiſſe ſanitatem. Res tota ad Dominum (erat is ſtrenuus *Eqves Wilhelmus Ruth de Dirna* Dominus in Nova Cereque, *Rudolphi II.* Bohemiæ Regis in Diſtrictu Bechinenſi Capitaneus, cujus nobiliſſima familia paulò ante ætatem noſtram extincta eſt) ad Dominum, inquam, res defertur; legitimè examinata mulier, jurejurando narrationem ſuam firmavit. Secutæ ſunt innumeræ curationes ægrorum (quarum aliquæ in eo manuſcripto libello commemorantur) atque ut Populus cœlum, unde illa ſalus veniebat, reſpiceret, placuit Peregrinos ad Eccleſiam condendam invitare. Collectum brevi tempore

pore tantum argenti, ut Ecclesia lapidea non inelegans omnino, ab Oppidanis *Dessnensibus*, & loci Dominis conderetur, quæ Ecclesia fontem illum Medicum contegit & defendit, sic, ut medio in Templo fons erumpat; inde aqua hauritur, & ad balneas seu *Thermas* propè ædificatas fertur, ut fervefacta ignibus balneantibus sit in promptu. Ad S. *Joannis* Festum diem maximè salutaris habetur lotio, placuitque ob id Ecclesiam *S. Joannis Baptistæ* nomine honorare, ut is præsit balneis; qui ipsam salutem in *Jordane* quondam lavisset. Eo die memini me plura quàm octo Peregrinorum millia vidisse, qui Parochis suis ducentibus advenerant; quorum non parvus numerus Conscientiâ Confessione peccatorum expiatâ sacræ accubuerunt Mensæ. Notant eruditissimi quidam viri; *DEUM* quoties per Naturales caussas agere potest, à miraculis quodommodo abhorrere; idem in fonte hoc nostro factum video, nam (nè quis erret) etsi origo ejus quandam Miraculi speciem præferat, vires tamen naturales. Audiamus *Agricolam* apud *Kircherum*: *Aquæ aluminosæ, mistæ atramentosis, colorem æris dant ferro, cæterisque metallis candidis, æs & aurum splendidum reddunt; testes hujus experimenti sunt aquæ calidæ* (errat Agricola non enim ùt dixi, calidæ erumpunt, sed concalefactæ & fervefactæ prosunt) *in Bohemia ad Arcem cui nomen Novadomus* Neühaus (distant à Nova-Domo itinere duarum horarum) *nam argentei Anuli eorum, qui balneo isto utuntur, frequenti aquæ vitrioloaluminosæ usu, cum tempore Æris colorem contrahunt, aurei verò Anuli etiam illustriores, nitidiorésque fiunt, & in ferro quoque indurando maximâ vi pollent ùt suo loco dicetur.* Hæc Agricola, quod etiam habet *Jonstonus*. Ad aquas *Acidulas* veniamus, quibus non minus, quàm quæcunque aliæ terræ *Bohemia* gloriatur: *Comorzani* olim etiam *Stiechovicij* fontes *Aciduli* miræ salubritatis laudantur. Hodie *Egrensis Fons* acidulus omnes per Bohemiam hoc in genere vincit, tantóque hominum, ac primæ Nobilitatis accursu celebratur, ut nihil suprà; viri nobilissimi qui ipsi ob negotia adire vetantur, Nuncios, aut currus mittunt, verno præsertim tempore, & *Senatûs Egrensis* authoritate signatas lagenas plurimas domum reportant, jámque etiam *Pragæ*, aliísque in Urbibus ejus aquæ mercatus est; scimus in *Poloniam* & in intimam usquè Germaniam *Acidulas* devehi curribus, lagenis quibusdam infusas, quas vocant *Egrenses*, in amphoras singulas *Imperiali* (monetæ genus notissimum est, quorum duo Aureum seu Ducatum efficiunt) repensas. Præcipuæ dotes Aquæ hujus sunt: lenissimè mollire alvum, & quod plurimis exemplis, virorum & fœminarum adstruunt Medici, importare fæcunditatem. Mirum est, quod vidi nuper, & gustatu verum deprehendi: in *Thermis Carolinis* ponè ipsum Craterem bullientis aquæ, promicare subterraneis venis frigidas Aquas, eásque *acidulas*, quasi moneret Natura nè ferventes illæ Thermæ nativi sui frigoris obliviscantur. Ad *Teplense Præmonstratensium Cœnobium Acidulas* inveniri, loci Abbas, Vir amicissimus, mihi narravit, *Egrensibus* nihilo bonitate cœterísque dotibus inferiores, ídque post examinatum Chimicorum artibus, fontem palam affirmare solitum magnum illum Bohemiæ Hippocratem *Marcum Marci*. Sed de *Acidulis Teplensibus* ex professo agemus Capite sequenti. Aliâ insuper fælicitate (ut hoc obiter dicam) *Abbatis* hujus dominatio commendatur; nam sub eo non modò *Acidulæ* illæ, de quibus modò dicebam, sed & *ferri optimi fodinæ* plurimæ, quódq; nescio an alibi in Bohemia, *Antimonium*, vi & efficaciâ cuicunq; etiam *Ungarico*, & *Transsilvano* par, effossum est, cujus mihi jam elaborati in Medicos usus, cumulos

[Margin notes:]
..quæ Dessnenses, unde illæ vires Medicæ.

..mundo subterraneo Tomo ..lib.6 sect.3.

Jonst. in Thaumat. Nat. C. 3 art.5. in admir. Element.

Acidulæ præcipuæ ad Egram.

Ferrum Teplense. Antimonium item.

los idem Prælatus ostendit. Remeandum est ad *aquas*: Accepi à fide dignissimis Viris novum quoddam *Thermarum* genus *Dessnensibus & Landecensibus* simile, non ita pridem in Reginohradecensi Provincia post *Wlczicium* frequentari cœpisse, *S. Joannis Balneum* appellari: aquam concalefieri & in vannos infundi, plurimos mortales aquæ hujus *ferratæ* (nam in ea prædominatur *ferrum*) beneficio valetudinem recepisse. Non possum adferre plura, quòd in rem præsentem nunquam venerim, neque idoneum hominem nancisci potuerim, qui rem totam diligentiùs explicaret.

Balneũ wlczicense.

CAPUT XXVI.

De Acidulis & medicatis Fontibus in ditione celeberrimi Cœnobij Teplensis.

Multitudo acidorum fontium in vicinia Teplensis Cœnobij.



Um accepissem totam viciniam *Teplensem* nobilissimis, saluberrimis, & jucundè acidis *Fontibus* scatere, Amicum unum omnium meorum antiquissimum *R. P. Aloysium Hackenschmidt* ex Ordine illo candidissimo Præmonstratensium in eo quod memoraveram Cœnobio Teplensi, Virum doctum inprimis, & quod caput est, Regionis illius, si quem alium peritum, per literas de toto negotio consului. Is benignissimè cum magna officij significatione respondit, primùm generaliter: tantam passim & ubique ad *Teplam* in montibus & vallibus, in silvis, & villis, vijs & avijs exuberare *Acidulorum Fontium* multitudinem, ut numerus iniri non possit; ipsi sibi facilè sexaginta ejusmodi fontes natos esse. Alteris literis præcipuorum, qui feruntur in primis, & *Acidulis Egrensibus* (ùt experientiâ constat) paria faciunt, & clarissimorum apud nos Medicorum judicio commendantur, & ad sanitatem bibuntur, Nomina peculiari scripto complexus est. Sed *turpe* est, ùt ait ille, *rivulos consectari, fontes rerum non videre*, itaq; referam quæ scripsit:

Cicero.



Fontes Acidularum in fundo Monasterij Teplensis.

Auschowitz.

AUschowitz pagus versùs Egram, uno milliari à Monasterio situs, habet fontes sex: duo adjacent ipsi Pago, quibus subditi & transeuntes, pro ordinaria potione utuntur: alij quatuor in vicina sylva. Primus & notior ob prædominantem salsedinem, dicitur salsus, ejúsque usus medicinalis est. Sic Anno 1609. *Michaël Raudenius* Medicinæ Doctor, & Physicus Schlakenwaldensis, illas aquas ordinavit pro Illustrissimo Domino *Joachimo Libsteinsky* L. B. de Kolowrat, Domino in Rabenstein & Libkowitz, ijsdem usus Reverendissimus Dominus Abbas *Raymundus* An: 1663. ex præscripto Medici Carolobadensis D. Ferdinandi *Düeler*. De his aquis fide digna relatio multorum, eas in virtute & operatione æquiparari *Egrensibus*, imò sagatiorum opinio est, his illas anteferri. Sic religiosi nostri, in defectibus suis corporalibus non alijs utuntur acidulis, quàm his, ex ordinatione Medici.

Stenker.

Alter, dictus Stencker pariter celebris; cùm Doctor *Prudentius Rudolphi II.* Cæsaris & Regis Consiliarius, toto corpore jaceret contractus & doloribus arthriticis affixus: spe sanitatis recuperandæ *Pragâ Auschovvicium* confugit, & hujus aquæ usu vires corporis

poris

poris ita firmavit, ut ex decumbente surgens & ambulans sit factus. Advertendum autem, id non tam acidularum potatione mensuratâ, quàm earum lapidum sudoriferis Balneis procuratum, svasu & consilio Doctoris Hornik Egrensium Physici & Medici expertissimi. De eodem fonte scribit sub 16. Martij An: 1606. suprà nominatus Doctor *Raudenius*, Domino *Andreæ Ebersbach* Abbati Teplensi: *Cùm ante 14. dies è Monasterio domum remearem, Virtutes acidularum in* Stencker *non solùm profundiùs expendi, sed etiam desuper locutus D. Decimatori, vulgò* Oberambts-Verwalter, *qui proinde cum Reverendissima Dominatione Vestra oretenus conferre, ac negotium pro dignitate promovere desiderat. Lapides mecum huc allatos ostendi nostratibus, qui materiam orichalci ijs inesse putant, in discrimine tamen, vulgò* Sicherung, *de metallo nihil inventum. Hinc confirmatur opinio mea, in ijs latere spiritum vitrioli, qui aquis illis magnam tribuit virtutem.*

[V]ires fon[ti]s Aciduli.

Aufcho- witz.

In eadem sylva sunt alij duo fontes potabiles. Imò paucis interjectis passibus ab acidulis salsis, visuntur aquæ ebullientes, sed absque decursu stagnantes, quarum vis, & virtus mira, cùm supervolantes aves, cujuscunque generis in eas decidunt, ac emoriantur. Reperiuntur in eadem vicinia exsiccatæ fossæ, quarum exhalationes tam sunt contagiosæ, ut similiter emortuæ aves certis temporibus colligantur. *Teplenses* quoque oppidani, in prato Stenska fontibus gaudent binis, & quidem valde bonis.

[F]ossæ vene[n]atæ.

Pagani similiter suas habent acidulas, sic inter Molendinum Stürs-mühl & pagum Schrickowitz fonticulus insignis. Item alius ad piscinam, vulgò Gemeinteichl ibidem situs, itinerantibus serviens. Pagus *Beeken* sapidas habet acidulas, quibus utitur Conventus, si quando in æstate aridi gestiunt pellere sitim. Similis fonticulus scaturit apud *Bodram* Tevtonicalem, prope sylvam quæ dicitur *Kopra*. Paribus aquis refocillantur Nesnicenses. Inferior *Cramolina* tres habet fontes: principalior quo subditi utuntur, situs est infra pagum in prato Dominicali: alius prope conservatores piscium, tertius in via, quâ itur Listaviam.

[R]eliqui fõ[n]tes Acidu[l]arum in di[]tione Teplensi.

Stenker.

Alij quoque pagi haud ingratas habent acidulas, ùt Hohendorff/ Müllrstaw/ Marteraw/ Glantzenmül/ Pfaffengrün/ minor Cramlinus, Landeck/ Krips/ Sorat/ Birn/ Zebarhisch/ Rauschenbach/ Kschiha/ Hiersk. Ea etiam pars, quæ Sagenbergæ nostrum Territorium respicit, duos habet fontes.

Molitor Podhorensis prope montem Podhorstein in hoc satis fælix, quòd in Culina domesticas bibat acidulas: visitur enim ibi fons ad os fornacis. Molitor quoq; Holdschikensis haustum familiarem pro se & alijs habere potest è fonte proximo adjacente. Tandem in Pago *Pastac* prope Eindlam fons acidularius reperitur, sed irregularis, quia solùm deservit hyemi, æstati verò propter calorem aquæ dignoscitur inutilis.

Hactenus Religiosi Viri & amici integerrimi *de Teplensibus Acidulis* ad me missa narratio; ex qua illud colligi potest: totam illam ad multa passuum millia regionem, nihil aliud esse sub terra, quàm ab eadem origine metallica, vitrioli &c. continuum quendam craterem, piscinam & hydrophylacium subterraneum, ex quo tincti jam fontes varijs locis exsiliunt. Quod verò noxij quidam prorumpant, nihil mirum, cùm omnes propè *Acidulæ* adsitos habeant fontes (ùt in *Egrensi* apparet) in quos fæces suas & sordes, & quidquid grave subsidit, ac inimicum potantibus esse potest, providentiâ naturæ exonerant, quod postea nescio quo bituminoso lentore inardescit, & coquitur, quasi ferveret, ùt videmus.

CAPUT XXVII.

Fontes Medici, tum alia quædam fontium miracula breviſſimè percenſentur. De S. Wenceslai fonte in Urbe Nova Pragenſi.

FIeri omnino non poteſt, ut omnes Miros & ſalutares Bohemiæ *Fontes* deſcribendo exhauriam, tanta cogitanti ſeſe offert multitudo, ut in ipſo limine ultro confitear, nè mediam quidem eorum partem nominaturum; obeunda priùs fuiſſet *Bohemia*, & inveſtigandi rivuli, qui ad fontes ducerent, examinanda *ſæcla ſenum*, ac denique nè ſic quidem haberemus omnes, cùm vires aliquorum ignorentur, & novi quotannis cum remedijs ſuis poſſint exiſtere; aliquos in exemplum adducam, ut Titulo libri reſpondeam; univerſim dicendum eſt: paſſim, ac pagatim ſaluberrimis fontibus, qui innoxiè potentur, *Bohemiam* ſcatere: nullum equidem fontem apud nos eſſe ſcio, nullam aquam ſcaturire vidi, aut fando audivi, quæ guttur, aut gurgulionem infeſtet, quæ ſtrangulet, quæ colla ſtrumis pendentibus oneret, quæ aciem oculorum oblædat, quæ nervos contrahat, aliáque hominum mala, nè dicam mortem, adferat; nihil moror poſt *Winterbergam* ad Bavarorum ſilvas paucos quoſdam ruri habitantes homines *ſtrumoſos*; aquas enim propè jam *Bavaricas* in limitibus bibunt, proinde communi cum agreſtibus & montanis Bavaris *Strumarum* incommodo conflictantur; at contrà emicant per *Bohemiam* innumeri fontes, qui mortalibus ægris medicinam propinent, qui oculos acuant, qui aquis naturam & ſtomachi faſtidia pellant, qui penetrali quâdam ſubtilitate venas ſubeant, & intimos humani corporis receſſus velut furtim ingreſſi, manuum pedúmque nervos, aut intortos, aut hærentes nodis expediant; de *Thermis Carolinis*, *Teplicenſibus*, *Deſſinenſibus* paulò ante dixi, ſalſos fontes *Slanæ*, *Bilinæ* alibíque latentes jam prodidi, *Acidulas*, *Egrenſes* potiſſimùm, quarum prima eſt per *Germaniam*, *Ungariam*, *Poloniam*, vicináſq; latè regiones authoritas, ſingulari tractatione expedivi, ut ſi vel in præſenti capite exemplis deſtituar, vincam, maneátque illud *Bohemiæ* glorioſum: ab illa Aquis ſaluberrimis plurimas vicinias ac remotas nationes provocari, & poſſe in certamen venire, ſi modò abſit invidia. Quid ſi jam *Sanctos*, ùt ita dicam *fontes*, eos videlicet, qui aut *Beatiſſimæ DEI Matri* (quam gaudere fontibus, & ubi miraculis occupavit locum, de fonte ſibi ac ſuis ſtatim, ùt ita dicam, providere, pridem obſervavi) quid ſi, inquam, ſacros fontes ùt in *S. Monte*, in *Dobravodæ*, aut *S. Adalberti*, *S. Joannis Baptiſtæ*, *S. Guntheri* complures, enumerare velim, quàm fœcundum & profuſum ſcribendi argumentum ſub manu naſcetur; quid ſi vera fontium miracula, quæ ſcilicet nullam naturæ opem, ſed beneficium DEI, & cælitum continent, & DEO ac Cœlitibus ritè imploratis ad fontes patrata ſunt, deſcribam? talis eſt fons *Wodolanka* proximè ad *Suſſicium*, qui ad piæ Virginis tumulum prodigioſè erupit; talis ad Sacellum S. *Cunegundis* ad Oppidum *Strazovv*, qui ſicco cœlo & arentibus ſubtus agris ſupplicatione publicâ oppidanorum adîtur, & turbato fonte pluviam reddit agricolis; talis in *Niczovv* DEI Matris indicio apparentis repertus, qui jam cæcis duobus reddidit

Margin notes:

Aquæ in Bohemia ſalubres, pauciſſimæ noxiæ.

C. 24.

C. 25.

Fontes cœleſti aliquo beneficio memorabiles.

In Hiſt. S. Montis initio.

Veſtigium Bohemiæ Piæ C. 8.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

dit lumen; talis ad Pagum *Brzezan* in ditione *Horazdovicensi*, ad quem duo itidem oblæsos oculos correxêre;

Ibid.

talis ad *Planicium*, ad quem cùm ædiculam sacram excitaturum se *Joannes* quidam *Planicensis Braxator* æger admodum, & cibum omnem perosus voto promisisset, haustâ aquâ protinus ex integro convaluit; talis in Ditione *Strakonicensi Melitensium* Equitum ponè Pagum *Krty* ùt ferunt, Angelo ducente & jubente effosus, cujus fontis plurima miracula testibus comprobantur; talis *Strassicensis* ad Pagum *Strassicz* in regione *Prachensi*, quem *DEI Mater* suo cultori in solitudine spectabilis, è rupe durissima digito prolicuit; talis *Stoborzicÿ* uno post *Clatoviam* milliario ad *Ecclesiam S. Ægidÿ* nomine consecratam; horum omnium fontium origines & miracula nominatis testibus fide dignissimis Venerabilis è Societate & Apostolicus Vir P. *Albertus Chanovvsky* in suo *Vestigio Bohemiæ Piæ* describit, simùlque magno me labore absolvit; mihi in hoc Opere fontes, quibus *Natura* ipsa medicam vim indidit, aut si quâ dote aliâ, quæ naturæ vires non superet commendantur, propositi sunt, & ad telluris ingenium & beneficia indulgentissimæ *Naturæ* indicanda proferentur: *Nova Civitas Pragensis* Thesaurum habet nunquam deficientem vel in media æstate gelidissimi haustûs *Aquæ fontanæ*, rivo quàm fonti propior, sub *S. Wenceslai*, *RR. PP. Augustinianorum reformatorũ* Ecclesia, magno impetu è rupium latebris fons præcipitatur, (quem amissum cùm aqua vendi cœpisset nuper dixi) cujus aquæ nitidissimæ, crystalli similes, frigidissimæ, pellucidæ, tenuissimæ, nullius (nisi quòd aquam puram & vivam agnoscas) saporis, id quod aquæ probatissimæ, & laudatissimæ argumentum est *Plinio*; hauritur itaq; strenuè à tenuioribus ex ipso fonte, à divitibus ministerio famulorum, ut etiam in alias *Pragenses* Urbes remotissimè deferatur, totiúsque *Pragæ* judicio, unâ omnium sententiâ, primæ illa sit notæ; præcipuè caput humanum, & qui in capite resident sensus aqua corroborat, rheumaticis medetur, adeo etiam in febribus à *Medicis* permissam audivi. Sunt in ea Urbis parte Senes grandi, corvinâ ætate penè dixissem:

(Et jam leve caput, madidiq; infantia nasi,
Frangendus miseris gingivâ Panis inermi, — Juvenalis.

& quæ in *Principe Poëta* sequuntur) qui huic uni rivo, continenter tot annis poto, vitam in acceptis se ferre, & debere prædicant; ac fortè vel ipsa potûs unius constantia valetudinem firmat: notus est Regum Persarum *Choaspis*, cujus aquam quocunq; iter facerent, laudantibus Medicis, transportabant; sed nobis non licet esse tam disertis; consulantur *Cardanus & Struckius*. Jam extra Pragam in Urbis conspectu memorabilis est fons non medicâ vi, sed antiquitatis authoritate & inauguratione Veterum Bohemiæ Principum cæteris præferendus. Quâ *Wrssovicium* (pagus est antiqua WrssoveciorumComitum sedes) *Pragâ* ex Urbe via ducit, limpidissimum fontem videbis, quem ob venerationem Principibus debitam, muro cinxit Antiquitas, salutarem hunc fuisse, & innoxium, antiqui testes sunt, & res ipsa loquitur, *Gezerka* locus dicitur, de quo consulatur *Hagecius*.

[Margin notes: *Ibid. Krty.* — *Vita Ven. P. Alberti Chanowsky C. 3. Vestigium Boh. Piæ C. 8.* — *In Hist. S. M... tis initio.* — Nobilissimus Aquæ rivus sub Ecclesia S. Wenceslai in Nova Civitate Pragensi prorumpens. — *Vestigium Bohemiæ Piæ C. 24.* — Aquæ unius usus mirè facit ad valetudinem. — *Plutarch. l. de Exilio. Cardanus l. de Aqua. Stuck. l. 3. de Antiqv. Convivial. C. 6.* — *Plin. l. 31. hist. Nat. C. 3. Cœl. Rhodig. l. 14. Antiqv. C. 14.* — Gezerka fons ad Pragam. — *Hagek in Annal. ad A. 833.*]



CAPUT XXVIII.

Idem Fontium Argumentum.

Bohuslaus Lobkovicz l. 5. Epistol.

PArte aliâ Urbis *Pragæ*, *Slanam versùs*, medicus emicat fons, qui *Bohuslaum Lobkovicium* doctissimum ætatis suæ Rhetorem, ac Poëtam, præconem, aut potiùs descriptorem, ac historicum est nactus, vide *Bohuslai Epistolam* ad *Martinum Pollichium Medicinæ Doctorem*, primúmque, tum adhuc Catholicæ Universitatis *Wittembergensis*, Rectorem: *erupit*, inquit, *his diebus* (scribebat circa Annum 1500.) *fons quidam viginti circiter mille passus longè à Praga, cujus aquæ in finitimas quoque Provincias vehuntur;* narrat deinde miras & prodigiosas ad eum fontem ægrorum mortalium curationes, tribúsque hominum malis præcipuè mederi, *cæcitati*, *chiragris ac podagris*. Hunc ego ipsum fontem esse suspicor, qui uno ac medio *Pragâ* milliari *Slanam* euntibus occurrit in pago *Deltz*, de quo aliud quiddam prodigiosum *Theobaldus* affirmat: videlicet si ex eo impurus, præsertim gallico morbo infectus, aut leprosus potârit, statim Aquam fontis paulatim perire, neque nisi anno vertente reverti.

Fons alius medicatus ad Pragam.

Theobald. in Hussiticis P. 1. C. 76.

Fons Sacri Montis.

De Medico fonte ex *Chrysocolla* in *S. Monte* ad *Przibramum* Urbeculam metallicam, pridem *in historia S. Montis* differui, quem oculis medicinam facere, quàm plurimis exemplis probatum est.

Dobrawoda.

Dobravoda penes *Stropnicium* post *Crumlovium* ad plures morbos valida, & salutaris nostrâ memoriâ An: 1664. primùm (quòd sciamus) celebritatem recepit; antiquis jam notam fuisse, satis ipsum indicat nomen, fitque ejus aliqua mentio in vita *Wilhelmi Rosensis* M. S. quam *Wenceslaus Brzezan* descripsit; reperta est eo in loco postea vetustissima *D. Virginis* effigies, ideóque cœlestia beneficia continere curationes illæ creduntur. De hoc fontium genere plura dicemus aliquando in Prodigiosis & miraculo aliquo commendatis *Beatissimæ DEI Parentis* per Bohemiam nostram Ecclesijs.

Fons post Beraunam

Post *Beraunam*, uno & amplius milliari (Pragâ nî fallor milliaribus quatuor) **v Tmani** (ita locum appellant) piscinula modica adjacet, loco, in cujus finibus inter arundineta abjectissimus ad aspectum fonticulus uligine erumpit, qui oculorum nebulis & caliginibus detergendis plurimum confert; nominantur qui lotis in eo fonte oculis pristinum oculorum vigorem recepère.

Fons in C[...]nowes.

In *Ctiniowwes* primâ *Czechi*, Czechorum parentis sede, dum viveret, (quo in pago postea etiam humatus est) fontem esse à pluribus audivi, quem tradunt *Czechum* arte Magicâ (nam hæc unica fuit Ethnicorum sapientia) virgæ uno verbere prolicuisse; hic igitur fons nunquam obrui potest, quin per lapides, trabes, aliáque injecta eluctetur in altum, & profluat; probabile est id fieri, quòd in *Monte* vicino *Zrzit* nascatur, & profluat, atque ita (quod in *Aquæductibus* cernitur) necessariò inferiùs aqua ascendat, dum inclusa cupit altam originem suam æquare.

Fons Lib[...]ficensis.

Libessicium, Clementini Societatis JESU Collegij ditio, fontem habet maximæ salubritatis ex radice vicini Montis altissimi *Geltz* nomine labentem; aqua gelida, pura & syncera semper, sinè noxa bibitur, & sine mensura; nunquam enim ulli (quod faciunt aquæ cœteræ immoderatiùs haustæ) indoluisse caput, experientiâ docti Incolæ affirmant.

Inter

[F]ons ad [R]zepiciū.

Inter *Strakonicium*, & vetus Castrum *Rzepice* fontem esse, qui mirificè adversùs oculorum vitia, atque ipsam cæcitatem valeat, narrat testis omni exceptione major Vener: Pater *Albertus Chanovvsky* S. J. nam oculis in eo fonte lotis plurimi vidêre; citat sibi notum *Nicolaum Hexam* jam Civitatis Strakonicensis Notarium, P. *Albertus*, qui puer tum cæcus, & omnibus sententijs Medicorum ad cæcitatem perpetuam damnatus, à Matre *Anna* ad eum fontem perductus sit, locis & perfrictis à Matre oculis, puero in oculis albugo sese prodere, & exstare cœpit; *Mater* nihil cunctata cuticulas detraxit, ac puer in omnem reliquam ætatem acutissimè vidit. Ut fons illimis semper esset, neque temere à pecoribus turbaretur, *D. Joannes Raus Strakonicensis* Vir Consularis, multis Nostrûm, ob filium, quem *Societati* nostræ dedit, notissimus, mœnibus quibusdam coronari, & ædiculâ, quâ muniretur, incingi fecit, ùt videmus.

Vestig: Boh. [P]iæ C. 8.

[F]ons Suffi[c]ensis. [l]c. cit.

Ad *Sufficium*, Bohemis notam civitatem, alium fontem reperiri idem Author testis oculatus affirmat, cujus aquæ virtute, plurimæ notæ, ignotæque hominum ægritudines pellantur.

[F]ons Du[b]ensis.

Ad *Dubam* Civitatem in Provincia Boleslaviensi, Studanka, κατ' ἐξοχὴν (fons) dicitur, in quo plurimum præsidij reponunt ad sanitatem Cives, atque accolæ omnes; ideóque anxiè permuniunt, nè lædatur, aut turbetur: quem hîc fons in dolore aliquo non adjuverit, ejus salutem aut deploratam esse, aut periclitari pro certo affirmant; hic æstate mediâ tam frigidus est, ut si manum in aquam inseras, obtorpescere frigore videatur, hieme calet, neque unquam congelatur; Reptile venenosum ubi inciderit, continuò emoritur.

Fons in Milavecz.

Adferamus aliqua fontium, & quæ in aquis, aut lacubus apud nos eduntur naturæ miracula: *Domazlicio*, quã *Tustam* latinè dicimus, unius horæ itinere ad *Pagum Milavecz* emicat fons (quem S. *Adalbertus* quondam miraculo elicuisse dicitur, ùt in ejus Sancti Apostoli vita Amicus noster R. D. *Boleluczky* narravit) ex quo ùt *Theobaldus* narrat, divinationem petunt accolæ: nam si æger ipse accedat, aut poculo ex quo biberit antea, aquam hauriat, turbari continuò fontem, si ex eo morbo sit moriturus, affirmant, si purus fons, & illimis maneat, ægrum surrecturum.

Theobald. in Hussiticis P. I. C. 76. & in Arcanis Naturæ. sect. XI.

Fons in Risenburg.

Non procul inde in edito monte sedet arx *Risenburg* â *Puta Svvihovio* egregiè quondam permunita; ponè eam arcem *Puteum esse*, ad quem si Mulier, in mensibus accesserit, continuò Aquam fugere & amitti, ac diu non redire. Ego nihil affirmo, sit penes authorem *Theobaldum* fides.

Fons Raudnicensis.

A fide dignis hominibus accepi: *Raudnicij* quæ Civitas in Slanensi Provincia quinque *Pragâ* milliaribus est sita, fontem existere *Rudnicz* nomine (unde primi illi apud nos ædificatores oppidorum & Vrbium, locum *Rudnicz*, à *Ruda* appellare voluerint) hunc fontem, qui primùm biberint, statim occupari scabie; continenti potione opus esse, paulò pòst scabiem cadere, & amitti, ac tandem firmissimam & mundam valetudinem succedere.

Wodolanka fons Sufficensis.

Quod sequitur, utrúmne Naturalibus causis adscribendum sit, an cœlesti beneficio imputandum, nescio; Lectores quam volent, sententiam ferant: Est *Wodolanka* non ignobilis ad *Sufficium* Civitatem Bohemiæ occidentalem fons, quem initio hujus Capitis nominâram; de cujus cœlesti origine consulatur *P. Albertus Chanovvskì*, originem in dubium non revoco, sed quod narrationi legimus adjectum ex *Wodolanka* fonte, Rusticos quoties sideratio aliqua agris siccitatem invexerit, Aquam haurire certatim, ac in fontes & puteos suos, qui exaruissent, infundere, certam eo pacto sperare pluviam, nec spe falli: possent obcæcatæ ariditate fontium venæ quodammodo reparari; possunt hali-

Vestig. Boh. Piæ C. 8.

Aqua in fõtes infusa provocat arentes eorũ venas.

halitus, & humida quædam effluvia concitari; possunt aqueo quodam Magnetismo nubes attrahi; meum non est in hoc opere caussas rerum scrutari, tractare, sed narratione simplici mira fontium recensere.

Fons medicinalis ad Budviciū.

Budvicium Regia & montana Bohemiæ Civitas, religione præcipuâ ac fide in Reges ab omni retro antiquitate nominatissima, multis, iisque raris dotibus, ût suo loco dicam, commendatur; quod huc facit, in rem nostram; fons Medicus est, qui in Urbis conspectu emicat, quadrante milliarij unius non ampliùs, & salutaris maximè habetur, curationi opportunissimus, tam illi, quæ intro potatu, quàm alteri quæ foris lavatione perficitur. Recitabo quæ de eo Vetus Amicus *Mathias Franciscus Baltauff* Vir Consularis annotavit, & ad me misit: *inprimis subtile & prorsus solare sulphur in fontis hujus nostri aqua regnat & dominatur, sed alterum quod hanc Aquam tingit (sed longè minorè gradu) est salis essentia; tertio loco vitriolum sed prodit exili virtute, tandem aluminis non nihil, quod vix sentiatur, immixtum est. Hæc per artem Chimicam quatuor probationibus igne factis comperta sunt.*

CAPUT XXIX.

De Gemmis & pretiosis Lapidibus Bohemiæ.

Bohemia gēmas, lapillos, & margaritas copiosissimè gignit.



NEsas à me admissum credi posset, si in Telluris *Bohemiæ* dotibus pretiosos lapides, gemmas & uniones, silentio præterirem; hanc dotem in *Bohemiam* nostram tantâ liberalitate *Natura* effudit, ut *Matrem* divitem, mundum muliebrem, filiæ mox nupturæ cimmelia, quæ vocant, congregantem, & accumulantem expressisse videatur; utar in his recensendis fide, & testimonijs primæ notæ Scriptorum, qui in rem præsentem venerunt, & apud nos in *Bohemia* perdiu habitârunt; ex ijs sunt *Anselmus Boëtius de Boot* Brugensis Belga *Rudolphi II. Cubicularius* idémque Gemmarius; utì & Medicus alter Chimiæ Princeps *Osvvaldus Crollius*; addam etiam in loco *Agricolam & Sennertum*, tum *Schröderum*, & ex Nostris *Stranskium & Theobaldum*; neque mirum primos illos duos tantam Gemmarum nostrarum scientiam habuisse, cùm *Rudolphus Imperator* extremâ rerum istarum cupiditate teneretur, atque ita abundaret, ut non existimem à multis sæculis extitisse in Evropa Regem, qui *Rudolpho* in hoc studio, & curiositate Regiâ, (præsertim si copia, & unà fælicitas inventionis spectetur) comparari possit; quod postea æquissimo Lectori demonstraturum me promitto.

De Auri, Argenti, ac cæterorum Metallorum fodinis jam ante dixi, hîc de lapidibus & gemmis loquemur: in Districtu Boleslaviensi (quod jam antè narravi, sed hîc aptiore loco repetendum videtur) *Wisokum* pagus est sub montibus Giganteis edito in loco, de quo vetus apud nos Proverbium: *ad Wisokum bubulcos petere lapidibus vaccas, qui ipsis vaccis longè sint pretiosiores*; valles subjectæ *Gigantûm* Montibus plenæ sunt ejusmodi mercibus, *Sapphiris, Smaragdis, Amethystis*, ac cæteris lapidibus pretiosis in solo nascentibus, & sparsis, ût jam ante cum de his montibus agerem, memoravi. *Henely* in Silesiographia verba sunt: *in*

Stransky C. Reip. Boien.

Gemmæ Cerconcijs.

nel. C. 2. Siliograph. *in Iseræ* (Gizeræ alij vocant) *minore prato, jam ad Bohemiã spectante, Jaspis & Adamas, Achates, Aëtices, Amethystus, Carbunculus, Carniolus, Crystallus, Hyacinthus, Magnes, Onychites, Rubinus, Sapphirus, Sardonix, Topazius, Turchesia leguntur; de quibus gemmis proprio Libro agit Schvvenckfeldius.* Quamvis verò duritie, & efficaciâ in Medicinis, Orientalibus & Occidentalibus gemmis *Nostræ* multum concedant, tamen elegantiâ & nitore, alijsque formæ dotibus, sæpe (ùt periti sciunt) Orientalibus negotium facessunt, ut distingvi vix ac nè vix quidem possint. Audivi Excellentissimum & Chimicæ Artis scientissimum Virum (ut alias scientias sileam in quibus immortale ejus ingenium quodammodo regnabat) *Marcum Marci*; solebat is optare *Bohemiæ* (si fieri posset) Solis majorem vicinitatem, atque ut cursu suo, & itinere usitato paululum relicto, *Bohemiam* propinqviùs radijs cœlestibus, & geniali illo calore fæcundaret; futurum enim ipse credebat, ut eo pacto metalla omnia, gemmæ, uniones, quibus *Bohemicæ* telluris, ut ita loquar, uterus, ad invidiam plurium terrarum gravatur, crescerent, maturescerent, & numeris omnibus absoluti ederentur in lucem; duabus enim ferè dotibus *Bohemicas* gemmas destitui *soliditate* seu *duritie*, tum etiam *maturitate* (quòd crudæ quodammodo sint, neque ad perfectum adductæ) utramque hanc dotem à vicino Sole posse sperari, ut indurescant & fragiliores orientalibus non sint, & cùm omnino maturuerint, radijs, calore, & benignitate sideris animatæ, æqualem in medicinis vim obtineant; neque enim (ùt factitari à Medicis audivi) si orientalis gemmæ loco, bohemicam adhibere cogat necessitas, duplicandum erit pondus.

Marci V. Cl. de Bohemiæ gemmis sententia.

Stransky C. Reip. Bojem.

Bohemici lapides in medicinis adhibentur proportione duplâ.

Gemmæ Cerconofijs.

Ab *Unionibus*, *& margaritis* faciamus initium, quibus vita fugiens sustineri posse non vanè creditur, cùm exempla sint in promtu; atque ipsi viderimus: ægrotos ex media morte *perlarum* beneficio recreatos. Orientalibus, & Indicis palmam deberi nemo est qui dubitet, certum est illud: quasdam vilioris notæ *Margaritas* multis Evropæ locis reperiri, ùt in *Scotia*, *Silesia*, *Frisia*, verùm *quæ in Bohemia* (verba *Anselmi* annumero) *prope Horazdiovicium, Strakonicium & Rabi arcem colliguntur, mihi cæteris præferri posse videntur: vidi enim nonnullas, quæ vix ab orientalibus discerni possent; id unum in illis reprehenditur, quòd albiores sint Orientalibus, nam illæ argenteum, hæ lacteum candorem præseferunt; collegi in prædictis locis aliquot margaritas præstantissimas &c.* Hucusque *Boëtius*, cui de candore illo lacteo, qui in *Bohemicis* unionibus reperitur, subscribit *Schröderus*. at ego (etsi pauciores) plurimas tamen Bohemicas gemmas hisce oculis vidi, magìs argento, quàm lacti concolores, quæ orientalibus contrà admotis, dubiam facerent victoriam. De unionibus nostris *Conradus Gesnerus* in grandi illo opere suo de *Aquatilibus* rara quædam, paucis, memoriæ prodit: *Est Fluvius, qui alluit pagum Hussinecz in Bohemia abundans magnis lapidibus, & pisce truttâ copiosus; præterea æstate accolæ solent ex eo acervos concharum eijcere, è quibus perlas eximunt, alias maturas & splendidas, quæ etiam annulis includuntur, alias immaturas, quæ Medicis usui sunt. Immaturas aliquando anatibus devorandas objiciunt, & alvo redditas splendidiores colligunt. Cùm eximi debent, cavent nè aëre tangantur, & illico ore excipiunt, salivâ enim ablutæ constantiùs splendorem servant.* Hæc *Gesnerus* loco citato. Qui postea generationem margaritarum, & alia quæ ad eas spectant diligentissimè ex varijs Scriptoribus prosequitur.

Uniones, Margaritæ & Perlæ.

Anselmus de Boot. l. 1. de Gemm. C. 37.

Schreder. Pharmacop. Medicæ Chimicæ l. 3. C. 7.

Gesner. l. 4. C. de Margaritis.

Perlæ quomodo maturentur.

Margaritarum fluvij.

ad Hussinecz.

Watava vel *Votava* amnis hisce divitijs omnes cæteros *Bohemiæ* fluvios vincit; piscatus ille gemmarum *Julio*

Stransky C. 2. Reip. Bojem.
Watawa ferax margaritarum.

lio & Augusto Mensibus, mane & vespere celebratur cœlo sereno. Admiratione plenissimum illud est, quod ipse notavi (nam mea me fælicitas non semel ad gemmiferas illas piscationes adduxit) *Conchas* profluenti redditas, & temere, quò libuit injectas, ac per alveum sparsas, die mox sequenti, velut si viderent ac noscerent suas (licèt inertissima sit earum vita) rediisse tamen, & collectas in cumulum more suo in orbem dispositas cubuisse; idque ego, ut experirer magis, quasdam sparsi, & ad socias adrepsisse, intra unum alterúmve diem, animadverti. Capiuntur retibus ex navicula demissis, & ad siccam ripam in molli cespite deponuntur; has periti examinant, quasdam ad primum aspectum reijciunt, utpote formosas, sed steriles, aut juvenes; suspectas de *Gemmis* unum in locum collocant, & ferro obtusiore (nam cultros, quis nisi insanus adhibeat? mori enim matrem si læditur, contingit) quasi parvâ forcipe, apprehensâ earum posteriore parte, leniter rimam deducunt, & inspiciunt; facilè enim *Unio* videtur, & quamvis non videas, si vel leviter concutias, excidunt, & colliguntur; immaturi sunt qui nigrescunt, aut rubescunt; candidi & argentei qui maturuerunt; in alveo sæpe reperiri contingit pulcerrimos, qui scilicet maturati exciderunt Matribus. *Conchæ* examinatæ, alveo & flumini redduntur vivæ, atq; iterum pariturae; at, qui insaniunt, aut furtum quærunt, excarnificant miseras, & quasi pomum dividerent, cultro per medium sectas aperiunt, & irreparabili in futurum damno occidunt. Internecinum ejusmodi bellum in *Moldava* (nam is quoq; gemmiferis conchis abundat) adversus conchas suscepère Milites æstivantes ad *Crumlovium* Anno 1650. & sequentibus, cùm invitante unius alteriusve successu qui Uniones repererant, certatim Milites, calones & pueri, conscidère conchas, quod damnum & insolentiam militarem à Ducibus, qui oculos gemmis adiecerant, non repressam, rerum talium periti multis aureorum millibus æstimârunt. Utinam ab hoc exemplo major & vigilantior fluvijs nostris, *Moldavæ* præsertim ac *Watavæ*, adhibeatur custodia! hoc ampliùs observatum à me: quæcunque sine tuberculis omnibus, politæ ac læves, ad venustatem quandam conformatæ sunt, eas ferè margaritis carere, naturâ, pro unione, formæ gratiam foris præbente; at contrà tuberosas, inæqualiter formatas, & turpes, ut morbosæ videantur, gemmam intus habere frequentissimè, aut paulò ante in flumine peperisse. *Bohemicæ Margaritæ* incerti ferè sunt pretij; ut quæq; nitida ex argento lucens, orbiculata, pisi aut pyri, aut aliâ gratâ figurâ sese commendat, aut grandior reperitur, ita pretio viget; vidimus jam 20. & 30. atque ampliùs aureis emtas singulas. Ab ipso *Horazdiovicÿ* ad Watavam Domino Illustrissimo Comite *Ignatio de Sternberg* accepi: *duos Uniones ex Watava ad Horazdiovicium* extractos, quos mille florenis æstimârint *Gemmarÿ*, simul expetebant illos sibi magni Principes & Reginæ; at *Comes* jam pridem eos *Divæ* suæ *Horazdiovicensi Laureatæ Virgini* donaverat. De *Perlarum* fonte pretioso in *Tolensteinensibus fodinis* ex quodam Manuscripto de secretis Montium libro, cum de *Cerconosÿs Montibus* agerem, narravi.

Modus, quē tenent in piscatu Perlarum.

Moldava ad Crumlovium margaritifer.

Anselm. de Boot. l. 1. de gemmis C. 12. 13. 32.

Amethystus.

Matres Perlarum informes ...

Crystallus, Ansel. de Boot. l. 1. C. 13. 16. l. 2. C. 73. Henel. in Silesiogr. C. 2.

Fons Perlarum in Tolenstein.

Adamentes. Ansel. l. 2. C. 2. & C. 75. Henel. l. cit.



CA-

CAPUT XXX.

De pretiosis Lapidibus Bohemiæ. Amethystus. Crystallus. Adamas. Topazius. Sapphirus. Hyacinthus.

DE Unionibus nimis multa fortasse, quò breviùs cætera gemmarum pretia persequemur: *Amethystum* hic nasci Gemmarij omnes affirmant, ex quibus *Boëtius*: *Amethystus* inquit, *Bohemicus figurâ hexagonâ in pyramidem etiam hexagonam desinit;* & ejusdem Libri I. Capite 33. *Amethysti celebriores in India, Cypro, aliisque terris inveniuntur. In Bohemia, Germania, Misnia* (præsertim quâ Bohemiam illa contingit) *pulcherrimi, ac perfectè violacei; verùm crystalli instar molles, ideóque minùs expetuntur; orientales sunt duriores, Bohemici magnitudine æstimantur, minimus uno talero vendi solet.* Hæc Anselmus Boëtius.

[Anselm. de Boot l. 1. de gemmis C. 12. 13.] Amethystus.

Crystallum quoque cujus modò meminit, crescere apud nos, & (quod multorum torsit ingenia) semper esse *figurâ sexangulari*, neque aliter sponte naturæ concipi, & gigni; idem alio in loco probavit. ait deinde, in montibus nostris, atque agris ad *Cuttenbergam & Tsaltoniam* colligi, tantáque elegantiâ, & sæpe etiam duritie præditos esse, ut nihil Orientalibus invideant. Fodinas *Crystallorum* in montibus Giganteis reperiri jam ante narravi.

Crystallus. *[Ans. de Boot. l. C. 13. 16. l. C. 73. Henel. in Silesiogr. C. 2.]*

Adamantes Bohemici minimam inter gemmas nostrates authoritatem sibi vendicant, nam neque tincturam, ùt vocant, recipiunt, quòdque etiam *Anglicis, & Ungaricis aliisque Europæis* vitium est, ad attritus & ictus fortiores durare non possunt; itaque nisi cælatura gratiam faciat, nullo ferè habentur in pretio; at non parum sæpe eum in modum sectionibus aliisque artificum inventis adornantur, ut luce & duritie (quæ adamantis dotes sunt maximæ) parum orientalibus cedant, & vix possint dignosci. De *Adamantum in Bohemia* fodinis *Wilibaldus Heffler* in supplicatione ad *Rudolphum Cæsarem* luculentam facit mentionem.

Adamentes. *[Ansel. l. 2. C. 2. & C. 75. Henel. l. cit.]* *Vide C. 6. §. 9.*

Quod *Adamanti* deest, *Topazius Bohemicus* supplet, ut proximè ad Orientalem accedat: vidi sæpe tam amabili luce rutilantes, ut nihil addi posse ad gratiam videretur; *Pragæ* multis in locis, tum *Wratislaviæ ad Sanctam Dorotheam*, turriculas *SS. Sacramento* ad cultum populi, & adorationem servando sacratas (*Monstrantias* vocant usitatâ in sacris voce) ex meris *Bohemiæ* topazijs artificiosè sibi commissis constantes, compositas, spectavi magnâ oculorum voluptate. Laudavit hanc etiam in Bohemia gemmam *Boëtius: Topasij*, ait, *in Bohemia passim inveniuntur; dum aureo colore, eóque puro splendent, ab Orientalibus, nisi duritie distingvi possunt, tam sunt elegantes.* Satis mirum quod sequitur: *Vidi Topazium Bohemicum duarum ulnarum longitudine, & ferè semiulnæ latitudine Rudolpho Cæsari donatum.* Eadem fælicitas Patri *Joanni Tanner* obtigit, qui se *Topazium* sed adhuc impolitum, vidisse gloriatur cubitali magnitudine, quinquaginta aut paulò ampliùs librarum. *Topaziorum* fodinas adduxi in narratione de *Montibus Giganteis*, sed passim etiam in agris, ac nominatim ad *Novam Domum* collectos ipse spectavi. Pretium Topazij alio in loco indicat Boëtius: *Topazij Bohemici orientalibus similes, eâdem regulâ valoris taxari possunt, si tamen quotientis quartam partem accipias pro* Bohe-

Topazius. *[l. 2. de Gemmis C. 65.]* *[Tanner in Vestig. Boh. Piæ ad C. 10. in Notis.]* *[l. 2. de Gemmis C. 67.]*

Bohemici valore. Scire se *Topazios flavos* (qui probatissimi censentur) ubi per *Bohemiam* erui possint, gloriatus est coram Cæsare *Rudolpho Wilibaldus Heffler*, ùt antè narravi.

[C. 6. §. 8.]

[Sapphirus.]

Sapphirus cærulei coloris gemma (cui quartum dignitatis locum post *Adamantem* scilicet, *rubinum & unionem*, nostræ ætatis gemmarij tribuunt) non dedignatur *Bohemiam* habere parentem; nascuntur *Sapphiri in Bohemiæ & Silesiæ* confinibus magno numero, *suntque*, ùt ait Schröderus, *satis præstantes*; in ijsdem locis, addit Boëtius: *Bohemiam inter & Silesiam, aliud quoddam Sapphiri genus reperitur mollius, perspicuum quidem, sed lacteo quodam niveóque colore, cui cæruleum aliquid admixtum videtur;* hos *leucosapphiros* vocat Anselmus; at *Schröderus fœminas Sapphirorum.* meminimus *albi Sapphiri* in descriptione Montium Riphæorum. Ad Arcem *Tollenstein* & Collem qui incolis *Scheberle* aut *Steberle* dicitur, rivulum latenter fluentem lapides pretiosos, & omnis generis gemmas alveo continere, narravit mihi nuper Vir dignissimus fide, qui locum perlustraverat, atque inter cætera *Sapphiros* elegantissimos ibidem colligi.

[Boot. l. 2. de Gemm. C. 44.]

[Henel. Silesiogr. C. 2.]

[Schreder. in Saphiro.]

[l. 2. C. 42.]

[Stransky C. 1. Reip. Boh.]

[M. S.]

Hyacinthis, gemmæ elegantissimæ, Patria quoque nobiscum communis est (quamvis *Silesiam* magis amare videantur, majore enim numero & copiâ in *torrente Georgiano* prope *Hirsbergam* colliguntur) ad *Iseram* fluvium *Bohemiæ*, quâ illi iter est, præcipuè ad originem inter arenas, atq; etiam ripis invenias.

[Hyacinthus.]

[Stransky l. c. de Boot. l. 2. C. 60.]

[Schred. l. c.]

[Henel. l. c.]

CAPUT XXXI.

De eodem argumento gemmarum. Smaragdus, Prasius, Chrysoprasus, Sardius, Chrysolitus, Rubinus, Granatus, Beryllus, Calcedonius, Turcus.

[Smaragd⁹.]



SMaragdus, gemma gratissimi viroris, sed eadem omnium fragillima (unde commentum illud natum esse reor: *Smaragdos* primâ nuptiarum nocte confringi magis quàm rumpi; quod *Petrasanctius* noster confirmat exemplis) Bohemiæ aliquando debet originem, innascitur etiam *lapis Prasius*, quem *matrem Smaragdi*, qui ista intelligunt, appellant, & tertius *Smaragdoprasius*, & hic tantâ copiâ, ut duo genera gemmarij constituant *Smaragdorum*: *Bohemici & Americani.* Duos *Smaragdos* totius Germaniæ maximos Dinothus adducit: *in Bohemia*, inquit, *in Sacello D. Wenceslai Smaragdus unus dodrante major visitur; alter Magdeburgi adhuc longior, éstq; perforatus, quem Ottonis I. Imperatoris capulum Gladij fuisse traditur.* Quod nostrum attinet, certum est esse patrium, & in Patria natum: constat enim omnes illos lapides & gemmas in Sacello *S. Wenceslai* (ùt habet *Dubravius*) ex Montibus *Cerconossijs* erutos, & *Carolo IV.* allatos. At quid, oro, istud ad *Carlsteinense Regiæ Coronæ Sacrarium*, quod nunquam *Dinothus* inspexit, multò etiam minùs æstimavit? videbis illic *Smaragdos quatuor* Tabulæ instar conformatos ad longitudinem & latitudinem integræ chartaceæ philyræ, *quintum Smaragdum* verò, qui *Pugnum* exæquat.

[Petras. in Symbolis.]

[Stransky l. c. de Boot. l. 2. C. 60.]

[Schred. l. c.]

[Boot. l. 2. C. 61]

[Rich. Dinoth. l. 1. de reb. mẽ. init. tr. de Gemmis.]

Prasius ex flavo & viridi lucet, putátque *Boëtius* nihil esse tertium, sed partes in Prasio virides, *Smaragdos* esse, flavas *Chrysoprasum*, adeóque gratis gemmas multiplicari; ut ut sit omnes

[Prasius.]

[Chrysoprasus.]

nes istæ lapidum species apud nos efflorescunt.

[margin: ...arda, vel ...ardi9, Carneolus.]

Sardios non *Bohemia* tantùm sed vicina etiam *Silesia*, aliæque proferunt regiones; idem à cruda & sangvinolenta carne, cujus colorem imitatur, *carneolus* vel *corneolus* appellatur. habere se præstantes ex Bohemia *Sardios* gloriatur *Anselmus Boëtius*.

[margin: ...2. de Gem... ...is. C. 80.]

[margin: ...ardonyx.]

Sardonychem nominare piget hoc loco, cùm & ignobilis ille apud nos sit, & rarissimè, ùt per reliquam *Germaniam & Silesiam*, sinè vitijs & fæcibus nascatur.

[margin: ...hrisolithus. ...hrod. Pharmac. Medicæ. ...3. C. 5.]

Chrysolithum passim in *Bohemia* reperiri *Schröderus* est author, sed quia orientali mollior, & in aureo colore aliquantum nigricat, eâque notâ degenerem se ostendit, cum orientali venire in certamen omnino non potest, nisi victus discedat; idémq; de *Rubinis* nostris sentiendum, præsertim si majores sint; In Gigantum Montibus fodinæ sunt *rubinorum* & in *Tollenstein Chrysolithorum.*

[margin: ...ubinus.]

[margin: ...auvernier in ...o Itiner. P. ... C. 19.]

De Rubinis Bohemicis memorabilè narrationem habet Vir illustris ex Gallia *Joannes Baptista Tauvernier* Baro de Aubonne in lib: Gallico anno præsente vulgato, quam narrationem à Celsissimo Principe Archiepiscopo Pragensi *Joanne Friderico ex Comitibus de Waldstein* mihi benignissimè porrectam, opere pretium erit adducere: *inveniuntur*, ait Gallus, *duæ potissimum regiones in Europa, in quibus extrahuntur Lapides colorati ac pretiosi, scilicet in Bohemia & Ungaria. In Bohemia est Petra, ubi invenias silices crassitudinis diversæ: alij magnitudinem ovi, alij etiā pugni axæquant; silices illi confracti continent Rubinos, tantæ soliditatis & duritiæ, & tantæ venustatis, quantæ esse possunt Pegunenses. Memini cùm essem in servitio Palatini Ungariæ & venissemus Pragam, isq; prandium cum Duce Fridlandiæ Generale de Waldstein sumturus manus lavaret, observasse Palatinum in digito prædicti Ducis Rubinum lucidissimum, cujus pulcritudinem summopere commendavit; at longè magis admirari cœpit, postquam audivisset à Duce, quòd Petra & Matrix hujusmodi Rubinorum in Bohemia reperiatur; quod ut re ipsâ monstraret, in abitu Palatino donavit facilè centum tales silices in quodam corbe repositos. Postquam in Ungariam reversi sumus, Palatinus omnes curavit frangi, & in omnibus non invenit nisi duos, ex quibus quisque habuit unum Rubinum; eorum alter quatuor caratos* (existimo esse ceratia usitatum Latinis ponderis genus à siliqva Græca deductum) *alter unum caratum ponderavit.* hæc Tauvernier. – Videtur *Magnus ille Princeps* in suis ditionibus eas *Rubinorum Matrices* habuisse, cùm tam facilè, tam citò, & tot Hospiti suo offerre potuerit.

[margin: De Rubino Bohemico Ducis Fridlandiæ.]

Corallium unius Maris partum esse, neque nisi ex mari, mollia & postea durata efferri corallia, diu credideram; at postea oculorum fide didici, sub colle *Scheberle* ad *Arcem Tollenstein* in rivo collecta ab Amico corallia, nihil prorsus marinis, coloris vivacitate, concedere.

[margin: Corallia.]

Venio nunc ad *Gemmam*, quâ unâ utramque *Indiam*, imò (absit invidia fascinatrix) *Americam* omnem provocamus; ea verò *Granatus* dicitur novatâ voce, & â granis mutuatâ (nam *Plinius* gemmas omnes rubentes, flammeas, & rubro lucentes, *Carbunculi* nomine comprehendit) mira omnino & superba de *Carbunculis Bohemicis* in *Anselmo Boëtio* leguntur: *Granati* inquit, *Bohemici, orientalibus nobiliores sunt: tum quia vitio carent, tum quia igni resistunt, verùsq; carbonibus sunt similes: hos rustici in agris passim* (nota bene) *absq; Matrice, Arenæ aut pisorum instar inveniunt, venúmque Pragam deportant.* Eandem authoritatem & Nobilitatem Granato Bohemico tribuunt, quicunque de Gemmis egerunt Scriptores, videantur *Agricola & Schröderus*, quorum prior, ex granato Bohemico sulphuris conficiendi

[margin: Granatus.]

[margin: *l. 2. de Gemmis C. 13. & C. 24.* Granatus Bohemicus Orientali præstātior.]

[margin: *Agricola T. 2. P. 261. Schred. Pharmacop. Med. Chim. l. 3. C. 5*]

   ciendi

ciendi rationem, ùt illi vocant, seu *sulphur granatorum Bohemicorum*, latè descripsit; ad *Anselmum*, bohemicarum gemmarum diligentissimum & expertissimum Censorem redeamus: *Granati Bohemici*, ait, *nullum vitium habent, ob materiæ & ejusdem naturæ optimam mixtionem*. lib. 1. c. 13. apertiùs lib. 2. c. 24. *Granati, qui in Bohemia inveniuntur, omnes ita vitio carent, ut ostentum sit, si vel unus reperiatur, qui vel nebulam, vel fissuram, vel simile quid habeat;* & paulò post: *quòd ad dignitatem attinet, Bohemicos granatos omnibus alijs præferrem: quòd rarissimè magni* (id enim gemmarum pretium auget & acuit) *ac vix pisis majores inveniuntur, & præterea, quòd eorum color* (Nota bene) *nullo igne auferri, aut minui possit, quod nulli gemmæ coloratæ proprium est, ita ut hac ratione quasi immortalis, & adamanti, auróque obryzo comparandus sit. Novi, qui per multos menses in igne Bohemicos Granatos detinuerint, varijsq; modis colorem mutare, aut demere tentârint, sed frustra.* Eadem libro 1. capite 18. prædixerat: *granatus quem gignit Bohemia igni resistit, & colorem in igne servat, reliqui autem nequaquam. Existimo hujus rei tam difficulter caussam dari posse, quàm cur Sol luceat, & terra gravis sit, scilicet ad essentiam ejus istud est referendum.* Ex his omnibus locis facilè conijcimus quantum bohemicos granatos æstimârit & amârit peritissimus & curiosissimus gemmarius, Medicus, & Chymicus è paucissimis unus, *Anselmus Boëtius*, quódque admirationem auget, in tanta omnium gemmarum copiâ, quibus *Rudolphus Cæsar* ad miraculum, ùt postea dicemus, abundavit, quásque iste omnes, longè acutiùs, quàm centoculus ille suam *Io* pascentem servabat. *Si quis*, ait alio in loco, *Granatorum bohemicorum Avellanæ Nucis magnitudinem æquet, Rubini veri* (cui secundum locum & pretium inter gemmas jure meritissimo gemmarij concedunt) *rubini orientalis pretium æquare debebit; orientales & reliqui omnes Granati, Bohemicos neque dignitate, neque pretio ullo modo possunt æquare.* Hæc Boëtius. Utinam aliqua, vel ex hac *Anselmi* laudatione gemmarum cura nos incesseret, *fælices*, canit Virgilius, *sua si bona nossent Agricolas!* dolendum profectò: has Naturæ gratias, & Patriæ pulcerrimas merces, alienis & aduncis manibus, *Judæorum* præcipuè, fossionibus ejusmodi callidè insinuantium, excipi, tractari, & quæ Patrijs hominibus parabat Natura, in *Italiam & Galliam* invitas, si sensum haberent deportari! Porrò quo in loco *Bohemiæ Granati* fæliciſſimè proveniant; *Stransky* Scriptor Patrius annotavit: *Carbunculi scintillatione flammitantes* (*vulgò Granaty*) *exportatæ è puteis Podsecianis, ac Strzebivlicianis suburræ, glareæq; permisti, crebris percolationibus aquâ eluuntur, ac perpurgantur.* Sunt in manibus meis *Camerales* literæ à *Regia Bohemiæ Camera* strenuo Equiti *Georgio Audrczky de Audrcze* Anno 1605. 10. Junij datæ, quibus Telonarijs, & vectigalium regiorum in limitibus Bohemiæ Præfectis severè præcipitur, ut eos homines qui à prædicto Domino ex ejus fundo *Strzebivvlicensi Granatos* emere solent, ubi solitum vectigal dependerint inconcussos, nullâ vi adhibitâ, innoxiè pertransire sinant. hæc de *Strzebivvlicensibus Granatis. Anselmus* propè balnea Teplicensia, non procul ab *Albi*, & oppido *Bilinensi* elegantissimos reperiri affirmat; cujus Scriptoris verba ita accipienda sunt, ut eò loci frequentiores, & elegantiores colligantur; cæterùm totam propè *Bohemiam Granatorum seminibus* Natura conspersit: sæpe inter ignobilium rivulorum arenas deprehenduntur, sæpe ad ripas suum rostris effossos vidimus, atque ego ipsum me testem laudabo Lectori, qui uno *Cuttenbergâ* milliario in *Radborz* in ditione quondam Baronum *Krafftiorum*, cùm in

l. 1. de Gemmis c. 13.

Granati Bohemici cōmendatio.

de Boot. l. 2. c. 26.

Granati Bohemici pretium.

Stransky C. Reip. Boh. §.

M. S.

l. cit.

Granati passim in Bohemia crescunt.

quodam prato cumulum lapillorum diligentiùs inſpicerem, ex ijs facilè centum granatos, quanquam minutos, & vix piperis granum æquantes, ſed probatiſſimos ſecrevi. Eadem, atque etiam major fœlicitas in *Zaſmuk* obvênit, cùm & majores, & numeroſiores granatos ruſticis pueris & paſtorculis præmio invitatis ductoribus invenerim. *Joannes Tanner in Veſtigio Bohemiæ Piæ*, in Prachenſi Bohemiæ Provincia tanto aliquando numero *Granatos* reperiri affirmat, ut eos vel anſeres cum gramine glutiant, quales ſe vidiſſe, ex unius anſeris ſtomacho facilè 60. exemtos. Poſt *Wolkenſtein* & *S. Annæ* cognominem pagum medio milliari in rivo quodam vim ingentem *Granatorum* volvi & colligi poſſe, item ad *Pagum Zebelitz* quâ *Brixiâ Litomericium* iter eſt, poſt pluvias & imbres granatas gemmas, quas aqua lavit, apparere frequenter, Amicus quidam meus fecit indicium. *Puteos Granatorum in Cerconoſſijs Montibus* reperiri, ſuo loco dicemus. Poſtremò addendum & illud, eſſe nobis *Granatos*, qui *Iſerini* vel *Giſeræ* fluminis ripas, idque in confinijs Sileſiæ colligantur; hi præter quod in Medicinis adhiberi poſſunt, nulli uſui, aut potiùs viſui, quod aliarum gemmarum decus eſt, ſerviunt, cùm & ſcabri, & materiæ indigeſtæ, ac vitijs pleniſſimi ſpectentur.

Hactenus de *Gemmis* paulò prolixiùs, eóque conſilio diſſerui, ut oſtenderem eas *Bohemiæ* maximè gemmas ineſſe, quæ in Medicorum Officinis ad vitam præcipuè tuendam adhibentur, & Magiſterijs, Salibus, Oleis, Tincturis (uſitatis Artificum & Chymicorum vocabulis utor) præparantur, ejuſmodi ſunt ſeptem lapides, de quibus proximè tractavi, & in Bohemia numeroſos naſci docui, putà *Perlas*, ſeu *Uniones*, *Sapphiros*, *Hyacinthos*, *Smaragdos*, *Chryſolithos* ſeu *Topazios*, *Sardios* & *Rubinos*; jam reliquas Bohemiæ gemmas breviſſimè, & quaſi per Indicem, niſi aliquid in loco ſingulare occurrat, perſtringemus: *Carbunculos* in Bohemia aliquando reperiri docet *Tannerus*.

Septem pretioſi lapides in uſus Medicinæ.

Carbunculus.

Tanner l. cit.

Beryllus.

l. 2. de Gemmis C. 70. C. 87. C. 91.

Henel. in Sileſiogr. C. 2.

Chalcedonius.

Turcus.

l. cit.

Beryllum, qui aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum, in Bohemia naſci docet *Anſelmus*, item *Calcedonios*, & *Onyches*, & lapidem illum colore præſtantem, æruginem, ſeu æs ſitu & antiquitate virens, referentem, quæ mirè contra lapſus valere dicitur, & *Turcois*, *Turcus*, ſeu *Turchina*, ſeu *Calais* appellatur; de Calai locupletiſſimus præter *Anſelmum*, teſtis eſt *Paulus Stransky*. Ad *Kſenicium* duodecim *Pragâ* milliaribus in Provincia *Plſnenſi* Putei ac fodinæ hodiéque monſtrantur, è quibus *Calaës* & *Turcos* ditiſſimo operæ pretio Antiquitas eruebat; nec admiratione caret illud, quod Perilluſtris & Strenuus Eques *Adamus Franciſcus Henigar de Eberk* ejus Provinciæ Regius Capitaneus, mihi intimo ſemper amore conjunctus ſignificavit: frequentiſſimè eò loci (maximè poſt pluviam) Viatoribus nihil tale cogitantibus in via apparere, & ſe offerre *Turcos* quaſi naturâ ipsâ ſuas opes calcari ægreferente.

(+)
**



CA-

CAPUT XXXII.

Rursus de Gemmis. Levcachates. Achates. Jaspis. Heliotropius. Lapis Nephriticus. Gemma albina. Lapis Armenius. Lapis angvium.

Levcachates. *Boot. l. 2. C. 96.*



DE *Levcachate* Bohemico illud addit *Boëtius*, de eo esse ad *Misam*, quam ipse *Argentinam* vocat, Bohemiæ Civitatem, miræque elegantiæ, quòd punctulis quibusdam nigris, & sæpe purpureis maculis decorè sparsus cum gratia spectetur. *Achates & Jaspis* notissimæ gemmæ sunt & omnium colorum: ex *Achate Bohemico* pretiosissimum quendam *globum*, cui *Natura* velut per ludum humani vultûs similitudinem impresserat, *Rudolpho II. Cæsari* donatum pridem narraveram. De *Jaspide* dici posse puto: tantum ejus in Bohemia reperiri, ut ob magnitudinem gemma esse desinat: In *Bohemia*, ait idem Anselmus, *Jaspides rubras, sangvineas, purpureas, albas, variisque coloribus intermixtas ac pulcherrimas, mirabilique Naturæ artificio compositas, collegi quàm plurimas: tantâ enim mole reperitur, ut ingentes statuæ ex ea elaborari possint.* De *Jaspidea Rudolphi Cæsaris* Mensa, quæ octavum Mundi Miraculum appellata fuit, Capite 35. dicemus: de fodinis *Jaspidum* vide quæ attuli in *Montibus Giganteis*.

Achates. Jaspis. *C. 6. §. 8. in fine.*

Boot. l. 2. C. 100. & 101.

C. 6. §. 1.

Heliotropius.

Heliotropius gemma est viridis, sangvineis venis, aut etiam punctis, dicitur *Jaspis Orientalis*; nec illo caret Bohemia, additque *Boëtius: poculum ex hoc lapide efformatum 200. Taleris vendi solitum.* Ad Jaspidem quoq; ab gemmarijs refertur *lapis Nephriticus*, quem & in *Bohemia* gigni, & *Pragæ* vendi affirmat toties laudatus *Anselmus Boëtius*.

l. 2. de Gemmis C. 104. 105. 106.

Lapis nephriticus. *l. 2. C. 109.*

Novum gemmarum genus pauculis hisce annis (nam antè illud ferè ignorabamus) *Albis* fluviorum nostrorum Rex invênit, vel in eo potiùs artificas gemmarij repererunt, lapilli sunt nivei, quos ex *Albis* fundo ad *Austam* præcipuè Urbem regiam extrahunt, qui arte politi adamantis lapidis gratissimam oculis lucem nisi superant, æqvant certissimò (Elbstein vocant, qui gemmas Bohemicas apud nos venales circumferunt) fine omni nævo & macula omnes, neque ullum vidi, qui cerasi nucleum magnitudine superarent. Optarem majus gemmæ huic pretium, est enim lætissimi & lucidissimi aspectûs; sed copia illos viles facit, & quòd nondum nomen & authoritatem gemmarum passim obtineant, sed lapilli adhuc vocentur.

Elbstein quid sit.

Lapidem Lazuli gnisium & genuinum) unde ille cæruleus color, quem *Ultramarinum* vocant, auro pretiosior conficitur) *Bohemia*, quod sciamus, non gignit; at *lapis Armenius* qui non multùm ab illo distat (unde Asurblaw seu asurum, color pictoribus notissimus elicitur) in fodinis aureis Bohemiæ reperitur, quem *Lazuli Matrem* agnoscunt gemmarij; hunc lapidem uno *Pragâ* milliario in monte quodam scribit *Anselmus*, se reperisse. *Zacharias Theobaldus* author est: in quadam Cuttnensi fodina rubrum *Lazuri Lapidem* copiosè & insigni mole effodi posse, sic ut superiore sæculo, *Antonius Pragensis Archi-Episcopus*, gemino eòque prorsus singulari artificio, *Christum* genibus positis in horto Getsemani orantem, fieri fecerit, statuámque illam mirâ esse venustate.

Lazuli lapis.

Armenius lapis.

l. 2. de Gem. C. 119. & Theob: in canis Nat. 21.

De *Anguium Lapide* apud Bohemos celebrato (quem *Dichanek* appellant, falsóque credunt quâdam conspiratione

Lapis Angvium.

one, & flatu serpentûm formari) nihil attinet dicere, cùm & fabulosa illa sit origo, quam *Agyrtæ* ut populo imponant, eúmque argento emungant, mentiuntur, & nihil aliud quàm vitium esse, liquido demonstrârit *Anselmus*.

l. 2. de Gemmis C. 200.

CAPUT XXXIII.

Reliqua Lapidum singularium genera: Lithanthrax. Vesuvius parvus Bohemiæ. Hæmatites. Lapis renum. Ætites. Schistus. Ammochrysus. Magnes & Marmora.

Carbones fossiles.

JAm ad ignobiliores lapides, gemmarum nomine non satis dignos, humanæ tamen vitæ aut necessarios, aut multùm utiles veniamus: *Lithanthraces*, seu *Carbones fossiles* Bohemia passim non habet: unus *Cubitensis Districtus* fodinis, & ferrariorum, aliorúmque ejusmodi artificum officinis plenissimus, Carbonibus Lapideis abundat, sed non utitur, quòd (utpote in silvosa regione) lignorum sit satis: Ad *Falckenaviam* propè *Egram* fluvium (ad pagum *Königsvvehr* iter est, ubi *Sanctæ Cunegundis* Ecclesia visitur) Mons vel potiùs quoddam concavum, aut grandis Crater occurret, magnum olim malum viciniæ daturus; subterranei ignes viscera Montis depascuntur, & si aurem penitùs solo admoveas (quod ego feci) tantum intus murmur ventorum, aut flammarum exaudies, ut parvum quendam *Vesuvium* ipse sibi timor cogitatione depingat; ardet mons ille noctibus, imò & diebus, quoties gravis aliqua aëris mutatio regioni impendet; jam & terræ aliquem tremorem cum tristi quodam mugitu, non semel vicinia illa sensit; fuisse eo in loco quondam *ferri* fodinas Accolæ narrant. Sunt etiam eo in loco *Carbones fossiles* permulti, sed nigri, ac ferè jam in ipsa terra flammis absumti; quales per reliquam Bohemiam aliquando inveniri *Boëtius* testatur.

Novus Bohemiæ parvus Vesuvius.

l. 2. de Gemmis C. 167.

Hæmatites lapis prope *Joachimicam* vallem *Bohemiæ*, inter rubricas, & ferri fodinas sæpissimè crescit. Audiamus Mathiolum: *Hæmatites effoditur in pluribus Bohemiæ, & Germaniæ Montibus, præsertim in Hercynia silva. Ejus fodinas habet in Valle Joachimica Regni Bohemiæ Illustris Comes Joachimus Schlickius adeò illo refertas, ut inde optimum ferrum conficiat; quo fit ut nihil aliud sit hæmatites, quàm ferri materia.*

Hæmatites. *Ansel: l. 2. C. 206. Mathiol. Comment: in lib: 5. Dioscoridis, Cap: 101.*

Lapis renalis, rotundus renum figurâ prope ipsam *Pragam* invenitur; uti & *Enorchis* ovi columbini magnitudine, in eo inclusus lapis est alter, & iste prope *Pragam* nascitur.

Lapis renũ. *Boot l. 2. C. 224.*

De *Ætite Aquilino* lapide, quem aquila ut partum promoveat, ad nidum deferre creditur, mira est *Anselmi*, ac cæterorum, qui de ejusmodi rebus scripsêre, narratio: continet Ætites alium in sese lapidem, *Callimum* dictum, intus, velut in avellanis nucibus amat fieri, sonantem; hunc, ait Boëtius ad *Plsnam* sæpius reperiri, uti & *Geodem* ferè ignobilem, qui lapidis loco terram, aut arenam contineat. Aliam & novam prorsus *Ætitis* speciem idem Scriptor adducit: inveniri ad *Albim Ætites* cavos, in quibus silices candidissimi hospitentur, seséq; intus latêre sono demonstrent; in ipsa *Ætitis* superficie cellulas, apum favis simillimas, apparere. *Schistum*, seu *scissilem lapidem*, qualis *Romæ in Vaticano*, & in monte acuto prope *Anglariam*

Ætites.

Boot l. 2. C. 202.

Schistus.

riam (cujus montis acumen ex hoc lapide constat) reperitur, in *Bohemia* se vidisse locuples testis est *Boëtius*. (*l. 2. C. 211.*)

Amochrysus.

Ammochrysus (felium aurũ Germani juxta & Bohemi appellant) lapis minij ferè colore arenosus, aureóque colore consperſus (quo Scribæ ad citò exſiccandam, quam conſcripſerint papyrum uti solent) *Horazdovicij in Bohemia* tantâ copiâ reperitur, ut toti Bohemiæ ſcribenti poſſit ſufficere. (*Boot l. 2. C. 240. & C 284*) Eundem uſum præbent ſaxa quædam arenaria prope ipſam *Pragam*, quæ etiam ad ædificia expetuntur; arenæ ſunt molliſſimæ, ut digitis teri poſſint, ſed ùt *Horazdiovicenſes* aureis punctulis tenuiſſimis, ita *Pragenſes* argenteis collucent.

Magnes.

Magnetes Vallis Joachimica circa ferri fodinas in Bohemia producit; (*Boot l. 2. C. 248. Mathiol. Comment. in l. 5. Dioſcoridis C. 105.*) ad *fontes Albis* non raro ijdem magnetes eruuntur. Eſt Magnetis quædam ſpecies, qui mundi plagas oſtendit quidem; ſed ferrum non trahit; ejuſmodi Magneſijs cautibus *Mons Sancti Georgij ad Raudnicium* abundat, atque inde allatos ſibi memorat *Boëtius*. Obſervatu digniſſimum eſt illud de Magnete (quod maximos viros ignoraſſe ſcio) Acum ferream in *Bohemia* à *Magnete* contactam, atque ut ita loquar, maritatam, nunquam recta Polum ſeptentrionalem reſpicere, ſed *orientem* versùs ad *octo* aut etiam plures gradus averti, cujus declinationis cauſſam probabilem reddere, tam difficile eſſe puto, quàm *Magnetum* Naturam & patriam explicare & oſtendere. (*Idem l. 2. C. 251.*)

De Marmoribus. Alabaſtrites.

Marmora diverſa & multorum generum in *Bohemia* naſci videmus. *Alabaſtrites* (quem tanti fecit Antiquitas) prope *Caroli Thermas* in *Bohemia* naſcitur miri candoris, tanto inter hæc lævore, ut *Ebori* candidiſſimo proprior, quàm lapidi videatur. *Serpentini*, quod Itali vocant, *marmoris* genus, circa *Giczinium* inventum à ſe gloriatur *Boëtius*. (*de Boot l. 2. C. 279.*) Aliud prope *Carlſteinenſem* Arcem marmor eſt, maculis & lineis albis depictum, quod *Levcoſtichon* veteres appellabant; habet & aliud *Marmor* Bohemia, ex rubro nigrum, ùt idem obſervat. (*Id. l. 2. C. 281. & 284.*)

Nigrum.

Dobrzikovicij ditione Grandis Magiſtri Hoſpitalariorum *Beraunam* verſùs Marmoris varij fodinæ ſpectantur: candidum & rubrum, quo marmoratæ jam ſunt, ùt narrant aliquot *Eccleſiæ*; *nigrum* Dobrzikovicenſe nuper oſtendit mihi Celſiſſimus Archiepiſcopus Pragenſis (*Joannes Fridericus*) per cujus medium ibat vena aurei coloris.

Serpentinũ.

Wilibaldus Heffler ſcire ſe locum *Pragâ* ſexdecim milliaribus, unde nigerrimum & candidiſſimum *Marmor* copiâ maximâ effodi poſſit, coram *Cæſare Rudolpho II.* jactavit, ùt C. VI. narrare memini; vide etiam Caput XX. hujus libri, & Caput XXXIII. (*Vide C. 6. § 8.*) Sunt ſaxa & lapides in *Bohemia*, quæ proximè *marmor*, ipsúmque *Ophiten* ſeu *ſerpentinum* imitentur, & exprimant; In alveo *Moldavæ*, ejúsque ripis extare ſaxa, nigris punctis lucentia, *Antimonij* lapidis inſtar miratur *Anſelmus*; (*l. 2. C. 284.*) Saxum illud, aut potiùs *Mons* ille grandis, ſaxeus ad ripam *Moldavæ* fluminis, unde *Praga* tota ſibi calcem petit, & frangit, tam ſimilis marmori eſt, ut nihil magis eſſe poſſit: adeò etiam nigricat, venis alabaſtrinis, albíſque alicubi errantibus; interdum prorſus albet, aliàs fuſcum eſt, ut ſe marmori ſtudioſè conformet.

Baſaltes.

Baſaltes, aut *Baſanus* atrum eſt Marmoris genus; ſuper ejusmodi ſaxum in finibus Bohemiæ, jam in conſpectu *Zittaviæ*, ædificatam eſſe arcem *Greiffenſtein* affirmat *Boëtius*, & qui vidère (quos inter & ego me numero) teſtantur; (*l. 2. de Gemm. C. 293.*) Arx illa ad Illuſtriſſimum Comitem *Adamum de Trautmansdorff* Regni Bohemiæ Mareſcallum Patronum meum ſingularem pertinet, cui læta omnia vovemus Clientes! Palmam hoc in genere præripiunt Arci Greiffenſteiniæ Arces aliæ duæ: altera non procul à Bohemiæ finibus Electorum Saxonum *Stolpa* nomine; altera apud Moravos

Stolpa & Pernſtein arces marmoreæ.

ravos Lichtenſteiniorum Comitum dicta *Perenſtein*; prior tota cum omnibus ædificijs *Baſalti* atro immerſa & inædificata conſiſtit, hæc verò non modò *Marmoreum* montem habet pro ſolo, ſed ipſa etiam marmore conſtat, eòque candidiſſimo, quale *Parium* marmor Veteribus fuiſſe deſcribitur. Infra arcem Eccleſia ſtat ſolido ædificata marmore, ad quam Virgineum Cœnobium ſtetiſſe affirmat Paprocius. Jam *Latomiæ* molarium lapidum, aliæ alijs meliores, commendabili duritie, quàm plurimæ in *Bohemia* viſuntur; *calcariæ* tanto numero, ut à Dominis ultro pretijs minoribus invitentur & conducantur emtores; calcis bonitate *Pragenſis Latomia*, de qua paulò antè diximus, reliquas omnes per *Bohemiam* antecedit.

Latomiæ.



CAPUT XXXIV.

De Lapidibus ſtillatitijs; ex ijs medicinæ; Arbores in Saxum converſæ. Lapis in humano hepate natus. Et in veſica fellis. De Carbunculo mirabili. Laudata Curioſitas in gemmis.

JAm de ſaxifico, & Meduſæo, ùt ita loquar, ſemine dicendum reſtat: Quàm variè in *Thermis Carolinis* ſaxa naſcantur, quámque mirè, pro eo ac prævalent, metalla, vel tingant lapides, vel procreent, ſuperioribus Capitibus executus ſum, nunc alia & nova pandentur: *Stillatitius eſt lapis*, qui balneorum vaſis innaſcitur, aut quibuſdam antris depluus ſaxeſcit (Tropffſtein aut Walſtein appellant Germani) multis apud nos locis colligi poteſt: in Antro S. *Ivvani* copiosè ſtillat & dureſcit. In *Cunaci Monte* (Kunětická Hora Bohemi dicimus arce olim nobiliſſimâ & munitiſſimâ, quæ multa admiranda continet) cellaria ſunt vivo, ut ita dicam, ſaxo exciſa, in quibus *aqua ſtillans* ubi primùm terram cadens contigerit, ſaxum molle principio, poſtea verò cùm foras extuleris, & libero cœlo oſtenderis, durum evadit, ut dubitare nemo poſſit ſaxum eſſe. Vires hujus lapidis adverſùs Morbos omnes, qui ex *Tartaro*, ut Medici vocant, gignuntur, commendat *Oſvvaldus Crollius*, aitque in *Moravia* tam copiosè manare, ut ex eo ſtatuæ hominum ad *Kiriteinam* formentur, quaſi naturâ ſolicitè agente, ut cùm ijs Morbis laboret *Moravia*, in promptu ei ſit, quod faciat medicinam. Saxificis hujusmodi & ſaxeſcentibus aquis ſcatet totus *Cubitenſis* apud nos *Diſtrictus*.

Lapis ſtillatitius.

Croll. l. de Signaturis præfat.

Vallis Joachimica multis naturæ miraculis celebrata, jam ſæpius rarum obtulit *Bohemiæ* ſpectaculum converſorum in ſaxa lignorum: Anno 1556. 7. Februarij in *Sanctæ Barbaræ* fodina (nam à Cœlitibus fodinæ apud nos nomenclationem accipiunt) ea fodina in præceps patet orgias centum & quinquaginta, in foſſa arbor reperta eſt lapidea cum plurimis ramis, ſive ita in ſaxo ludere Natura voluerit, ſive quòd olim arbor injecta, ſemine ſaxeo permaduerit, & denique duruerit in ſaxum; ac fortè eadem arbor eſt de qua *Boëtius*: *In Valle Joachimica*, inquit, *ante aliquot annos Fagus cum trunco, ramis & folijs, altitudine 170. ulnarum in ſaxo cinereo duriſſimo ſub terra reperta eſt.* Neque id ulli dubi-

Theobald. in Arcanis Naturæ ſect. 1.

Arbor ſaxea.

l. 2. de Gemmis C. 295.

dubium aut pro commento haberi poteſt, cùm hodiéque apud oppidum *Falckenaviam* integras abietes in lapidem mutatas Cives oſtendant; ac nè ullus legentibus ſcrupulus reſideat: *prope Brunam*, verba ſunt Anſelmi, *Moraviæ Urbem inventus eſt lapis, tam exactè figuram trunci juglandis intrinſecùs, & extrinſecùs referens, ut nemo, niſi cæcus, negare poſſit truncũ arboris illius fuiſſe, ac in terra transmutationem accepiſſe.* Hæc omnia confirmant *Thermæ Carolinæ*, in quibus folia arborum & piſa pridie injecta lapideſcere nos ipſi experti vidimus, & periculum facere quiſq; etiamnum poteſt. Illud Jonſtoni mirabile: *habet*, inquit, *Elboganus in Bohemia tractus Abietes magnas cum corticibus lapideſcentes, in quarum rimis aurei coloris pyrites concreſcit.* Vide quæ infrà C. XXXXIX. ac præcipuè L. diſputamus.

Abietes ſaxeæ.

l. 2. C. 242.

Pyrites in arbore ſaxea.

Jonſt. in Thaumat. nat. claſ. 4. C. 14.

Ad ſaxificam naturam quadamtenus pertinere poteſt memorabile quod habet *Boëtius* à ſe viſum *Pragæ*, & multis cognitum: Seni cuidam Aurifabro Pragenſi in hepate excreviſſe lapillum majoris fabæ magnitudine, qui colore lapidem *Bezoar* ad vivum refert, ſervarique, & oſtendi humanum illud *Bezoar à Sontero* Aurifabro, qui ſenis illius filiam accepiſſet in conjugem. Narravit mihi proximis hiſce diebus Vir Religioſus, monſtratum ſibi in Zbraſlawicz ab *Illuſtri Viro Pernklau* loci Domino *Lapidem*, jam in tria vel quatuor fruſta confractum, longitudinis ſi fruſta jungerentur, *Ovi Gallinacei*, ſed craſſitie paulùm minori, à ſilice communi, quo Plateæ Civitatum ſternuntur, materiâ nihil prorſus differentem, niſi quòd ſubflaveſceret, ac ſimul quendam virorem affectaret; hunc ex fellis veſica cujuſdam *Illuſtriſſimæ Matronæ* poſt mortem exſectum Dominus memorabat, ea de cauſſa, quòd illa dum viveret, monſtrato loco, ſe ibi gravari, & neſcio quid ſibi accreſcere ſæpius quereretur. Quis igitur neget ſaxa creſcere, cùm in nobis ipſis creſcant lapides & ſcopuli, quibus vita illiditur? valeat hîc Ovidianum illud:

Boot. l. cit. C. 300.

Saxifica quorundã hominum natura.

Lapis in veſica fellis.

Inde genus durum ſumus, experiénsq; laborum,
Et documenta damus, quâ ſimus origine nati.

Ovid. in Metam.

Ex his omnibus quæ ſuperiori Capite de Gemmis attulimus, ſatis ſupérque poteſt intelligi: primùm, quantis Natura, aut potiùs Naturæ parens, DEUS, opibus Patriam cumulârit, quantúmque *Nos* ei præſtare gratos oporteat; tum alterum, ut non ſinamus quæ nobis debentur, inter aduncas Exterorum, ac Judæorum præcipuè manus, opes noſtras perire

- - *cuncta per oppida, curvis,*
Ungvibus ire parat Nummos (imò & gemmas) *raptura Celæno.*

Juven.

Tum illud tertium: commendabilem eſſe in rebus ejuſmodi curioſitatem, quâ Regna, Regésque ditantur; eruditos igitur ad gemmas oculos afferre oportet, neque omnia, quæ in operto jacent, contemnere. Narrat *Joannes Tanner in Veſtigio Bohemiæ Piæ*: Matronam in Bohemia fuiſſe fortunæ pertenuis, quæ Gemmam *Carbunculum* haberet, luce tam vivaci, & radioſâ, ut ipſa Mater & filiæ & familia univerſa, carbunculo illo in medium locato, ad unius gemmæ lumen, nocturnos omnes labores peragerent, fila ducerent, colum verſarent, periculi omnis expertes. Ignorabat fortunam ſuam miſera Mulier, quæ hujus unius gemmæ pretio, non modò ſuam & filiarum orbitatem depellere, ſed ad magnas opes pervenire potuiſſet. Queritur idem *Anſelmus Boëtius*, cúmque dixiſſet *Bojemiæ* montes & juga, etſi nivibus rigeant, gemmas elegantiſſimas & varias ferre, *Topazios, Amethyſtos, Cryſtallos, Jaſpydes, Sapphiros, Corneolos, Turcoſas &c.* Addit ſæpenumero tam pertinaciter adhærere rupibus, interdú cortici ſaxeo includi, ut pro ſaxis habeantur, neq; niſi à peritis internoſci poſſint; ad *Rudolphi*

Carbunculus admirabilis.

l. 1. de Gemmis C. 12.

Ignorantia gemmarũ multũ obeſt Bohem.

phi II. tempora multa gemmarum pretia ignorâsse *Bohemiam*, multósq; eo tempore lapides pretiosos in lucem esse protractos. Sed imponamus aliquando saxeæ huic tractationi finem; proverbium vetus est, *lapides loqui*, qui res alterius auribus ingratas loquuntur; equidem vereri incipio, nè hâc prolixitate legentibus fastidium attulerim, & lapides sim locutus; forsitan tædio levando proderit, quod initio hujus capitis promiseram, aliquid de *gemmeo Rudolphi sæculo* commemorare; etsi enim rursus in gemmas & lapides relabi videamur, tamen istud longè divinius argumentum habere debet: regum enim gemmæ, in naturam stellarum ac siderum quodammodo transeunt, cùm in Regum verticibus (qui *terrestres Dÿ* appellantur) sedent, eorúmq; coronas accendunt, aut Thronum, aut Mensas occupant, in quibus jura & leges Mundo dictantur, & scribuntur.

CAPUT XXXV.

Rudolphi II. Cæsaris divitiæ ex Gemmis.



Udolphum II. Cæsarem, *Salomonem Bohemicum*, ob miram in gubernando fælicitatem & prudentiam, tum ob summam eo regnante rerum omnium affluentiam & copiam; tum quòd extrema *Salomonis*, cum *senecta Rudolphi* ætate congruerint, appellabant *Imperÿ* Germanici *Principes*, ego eo etiam propiùs expressisse *Salomonem* crediderim, quòd Legationibus omnium propè transmarinarum Gentium excultus, summa in gloria (si ultimam ætatem â fratre, & populis contemtam excipias) vixerit, quódque auro, argento, & gemmis sic abundârit, ut (præter *Ottogarum*, quem ab auri copia *Regem aureum* vocabant, aut *Carolum IV.* qui lapidum loco gemmas adhibebat & cæmento verum aurum infundebat, ùt *Carlsteinæ*, alibíque videre est) alterum Regem è nostris ægrè invenire possis, *Rudolpho*, opibus & magnificentiâ conferendum. Aureos eum laterculos quàm plurimos habuisse, seu aurum in laterculos efformâsse & signâsse, â senibus qui ipsos laterculos viderant, audivi. Quid ego artifices loquar Regijs opibus ex omni Evropa *Pragam* evocatos, & *Pragæ* summâ indulgentiâ, amore & libertate Principis habitos, maximísque muneribus auctos, *Pictores*, *Sculptores*, *Gemmarios*, *Phrygiones*, *Architectos*, *Aurifabros*, *Horologiorum Artifices*, *æris flandi*, *fundendi*, *feriendi Magistros*, *Plumarios*, aliósque innumeros, quos vniversæ Evropæ, pretijs oblatis (ùt ita loquar) furabatur, & cùm id non sufficeret, etiam rapiebat? *Doctorum* Virorum, & qui curiositatem Principis ac sensus pascerent, aulam refertissimam habebat: *Musici*, *Chimici*, *Poëtæ*, *Historici*, *Mathematici*, *Astronomi*, *Medici* complures, in quos centena & centena aureorum millia quotannis effundebantur, *Cæsarei* dicebantur; sequebantur Aulam omnes isti, & Cæsareis alebantur impensis: unus *Tycho Brahe*, Mathematicus, ut è *Dania* sua & *Uraniburgo* (quod aliquot centenis millibus arti suæ exædificat) *Pragam* eliceretur, ac postea ut Vir talis ac tantus, Nobilitate & scientiâ maximus, splendidè sustentaretur, promisit *Imperator* se omnes ejus in Patria reditus, & quidquid percipere & sperare posset, superaturum; quod etiam non minùs verè, quàm magnificè præstitit, ut tota ditio Regia *Lissensis & Benacensis* uni *Tycho-*

Iam sustineret Rudol. Imp.

Dom^s Ty-

chonis Brahe Pragensis, proh dolor! dejecta.

Tychoni Brahæo alendo, & ditando deputaretur, cui mirabilem insuper *Domum*, qualem sibi ipse *Tycho* ad observationes Cæli ac siderum descripserat, à fundamentis excitavit, ut sensus ejus ætatis hominum communis fuerit, in unum *Tychonem Brahæum* ejúsque scientiam illam sideralem *Rudolphum Cæsarem* aliquod auri myriadas expendisse. Quantum *fornaculæ Chimicorum* consumserint auri, dici non potest! lectores, ex curiositate & magnificentia Principis, ex auri copia, ex multitudine Chimicorum artificum, quorum numerus ad vicenos ascenderat, ex diuturnitate laboris (nam ex quo Regnum adijt usquè ultimam ætatem, *Chimiam & Auri conficiendi spem* nunquam dimisit) faciant conjecturam; jam quid in *Feras* toto orbe quæsitas, quarum illi summa raritas contigit, quid in *hortum geminum* omni florum, radicum & stirpium peregrinarum, & transmarinarum copiâ excultos, nutriendos, & in dignitate & authoritate conservandos, quantæ opes effusæ sint, quis oro, potest colligere? optandum fuerat magìs, ut magnificentiæ & curiositati modum posuisset aliquem Maximus Princeps, seséque à *Caroli Schotti* familiaritate (quod serò fecit) citiùs abstraxisset? sed hæc alijs commemoranda relinquo, de *gemmis Rudolphinis*, quod proposueram dicere, pauca quædam ex *Anselmo Boëtio*, qui ea quæ videbat, scripsit, & gemmeorum illorum operum pars magna & author *Rudolpho* fuit, utpote *Gemmarius & Medicus* nobilissimus, & in utroque munere à *Cæsare* solitus adhiberi, delibabo; innumera interea præterriturum me scio, quòd ea à nemine descripta invenerim; sed ex his pauculis conjectura (ut jam sæpe monui) petatur de cæteris.

Anselm. de Boot de Gemmis in præfat. ad Rudol. II.

Principiò gemmarum amatorem & æstimatorem maximum fuisse docet *Anselmus*; juvat ipsa *Anselmi* verba ad Cæsarem, cui libros illos de Gemmarum & lapidum historia, Anno 1609. editos, & Hanoviæ excusos dedicabat, audire: *hanc* inquit, *S. Cæs. Majestatis vestræ mentem* (videlicet ut gemmarum illustretur historia, & æstimatio earum increscat) *ostendit Mensa illa gemmea, quam Majestas Vestra exstrui jussit, octavum Mundi miraculum, in qua fabricanda tot annis, tantísque expensis desudatum est, quæq; tanto artificio elaborata est, ut gemmæ sibi invicem commissuris, quæ conspectum fugiunt, unitæ, silvas, arbores, flumina, flores, nubes, animalia, variásque rerum pulcerrimarum formas, ita referant, ut depictæ ad vivum videantur, ac simile opus in toto terrarum Orbe reperiri non possit.* De hac Mensa paulò pòst plura; pergit idem Anselmus: *Ostendit etiam Corona illa Imperatoria, quam S. Cæs. Majestas fieri jussit ex Adamantibus, Unionibus, Rubinis, Auróque puro aliquot centenis aureorum millibus constans, & præterea torques ex præcipuis gemmis concinnata, valore ac pretio Coronam superans, aliáque insuper infinita varijs ac pretiosis gemmis exornata, ut existimem nullum unquam Imperatorem tantam gemmarum copiam habuisse, quantam habet S. Cæs. Majestas Vestra.* Hæc Boëtius.

Mensa Rudolphi gemmea.

Corona Imperialis nova, seu domestica.

Torques Rudolphi Cæsaris.

Pulchrum esse, ajebat ille, *à laudato viro laudari*; addiderim ego, omnem laudem superare, laudari à perito & rerum conscio, cui ignorantia obrepere non possit, qualem fuisse *Boëtium* constat, qui omnes omnium Principum, & Regum in Evropa aulas obiverat, & thesauros, & gazas spectaverat, & gemmarum omnium pretia penitùs noscebat, hæc tamen, Italiâ, Hispaniâ, Galliâ audiente, & legente, scribebat! *Corona* illa *Rudolphina* hodiéque in *Cæsaris* nostri *Leopoldi* gazaphylacio, unà cum pomo, & sceptro spectatur, *domestica Corona* appellata; eam ante annos non multos cùm Maximi hujus Evropæ Principis, *clementissimo Imperio ad Thesaurum Cæsareum* (qui omnes aliorum Principum

Aliquid Thesauri & gazæ Domûs Austriacæ Viennæ.

pum thesauros longè superare dicitur) admissus essem, spectavi, tractavi, atque osculo adoravi. Non est meum hoc loco, nè quis erret, *præsentem Austriacæ* Domûs gazam, & quæ in ea rara & pretiosa vidi describere; succumbant humeri necesse est; caligat omnis ad illam lucem gemmarum aspectus, atque ingenuè fateri possum, cùm ex Regijs thesauris domum nostram Viennæ revertissem, tantâ, tam divite, tam variâ rerum pulcherrimarum imagine perstrictum, & velut attonitum, nihil rogantibus socijs respondere potuisse, donec admiratio quodammodo subsideret, & aliqua earum specierum memoria, deleretur ex animo; itaque hæc hodierna mitto omnia, atque ut *Veteres Jove in Olympicis* viso, quem *Phidias* immortali arte perfecerat, factitabant, digitum ori libenter impono. Ad *Rudolphum* redeundum est: habuisse hunc Cæsarem *gemmam Rubinum* alio in loco refertur, quæ parvum ovum gallinaceum æquaret; asserit audacter *Anselmus*, parem in Evropa rubinum suâ ætate nullum esse, & sexaginta millibus aureorum emtum ad Cæsarem pervenisse.

Rubinus Rudolphi Cæsaris. Boot l.2.C. deGemmis.

Aureum Anulum habebat *Imperator Rudolphus*, cui adamantem, & amethystum tantâ arte incluserat artifex, ut non duæ, sed unica gemma viderentur, neque omnino, quantumlibet perspicaçissimâ oculorum acie, divisio ulla posset notari; superârat sine dubio ars naturam, cùm nihilominus separatim octodecim aureorum millibus emtus esset, *Amethystus* verò ob flammas, quas in omnes partes jaculabatur, ducentis taleris æstimatus.

Anulus Rudolphi. Boot l. 2. c. 32.

Memini paulò antè *Coronæ aureæ Rudolphinæ*; in ea quàm plurimi Uniones cum gemmis concertant mirabili prorsus lucis hilaritate, præcipuus Unio est pyri muscatellini magnitudine, qui velut regnator omnibus seu gemmis, seu unionibus, quodammodo silentium imponit; emtus est unus ille unio triginta millibus aureorum, ùt qui operi præfuit, testatur.

Numerum de Corona.

Jam de *Scrinio & Mensa Rudolphi*, suspecta, & veritati non nihil vim inferre videri posset narratio, nisi à diligentissimo, & exactissimo istiusmodi rerum Censore esset profecta; sua illi verba relinquo: *Vidi in scrinio Rudolphi II. Imperatoris, Jaspides, quæ nemora, palustria loca, arbores, nubes, & flumina ita naturaliter referebant, ut procul aspicienti non lapis, sed pictura putetur. Hæ Jaspides ab Imperatoria Majestate in tanta authoritate sunt, ut ex compluribus, quæ diversos habent, invicem rite applicatis Mensæ suæ supremum folium* (Mensæ planum æquor, seu tabulam intelligo) *exstrui jusserit.*

Scriniũ Imper: Rudol. de Boot l. 2. de Gemmis C. 37.

Id. l. 2. C. 103.

Nota Lector quæ sequuntur, & artificio mirabili adjutam Naturam obstupesce: *Id folium varijs gemmis exornatum, variorum locorum, fluminum, arborum, montium, Civitatum ac nubium figuras picturæ instar ita exactè refert, ut non satis quis naturæ artificium, & artificis diligentiam, solertiámq; admirari possit; Jaspides enim ita connectere potuit, ut conjunctiores lineæ, vel non appareant, vel ad rem faciant, picturæq; munere, dum extremos arborum, ædificiorum vel montium ambitus faciunt, fungantur. Multis annis laboratum fuit, ut opus dictum absolveretur; id cùm pretiosissimum sit* (Nota quid *Anselmus* sentiat) *multis enim aureorum millibus constat, idémq; opus admirandum, naturæ enim artificium ac artificis solertiam ostentat, inter Mundi miracula recenseri, ac cum Templo Dianæ Ephesiæ comparari absque injuria potest.*

Notanda Boëtij sententia.

Hæc de *Rudolphi* gemmis pauca, sed maximarum rerum argumenta; hodiernos Invictissimi Cæsaris *Leopoldi* thesauros, & gazas, aut illam serenissimi Archiducis *Leopoldi*, ùt Viennæ vocant, *Galeriam*, & picturarum miracula, quæ spatiosissimis cubiculis tanto numero sunt affixa, ut parietes omnino contegantur, persequi consilium

Artificia picturarum à serenissi: Archiduce Leopoldo relicta.

lium non est, tum quia ad *Bohemiam* (nisi quatenus ipse *Augustissimus Cæsar* ad Bohemiam spectat) non pertinent; tum quia facultatem meam longè superant; tum quia semel iterúmque admissus, otium non habui singula cum cura notandi; tum quia oculos pictorum & gemmariorum non habeo, qui sæpe ea, quæ nos nescimus, auro contrà noverunt æstimare.

(✠)
**

CAPUT XXXVI.

Per hanc opportunitatem adferuntur quædam de Veterum Bohemiæ Regum ingenti magnificentia.



FAcere quando huc perventum est, non possum, quin brevitate solitâ, *Veterum Bohemiæ Regum*, ac Principum thesauros, aurique signati, & non signati divitias brevibus attingam. De *Equello Boleslai Sævi* argenteo, pridem narravi.

Wladislai Regis opes.

Wladislaum I. Bohemiæ Regem à liberalissima pietate, excitatisque Cœnobijs, defensione sedis Apostolicæ adversùs *Fridericum Ahenobarbum Cæsarem* susceptâ, omnes nostræ historiæ pro eo ac meretur laudibus in cœlum ferunt; respondit DEUS tantæ pietati Ducis, & Matre suâ Virgine potissimùm agente (nam illa in Religiosis Viris ac Virginibus coli se semper existimat) incredibilem auri vim in *Montibus Gilovijs* latentem patefecit.

Ottogari.

Przemysli Ottogari Regis magnificentiam immensam (ob quam *Rex aureus* est appellatus) nullus quod sciam, meliùs & veriùs describit, quàm sacer Scriptor *Franciscus Pragensis Ecclesiæ Canonicus* Testis oculatus in historia suorum temporum, rarus omnino Liber, & *Bibliothecâ Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis* inclusus.

Wenceslai ejus filij.

Filius *Przemysli* hujus *Wenceslaus* Rex *Sanctus* cognomine, quamvis paulò antè, Germanorum victor Exercitus, occiso Patre, *Bohemiam* inundasset, & Cœnobijs omnibus hostilem in modum oppugnatis, nullo inter sacrum & profanum discrimine, & tutor *Brandeburgicus* sacrilegâ avaritiâ etiam Ecclesijs violatis Regem ipsum, velut addictus esset, Proceribus redimendum obtulerit, brevi tamen tempore splendorem & magnificentiam Patris æquavit, ut nihil amisisse *Bohemia* videretur. Constat omnium ejus temporis historicorum fide, cùm *Rudolphi I.* filiam Anno 1285. in Conjugem acciperet, & *Pragæ* nuptijs diem dixisset, centum hospitum millia unà cum Equis triduo, quotidianis, iisque regium in modum apparatis epulis, & pabulo Equis largissimè suppeditato, excepisse. Vide quæ in *Epitome historica* scripsimus. Insaniam *Campanus* appellat hanc Regis liberalitatem; *perit enim* ut ait, *liberalitate liberalitas.* At ego non continuò Regem damnaverim: nam quod in *Rege mediocri*, vitiosum esset, id Regis opes immensæ, & auri vis innumerabilis, ut moderatum esset, & ex virtute negotium, efficere potuerunt; ad hanc Regulam (non ad expensas tantùm) metienda est & examinanda maximorum Regum liberalitas & magnificentia. Sed *Caroli IV.* tempora apud nos, sæcula omnia ferro, argento, & auro ac metallis omnibus superarunt, ut non modò *ab auro aurea*, sed ob gemmarum multitudinem etiam *gemmea* dici possent. Cùm Legati Imperij Romani & plurimi Principes Anno 1370. extrahere è Bohemia

Memorabilis magnificentia & hospitalit[as]. *Dubrav. in Histor. Boh.*

Campanus Thesibus historicis.

Caroli IV. divitiæ.

mia ſeneſcentem jam *Carolum* (nam ætate juvenili & virili nulla eſſe querela poterat, cùm per Evropam univerſam volitâſſet) omnibus argumentis conarentur; oſtendit ille diſertè quàm noxia Regnis ſuis foret ſua illa in Germania commoratio, ex qua alieni diteſcerent, Provinciæ autem ſuæ, & Theſauri Regij emungerentur. Vide Orationem illam verè Cæſaream ac omnino magnificam *Caroli in Dubravio, & Boreko,* quam militaris quædam & regnatrix Eloquentia commendat; gloriatus inter alia *Carolus* eſſe dicitur; tantum ſibi auri in *Bohemia* ſuppetere, ut turrim arcis Pragenſis auri facti & infecti talentis poſſit obruere & obtegere; ſimul ut fidem faceret ad ærarium, aut potiùs aurarium, Legatos induxit, ùt vetuſta *Caroli* vita commemorat. Nec vanam illam gloriationem fuiſſe immortalia ejus opera, & univerſæ vitæ ejus Comes perpetua Magnificentia & ſplendor ſatis indicant; Ædificationes *Caroli in vita Erneſti primi* Pragenſis Archi-Epiſcopi ante complures annos edita deſcripſimus; maximum enim ædificatorem fuiſſe *Carolum* teſtantur hiſtoriæ. Ibidem deſcripta à nobis eſt Regia *Bohemiæ Corona*, adductum *Sacrarium gemmeum* SS. Ducis Wenceſlai, *Pons Pragenſis*, Arces Regiæ, & in Pragenſi Caſtro *Turres duæ*, quas laminis vero auro illitis contexerat, tanta cum Urbis Majeſtate, ut procul aſpicientibus *Turres* ille cum ſole de luce viderentur contendere. *Capella* ſeu *Sacrarium Carlſteinenſe* illius aureæ copiæ, hodiéque (poſt tot temporum & hominum injurias) aliquod præbet indicium; quam cùm primùm ingreſſus ſum, Cœlum quoddam terreſtre ſubire videbar; diligenter & accuratè quidquid illâ Arce continetur, explicui in *Appendice I. ad Hiſtoriam Sacri Montis*, quò Lectores meos remitto; mallem tamen *Vitam Erneſti* conſuli, quòd plura & majora, ac totum propè *Caroli* IV. Regnum eo Libro compendio complecti volumus.

[Margin: Gloriatio Caroli IV. Regis noſtri mirabi-li.]

[Margin: Turres duæ Pragē-ſes inauratæ.]

[Margin: Gaza Cœnobij Oppatovicenſis.]

Supereſt Theſaurus *Oppatovicenſis*, cujus *Carolus IV.* in vita ſua ſubobſcurè meminit, ſed hunc alteri Capiti reſervamus.

[Margin: *lib: 3.*]

[Margin: Divitiæ Pragenſium quondam.]

De *Urbis Pragenſis* divitijs *Carolo IV.* regnante, mira omnia ſunt, quæ narrant Hiſtorici præſertim de *Rotlevo* quodam Cive Pragenſi. Penè fidem excedit, quod de centum millibus aureorum *Carolo IV.* à Cive Pragenſi donatis *Æneas Silvius in hiſtoria Bohemica* verſatiſſimus Vir, authoritate ſummus, narravit, referam ipſa Silvij verba: *Auri centum millia Nummûm Civis quidam Pragenſis recepto Chirographo Carolo IV. Imperatori conceſſerat, eúmque poſtridie ad convivium invitavit, & convocatis aliquot regulis* (Proceres Bohemos intelligit, qui ſæpe à Scriptoribus Italis, atque ipſis Pontificibus imò & Concilijs ob ſplendorem opum & magnificentiam hoc titulo honeſtati leguntur) *Convivium more Bohemiæ ſplendidiſſimum apparavit.* Vide hîc mihi Lector *Caroli Cæſaris* humanitatem, qui & ad Civem ſubditum & ad ejus Domum deſcenderit, & ſibi Proceres, ùt olim Auguſtus, aſſidere voluerit. pergit Silvius: *Cùm verò potioni & caſeo, ùt illi conſveverunt, locus eſſet, neque enim ſaccaraceis confectibus utuntur, Chirographum in catino aureo juſſit adferri, admirantibus Convivis, & quid hoc ſibi vellet quærentibus. Cætera, inquit, fercula, Cæſar, communia tibi cum hiſce Optimatibus fuêre, hoc tui ſolius erit: nam aurum quod mutuavi nudius tertius* (id eſt mutuum dedi) *tibi dono, omnéque debitum remitto.* Hæc *Silvius*, ex quibus Lectores conjiciant, quantum Civi illi ſupereſſe potuerit, qui tam facilè centum aureorum millibus (quæ ſumma pecuniæ id temporis, nondum apertis navigatione Indijs, bis ac ac forſitan ter hodiernæ monetæ au-

[Margin: *Silv: in commentar. ſuper dicta & facta Alfonſi M. lib. 4. N. 47.*]

[Margin: Centū millia aureorū donat Carolo hoſpiti ſuo Civis quidam Pragenſis.]

reæ pretium conficiebat) carere potuerit; sed omnes divitias animus magnificus, & Regi suo deditissimus virtute superavit, ut nescias, an ditiorem, se an magis munificum eo facto præstiterit.

CAPUT XXXVII.

Aliqua de Privatorum opibus & potentia, sæculo superiore. Wilhelmi de Rosis divitiæ ingentes, & suppar magnificentia.



Posset ista vis opum in miraculis ab ignaro aliquo haberi; at ego contrà, *Stranskyum* oculatum testem de Patrum ætate scribentem adducam: *permulti*, inquit, *in Nobilitate Bohema ante viginti annos proximos fuêre, qui immobilia bona sua plusquam ducentis, quosdam novimus qui plusquam quingentis, imò nongentis sexagenarum Monetæ nostratis millibus* (quæ summa aureorum, seu zekinorum 115. millia conficit) *supellectilem verò cæteram tantidem cum pecunia signata, & nominibus æstimare poterant. Quidam similiter erant, qui homines suæ glebæ adscriptitios, Canonémque annuum pendere solitos, plures quàm bis, ter, quater mille numerabant.* Intelligit procul dubio *Stransky* Opulentissimos Proceres: *Rosenses, Ssvvambergicos, Guttensteinios, Smirzicios, Lippæos & Bercas, Pernsteinios, Novodomæos, Irczkas, Hasemburgios*, aliósque quàm plurimos.

Stransky in Rep. Boi. C. 16. §. 2 scribebat A. 1636.

Opum vis in familia Rosensi.

In magna fælicitatis parte repono, venisse in manus meas ultro & nihil cogitanti omnes propè Potentissimæ *Familiæ Rosensis* seu Rosenbergicæ, quæ Principatum Nobilitatis in *Bohemia* diu tenuit, Memorias; nihil (audacter scribo) quod de ijs dici possit desideratur; ac cuperem sanè *Annales* illos *Rosensium* dignissimos, lucem publicam aspicere, plurimum his Cimelijs literarijs, Patriæ illustraretur antiquitas. Quod huc spectat, pauca ex Rationarijs libris, ultimi ejus stirpis *Wilhelmi* referemus, ac primùm de subditorum numero: Anno 1551. *Wilhelmus de Rosenberg* ætatem legitimam adeptus, adiit hæreditarias sibi à Patre relictas ditiones:

Brzezan in vita M. S. Wilhelmi Rosensi.

Crumloviensem cum Civibus & incolis - - -	3209
Trebonensem cum Civibus & Incolis - - -	1337
Novohradensem cum oppidanis & rusticis - - -	1747
Rosenbergensem cum -	746
Helffenburgensem cum -	713
Chaustnicensem cum -	877
Milczinensem cum - -	213
Summa possessionatorum (ùt vocant)	8842.

Hæc tertia tantùm erat Ditionum pars, nam soror *Wilhelmi Anna* Joachimo de Nova Domo nupta *Civitatem Prachaticium* cum pagis, dominio utili non directo tenebat; at postea *Wintenbergam, Drslavicium, Lehnicium, Radossice, Daudleby, Libiegovice, Raudnicium* pagósque illarum aut emit *Wilhelmus* aut redemit, ut Cœnobiorum ditiones taceantur, *Altovadensis, Coronensis, Trebonensis, Crumloviensis, Parthenonis, & Crumloviensis Parochiæ*, quæ in ditione *Wilhelmi* sita, certâ ratione, ex eorum temporum usu, ad Dominum referebantur; sic ut facilè si ex qualibet domo armatum unum deposceret Dominus, viginti eóque ampliùs armatorum millia intra Mensis spatium in campum educi possent.

Do-

Domum habebant in Arce Pragensi *Rosenses Proceres*; in eam, ut magnificè *Wilhelmus* habitaret, 45. millia sexagenarum Misnensium expensa, *Wenceslaus Brzezan* affirmat, & quinquennium in ædificatione consumtum. Anno 1550. ad lances & patinas argenteas conficiendas 150. argenti talenta ex thesauro *Rosensi*, *Wilhelmo* mittuntur. ita libri Rationum.

rzezan ad . 1557.

Quid memorê in hospites liberalitatem & prorsus regiam magnificentiã? & sanè *Cæsares* ipsos & *Reges* & *Archiduces & Imperij Electores*, imò non semel universam quodammodo *Nobilitatem ex Bohemia* & *Moravia* ad epulas, ludos, & alia Nobiliũ certamina evocavit; innumera ejus rei exempla *Historia Rosensis*, quæ est apud me duplex, diversorum Authorũ, tum etiam vita *Wilhelmi* à *W. Brzezã* conscripta, suppeditat.

rincipes, rchiduces, Reges Cæsares onvivæ Ro ensium.

ita Wilhel- M. S.

Anno 1561. 16. Aprilis Serenissimus Austriæ Archidux *Ferdinandus Ferdinando I.* Cæsari filiorum charissimus, invitatus, cum maximo Nobilium comitatu *Weselium* in ditionem *Wilhelmi* advenit; *Wilhelmus* in ejus & hospitum gratiam, plurima extemporalia ædificia diversis in locis, in Civitate, in pratis, nemoribus & saltibus pridem exstruxerat. 17. dies venationi totus est datus. 18. iterum venatio; post Convivium lautissimum (quale in Epitome historica descripsi) jaculatio ad metam, & excitatis sub dio Mensis, alearum crebri lusus: tum Ursi duo grandes objecti canibus, non inulti, & multo canum vulnere, & mortibus ceciderunt. 19. Aprilis die certatũ est *Equorum* cursibus, alij ballistis jaculati ad metam, præmia oppidò pretiosa *Wilhelmo* victoribus offerente: tum X. Gallorum gallinaceorum paria commissa ad sangvinem usquè depugnârunt; tum luctatio instituta, & pedibus more Romano ad metam decursum; denique ad extremum *Nobiles Venatoribus* adscripti, & latis ictibus verberandi, ùt fieri solet, supposuêre tergora. 20. Aprilis sub serum ingens *Ursus* venando confectus; datus dies ille quieti & potationi. 21. Aprilis, alius grandior Ursus in rabiem pyrobolis actus, necatur. Deinde canum venaticorum seu vertagorum paria quindecim, singuli cum singulis pugnantes, æmulo tandem post duellum enecto pulcerrimum præbuêre spectaculum. Qui è ballistis jaculando primas tulerant, singulis 150. Imperiales, id est 75. aureos numerari jussit *Wilhelmus*; qui in bombardis vicerant, *poculum aureũ*, vel si mallent, 250. Imperiales accepêre. qui *Eqvo* vicerant 400. Imperiales (ducentos aureos) in certamine canum, pro quovis pari, victoribus 150. Imperiales (id est 75. aurei) numerati; extremi in præmijs fuêre, qui *Gallos* commiserant; & his pro victoria singulorum parium, mille Carpiones (quid istud sit Œconomiæ nostræ periti sciunt) donati. Clausit nobilia hæc certamina *ferreus discus* magni ponderis, eum, qui longiùs altero jecisset, centum Imperiales auferebat. Quot arbitrâre millia aureorum paucis diebus in convivijs & ludis profusa? si *profusa* dici possunt à pecuniosissimo Principe *donata*, quibus, ac præsertim moribus placidissimis, omnium sibi conciliavit affectus; sic ut pro se *Wilhelmum* vivere, universa *Bohemiæ* imò & *Moraviæ* nobilitas optare, sæpius auditi sint jurejurando, essetque unicum pauperum & maximè Nobilium columen, & præsidium; deinde divitiæ ipsæ prodigalitatem hanc satis excusant: nam quod in homine non copiosissimo excessus in liberalitatem foret, id in altero qui abundat, justam liberalitatis mensuram non superat. Œconomiam *Wilhelmus Rosensis* tantâ fælicitate, & solertiâ instruxerat, ut toti *Bohemiæ* ad imitandum proponeretur; atque id admirationem majorem meretur, quòd ferè, quò peritiores œconomiæ, ijdem ad rem esse soleant attentiores; utebatur Wilhelmus Œconomo laudatissimo in pau-

Gulielmi osensis retiosissima hospitalitas.

Brzezan in ejus vita Anno 1572.

cis *Jacobo Krczinio Equite de Gelczan*, *Georgij & Catharinæ de Olbramovicz* filio, cujus viri ingeniosa reperta ad maximas Domino utilitates, facultates & pecunias parandas in *vita Krczinij*, quam ipsemet Bohemico versu comprehendit, enumerantur; digna est, quam diurnâ nocturnâque manu œconomiæ studiosi & amatores evolvant.

Ludi apud Rosenses celebrati.

Sed venationem & ludos ejusmodi quorum antè mentionem feci, sæpius repetitos, eâdémque magnificentiâ finitos, libri manuscripti Rosenses ostendunt:

MM. SS Rosenses libri rationum.

præcipuè A. 1553. A. 1554. & 1566. cùm *Ursini Principes ex Italia* ad Rosensem venère. A. 1567. 1570. An. 1585. 5. Junij idem Annus ad 4. Octobris summam *Wilhelmo* attulit voluptatem, cùm maximis præmijs propositis, *canes Wilhelmi* alios omnes longè cursibus superâssent. Anno 1586. repetita ingenti luxu, & hospitum numero venatio, & rursus in *Kratochvvil* in Septembri Anni 1589. evocatâ *Bohemâ & Moravâ Nobilitate*, universis, quicunque advenissent, lætè, hilariter, pro sua singulis conditione acceptis. Notant Libri *Rationarij*, qui inter manus meas sunt, receptum & pro lege perpetua habitum apud *Rosensem*, ut in singula convivia 300. sexagenæ Misnenses expenderentur; plures etiam pecunias alijs convivijs profusas, ipsorum hospitum & convivarum magnitudo. & majestas ostendit: *Cæsarem Rudolphum*, non semel hospitem habuit *Wilhelmus*, *Ferdinandum & Maximilianum Archiduces* sæpissime; Electores: *Palatinum, Brandeburgicum, Saxonem*; Principes: *Brunsvvicenses, Badenses*, aliòsque Imperij Romani Proceres & Comites, tum *Pragæ* in domo sua, tum *Crumlovij* in arce per dies plurimos diversis vicibus tractavit. Mitto *Reginas & Archiducissas*, tum *Hedvvigem Sigismundi Poloniæ Regis Filiam* Uxoris suæ Matrem; non facilè explicari posse puto, quantum in quaternas Nuptias cum maximorum

Quaternæ Nuptiæ Rosensis sumtuosissimæ.

Principum nuribus celebratas (*Brunsvicensi*, *Brandeburgicæ*, *Badensi*, *Pernsteinia*) & in dotem earum, & amicos Principes sit expensum; *Brandeburgica* Sponsa plurimum constitit, quòd Nuptiæ *Berlini* celebratæ sint, quò nihil auxilij *ditiones Bohemicæ* præstare poterant, & præsente solùm & numeratâ pecuniâ vivendum; adduxerat *Berlinum*, suisque sumtibus alebat aliquot *Centurias Equitum ex Bohema Nobilitate*, tum plenos currus Illustrissimarum ex Bohemia Virginum & Matronarum, quæ novam nuptam exhilararent & in *Bohemiam* adducerent. Cum *Herula Pernsteiniana* Nuptiæ Anno 1587. plus Gloriæ, quàm opum habuère: *Cæsar ipse Rudolphus* nuptialibus sacris & convivijs interfuit, secúmque grande *Syrma Imperij Principum* & omnium Provinciarum suarum Procerum attraxit. Illud etiam liberalissimæ Pietatis, quod triduò totò Pauperes (quorum *Pragæ* aliquot millia numerata sunt) sub ipsum Nuptiarum tempus epulo solenni, & opiparè tractavit. Quanta vis pecuniæ Deus bone! in legationes effusa! scio Regijs opibus illas mitti solitas; at in Rationibus invenio: ferè alterum tantum ex proprio peculio ad splendorem domûs suæ & *Cæsaris* authoritatem tuendam & ornandam *Wilhelmum* exposuisse, cùm etiam ideo, quòd suppeditare sumtibus posset, eligeretur, & Regij Œconomi malignè & parcè necessarios sumtus submitterent.

Legatio Wilhelm Rosensis

Anno 1556. ad Comitia Imperij *Augustam* perrexit. A. 1553. ad Coronationem Posonium cum 200. Equitibus, quos simili habitu & vestitu secum omnes exornaverat. Anno 1569. Wratislaviam ad Principum Silesiæ Comitia ablegatur, Anno 1572. Legatus *ad Saxonem*, *Palatinum & Brandeburgicum* mittitur à Cæsare. Tum in Poloniam eodem anno. Rursus ad eandem Rempublicam Anno 1573. ubi 40. millia florenorum expendisse in *Rationum* libris

bris legimus. Anno 1574. ivit Œnipontum invitatus magno suorum comitatu. Eodem Anno ad omnes Electores Legationem oblatam suscepit, quâ Coronam Imperialem *Rodolpho* obtinuit. Anno 1576. *Poloniam* adit Legatus. Anno 1577. *Silesiam*. Anno 1581. ad Saxonem proficiscitur Cæsaris nomine. Anno 1587. Brunam ad Comitia *Moravica* missus à Cæsare. Anno 1588. ad *Electorem Saxonem*. Anno 1589. in *Poloniam*, quâ Legatione, ope potissimùm Apostolici in eo Regno Nuncij, *Maximilianum Archiducem* captum à *Zamoyscio*, restituit suis. Lego perinvitum hanc Legationem obiisse *Wilhelmum*, quòd cùm Polonicæ, fraternæque gentis, si quis alius eâ ætate, venas teneret, & suæ libertatis (meritò) retinentissimam sciret, & literis (quarum apud me exempla sunt) absens, & præsens consilijs omnibus & authoritate, *Maximilianum Archiducem* millies, privatim & publicè dehortatus erat, nè primùm, tam apertè viam affectaret *ad Regnum*, ac postea, cùm à quibusdam electus esset, nè jus suum prosequeretur armis, maximè verò omnium, nè Poloniam intraret, & se in discrimen conjiceret; cùm ergo *Maximilianus Wilhelmi* consilia non audisset, & tota res improspere cecidisset, dolebat Viro, quòd contra animi sui sententiam agere cogeretur; sed amor Magni illius Principis omnem hunc dolorem superavit, réque cum fide gestâ, ipso *Maximiliano* suavissimis literis gratias agente, obtinuit à *Cæsare*, nè unquam ampliùs ad Legationes ullas adhiberetur.

Consilia Wilhelmi non audita malum grâde pariunt.

Jam quid ego de *Wilhelmi* ædificationibus dicam? vel his solis enumeratis, crederent ignari ad egestatis terminos *Wilhelmum* redigi potuisse: nihil dicam, de novis ditionibus, quas aliquot centenis millibus præsenti pecuniâ comparavit, emítque; nihil de Aulæ splendore, & comitatu Aulico, nil de *Aula Musica* seu symphoniacorum, quam ab Anno statim 1552. domi suæ alebat, ejusmodi res omnes prætereo; maximum ædificatorem fuisse ostendunt, *Arx Crumloviensis* tota (vetere turre exceptâ, nam novam alteram turrem ipse condidit) vidi multas Arces per varias Provincias Austriam, Ungariam, Styriam, Moraviam, Silesiam, Bohemiam &c. *Crumloviensi Arce* (Pragensem excipio Regiam) ampliorem, & grandiori illo opere lapideo sumptuosiorem, non memini vidisse; duas Arces in una videbis, posséntque duo Augusti Principes hospitari, neq; alteri alterius Aula obturbaret; suam singuli aream, hortum, Equilia, suum Uxor gynecæum haberet seorsum. Ibidem *Crumlovij æstuarium* convivale Italico opere Anno 1556. visendum perpetuo lapide perelegans excitavit.

Aulæ Rosensis novi sumptus.

Arx Crumloviensis.

Trebonæ maximam Arcis pulcherrimæ partem exstruxit; *Palatium*, cubiculorum Tabulata, post tantam ætatem toleratam, summâ admiratione intelligentium spectantur. Sol illapsus (quod alibi nusquam vidi gentium) quâ fenestrarum lapides muris necessariò committuntur, umbris ipsorum lapidum, in pavimentis cubiculorum diei horas indicant; ejusdem *Wilhelmi* opus est *Trebonæ* subterraneis cellis excitatis permunitio, valde mirabilis An. 1553. inchoata.

Trebonensis.

Raudnicij sumtuosissimas ædificationes mors abrupit; *Ladronam* distantem (pars Crumloviensis Civitatis est) ædificijs continuatis *Crumlovio* sic junxit, ùt hodie una Civitas existimetur.

Raudnicensis.

Vivarium Phasianis Anno 1565. exstructum, *Templa* duo in suburbijs Trebonensibus à fundamentis excitata. Anno 1567. Piscinarum opera, licet aureorum plurimis millibus steterint, præsertim quòd damna omnia Rusticis numeratâ pecuniâ præstiterit, locúmque ab ijs pretio emerit, hæc inquam, omnia velut minora, & quasi nihil significantia prætermitto: *Rationum libri*, quos habeo, consulantur; *Hortus Pragensis* ad Domum Rosensem intra

Vivaria.

Templa.

Piscinæ.

Horti.

intra Arcis mœnia tantis opibus à Rosensi extructus fuit, ut in illis loci angustijs, *Cæsar Rudolphus* (cui hortorum scientia, beatitudo quædam videbatur, & erat) *Rosensis* hoc in studio corrivalis, nihil se desiderare fateretur. Non possum transire silentio *Netolicense vivarium* quod *Kratochvvil* Bohemicâ voce (quasi diceres longi temporis abbreviationem & compendium) appellavit; centum & plura millia florenorum in id opus effusa ex *Rationum* libris probare possum, idque ut pretiosius esset, locum uliginosum *Wilhelmus* elegit, adeóque moles universa *Trabibus* sustinetur; *Trabes* ligneæ fundamentis substratæ omnia perferunt; vide quæ *Brzezan* varijs locis commemorat, & de fontibus artificiosis, ingenio Italorum Anno 1586. perfectis; *Sacrarium* ibidem Divinæ Matri perelegans condidit, quod *Puteus* Apostolicus Nuncius ad Cæsarem Rudolphû A. 1589. 20. Julij. insigni pompâ, & hospitum frequentiâ consecravit. Collegium Societatis JESU *Trebonæ* primùm fundaverat *Wilhelmus*, postea *Crumlovium* transtulit, & ditissimè, ùt tum erant tempora, victu maximè parabili dotavit; putares, ùt antè dixi, *Wilhelmum* ad aliquas rei familiaris angustias devenisse, nihil minus: domum & ditiones omnes, omni opulentiâ divites, cùm obiret, reliquit: narrabo rem jucundam (quæ huc spectat) quæ paulò ante mortem accidit, simul inde patebit, quàm sæpe levi momento res maximæ pendeant, & optimè à bono Poëta, *Occasionem fronte capillatam*, pòst *occipitio calvam* depingi: Erat *Wilhelmo* à Sacris Confessionibus *Lucas Perger* nomine, è Societate JESU Vir antiquæ simplicitatis; hunc, cùm accedere se ad mortem *Wilhelmus* sentiret, *Crumlovio Pragam* evocârat; confectis negotijs omnibus, quæ articulus ille difficilis, & animæ salus, exposcit, æger adjecit: *Morior sine hærede (Pater Luca!) Frater meus hæresi à Theodoro Beza, ùt scitis, in Gallia corruptus, vos odit pessimè, hunc rerum mearum hæredem ex Familiæ Legibus scripsi; Collegium vestrum & meum Crumloviense, filiolæ instar complector, hoc Ecclesiæ Catholicæ in Bohemia laboranti fundavi; si quid liberalitati meæ defuit, suppleat supremum hoc munus,* simul cistam grandem ad lectum digito ostendit, *in qua 70. florenorum millia condidisset; vos, inquit, pro me DEO supplicate, & cistam vobis auferte;* at Lucas homo rerum humanarum ùt patuit incuriosus: *absit*, inquit, *Magnifice Domine, ut te vivente pecuniæ hæredes esse velimus, cogitatio hæc tua forsitan à tristi aliquo affectu ortum habet; bono & læto animo esto Vir Illustrissime, nos te brevi hilares & læti lætum ac valetudine confirmatâ Crumlovij Comœdiâ, quam tuo paramus honori, salutabimus. Iterum dico*, reponit æger, *(Pater Luca!) quod vobis offertur accipite; currum addam, qui cistam deorsum ad Collegium Pragense devehat, accipite & habete; ego jam mortem advenientem sentio, me mortuo, omnia miscebuntur.* Lucas nihilominus deprecatus, respondet: aditurum se *Rectorē Pragensem*, & si is judicârit, nocte, nè invidiosum sit, missurum, qui cistam deportent; *quoniam ita vobis placet*, ait Wilhelmus, *facite; at me vivum forsitan non videbitis.* Quod prædixerat factum, eóque ipso die Sole occidente, *Patre Lucâ* absente 31. Augusti vivere desijt. Ubi diditus per *Pragam* rumor est, obijsse *Wilhelmum*, *Lucas Petro Wilhelmi* germano liberalitatis piè defuncti mentionem facit, responsum accipit, quod timere pridem debuerat: viventem *Wilhelmum* omnia dare potuisse, mortuum nihil dare. Hunc finem *Wilhelmi* suprema liberalitas, & religiosa *Lucæ* simplicitas habuit. Pecunia è manibus quodammodo emissa nunquam revolavit, séq; esse ex *genere rerum invisibilium*, ut sic dicam, ostendit.

Kratochvil

Collegium Crumloviense S. J.

Lucæ Pergeri S. J. religiosa simplicitas.

Sed hac simplicitas apud eosdem ... clarit, et pessima fraudulentia irrepsit.

Ordo funeris.

* * *

CA-

CAPUT XXXVIII.

Funus Wilhelmi Rosensis magnificè procuratum describitur.



Ot ac tanta de *Wilhelmo Rosensi* commemorata, (bonâ, ùt spero, veniâ legentium) audaciam faciunt, ut funeris quoque magnificum apparatum, quo elatus est, quantâ potero brevitate, complectar, patebunt simul *Veterum Bohemiæ Procerum* funebres ritus, nam ferè ad eundem modum *Lobkovicij*, aliique majores Proceres, *Pragæ* præsertim si fieri posset, prosequebantur defunctos; ex W. *Brzezan* Rosensis familiæ historico, qui aderat, brevissimè pompam describo. 31. Augusti horâ Bohemicâ 24. Sole occidente, *Wilhelmus* expiravit. Diebus sequentibus cadaver *Templo Sancti Georgij*, quod è regione *Rosenbergicæ* domûs situm est, illatum, custodiebatur ab Aulicis. *Ecclesia Sancti Georgij* tota intus nigro panno vestita, magna vis Sacrorum ritu Catholico, candelæ plurimæ è cera alba usquè ad 26. Octobris, quo die ad *S. Thomam in Minori Urbe Pragensi* aliquot platearum & fori ambagibus consultò quæsitis, per Arcis gradus, deinde delatum est corpus hâc pompâ: Præcedebat omnes minor *studiosa Juventus Scholarum* Societatis JESU maximo numero; sequebantur *Chorales* Ecclesiæ Metropolitanæ; hos excipiebat *Sodalitas minor Beatissimæ Virginis* ex Collegio Societatis JESU *Pragæ*, cum candelis viridis coloris, tum *Corporis Christi Sodalitas* cum rubris candelis à *Sancto Thoma*, sed tum adhuc sub cura nostræ Societatis; post eos procedebat *Congregatio major Alumnorum*, & Sacerdotum flavi coloris candelas manu gerentiũ; inde à *Sancto Jacobo Conventuales*, tum *Præmonstratenses* è *Strahovv* (tantum tunc erat *Pragæ* religiosorum hominum, qui Processionem facere possent) hos ab utroque latere cingebant *Crumlovienses subditi*, & *fossores* in fossorum habitu & cappis cum lampadibus; *Rosa* ejus familiæ, singulorum vestibus cernebatur appicta, duo millia hominum hoc ornatu numerabantur: sequebantur omnium *Rosensium ditionum* Præfecti, & quidquid ad hos referri potuit: usitatis vocibus utar: *scribæ* eorúmque multa genera (*frumentarij*, *rationarij*, *redditũum*, &c) *Burgravij*, *Capitanei*, *Regentes*, &c. post hos *Symphoniaci* Cæsaris, dein *Canonici* Sanctæ Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ cum flavis cereis, ut se ad *Sodalitatem Majorem* pertinere monstrarent; *Abbas* post hos *Strahoviensis* (qui tum sacri illius ritûs Princeps erat) cum *Diaconis*, & *Subdiaconis* infulatus, cui *Pedum* ferebatur; tum quatuor *Vexilla* mortualia, & *quatuor Equi* nigrantes ducebantur; *Vexilla* ipsa ex nigra damascena materia erant confecta. Tum *Equus* unus generosus totus holoserico nigro coopertus cum quinque *Clypeis* (in pectore, & geminis in lateribus) *Clypei* ipsi phrygio opere ex auro elaborati. Equum sequebatur vexillum è damasco nigro cum grandi *Clypeo Rosenbergicæ* stirpis. Rursus alius *Equus* ingens ducebatur, totúsque erat nigrum holosericum indutus, & quinque integros stirpis *Clypeos* phrygio opere textos gerebat. Aliud *vexillum* ferebatur damascenum colore nigro, cum præcipuo *Rosenbergici* stemmatis *Clypeo* Equite armato, quem *aureum vellus* cingebat. *Equus* iterum holosericum pannum indutus, cum *quinque Clypeis Rosensium*

Ordo funeris.

um acu phrygiâ expressis; post hunc *Vexillum* (quod luctûs vocant) ex serico duplici nigro panno, sine ullo apparatu. Qui Vexilla ferebant, aut Equos in hac pompa ducebant, ex præcipua Bohemiæ Nobilitate fuère delecti, libentésque extremum hoc obsequium *Principi Nobilitatis* deferebant. Tum pedestres ibant primi Procerum: *Comes Sslik* in nigro pulvillo inaurata calcaria, *Adamus Baro de Waldstein* gladium, *Albertus Smirziczky* galeam inauratam, albis & nigris plumis cristatam; *Adamus Gallus Popel de Lobkovvicz* Clypeum Gentis; *Adamus de Sternberg* aureum vellus ferebant. Post hæc ipsum *Wilhelmi* corpus gestabatur; gestabant triginta ex Equestri ordine viri; sandapila nigro holoserico tota contegebatur, in qua *Crucem albam* longam, *& sex Rosenses Clypeos* phrygiones venusto opere, & multùm foras extante expresserant: *Sandapilam Cæsarei* stipabant satellites utriusque armaturæ. Sequebatur *Petrus Wok Wilhelmi* Germanus, duobus Equestris familiæ Viris innixus; tum *Supremus Regni Cancellarius Adamus de Nova-domo* gestabatur in sella, ponè quem gradiebatur (utpote consangvineus) qui *Wilhelmi Sororem* habebat in conjugio *Joannes Comes Serinius* herois illius maximi *Nicolai* filius, tum alij Proceres cognati: *Hoffman*, *Joachimus Novodomensis*, *Comes Fürstenbergius*, *Udalricus Popelius*; dein *Legatus Florentinus*, cujus dextrum latus *Georgius Popel de Lobkovvitz*, sinistrum *Paulus Sixtus Trautson* tegebant, denique ordo ingens Procerum trahebatur cum Aulicis. Virorum funebrem pompam excipiebat altera luctuosa Matronarum: anteibant Aulici, dein *Vidua Conjunx Rosenbergica* ejulans ab Illustrissimis duobus Viris deducta. Post quam Matronæ aliæ, *Viduæ*, aut *Rosensi* cognatæ, omnésque istarum à gravissimis & Nobilissimis viris hinc atque inde stipatæ; tum novus ordo illustrium fœminarum, ternæ ibant, aut binæ numero sexagenis plures. Longum foret *Ecclesiæ Sancti Thomæ* apparatum, & propè dixerim superbissimum luctum describere; Orationes duæ quæ extant, ùt & *tertia Crumlovij* in æde sacra habitæ à Patribus è Societate nostra, variáque carmina multum celebritatis his funebribus addidère; prætereo pompam, quâ *Pragâ Crumlovium* corpus devectum est. 500. subditis luctuosè indutis comitantibus, multo etiam armatorum & Nobilitatis comitatu: ante Aram majorem *in Ecclesia Sancti Viti Crumlovij* denique humatus, altiore porphyretico marmore cum titulo: *Guilielmus Ursinus Domûs Rosenbergicæ Gubernator, aurei Velleris Eques: DD. Imper: Ferdinando I. & Maximiliano II. à Consilijs, Nostróq; Rudolpho etiam ab Arcanis, Supr: Regni Boh. Burgravius &c. Pragæ pridie Kal. Septembr. 1592. ætatis suæ LVII. vitâ functus. Cujus anima DEO vivat!* Fratri suo carissimo Petrus Wok Mausolæum ex ipso Altari construxit, in quod 3. millia sexagenarum misnensium expendit; artificiosæ æreæ picturæ inserendæ erant, idque Senatui Crumloviensi perficiendum, est relictum. Satis prolixam commemorationem *Wilhelmi Rosensis* fecimus, ignoscent, ùt confido, legentes; dedi id amori in hanc stirpem meo, & officio quod *Fundatori Collegij Rosensis* (in quo perdiu vixi) qui è Societate JESU censemur, debemus; denique ut aliquam *Veteris Bohemiæ nostræ & Procerum* speciem, Recentibus Bohemiæ hospitibus repræsentem, cùm mihi Monumenta illius gentis plurima suppetant, simul ab uno conjecturâ de cæteris Proceribus aliquam facere poterunt, qui quid *Bohemia* vetus fuerit, ignorant. Gemino prorsus, ut ita dicã, luxu, pompâ, & magnifico funeris apparatu elatus est *Albertus Wences: Smirzicky Baro Bohemus*, qui Pragæ A. 1614. vitâ excessit; quæ pompa libro singulari descripta extat.

CA-

CAPUT XXXIX.

De quorundam Bohemiæ Procerum Opibus sæculo priore.

ROsensium magnificentiæ, & splendori propè regio, pares multis sæculis in Bohemia sunt habiti: *Guttensteinij, Svvambergij, Lobkovicij, Sternbergici, Bercæ, Lippæi, Smirzicij, Pernsteinij, Ssvvihovij*, aliique plures; Et in Moravia *Bozkovicij, Kravvarzij, Zerotinij*. In Bohemia ex Equestri ordine non pauci opum splendore cum primis Regni Proceribus concertabant; de *Trczkais* constat (priusquam in ordinem Baronum Anno 1563. adlegerentur) item de *Bubnis Liticij & Zambergæ Dynastis*.

S. Cuttnen

Anno 1594. obijt D. *Hinek VVrabsky* Dominus Zdechovicij, qui (ut pecunias præsentes, & ditiones non numeres) *centum millia in solis Censibus annuis* habuisse traditur.

ndorp. To. II. Actor. licor. lib. 5. . 9.

litiones orundã nfiscatæ cẽsentur.

In actis publicis *Caspari Landorpij* extat *Taxatio Bonorum* immobilium & ditionum, quæ Rebellionis condemnati quidam *Bohemi* Barones & Equites amiserunt, quæque fisco addicta sunt: *Joachimi Andreæ Sslick* bona pro 166. millibus sexagenarum, *VVenceslai Budovva* pro 158300. *Procopij Dvvorzeczky* Equitis 102000. *VVilhel: Popelij de Lobkovvicz* 330000. *Joannis Ostrovecz* Equitis pro 92400. *Fœlicis VVencesl: Pietipesky* pro 96000. *Comitis Turn* pro 220000. *Joannis Albini Comitis Sslick* pro 115000. *Bohuslai Berka* pro 149900. *VVenceslai Berka* 155000. sexagenarum. *Petri de Ssvvamberg* pro 1070000. id est millione & septuaginta millibus sexagenarum; *Bernardi Fümffkircheri* pro 130000. *Smilonis Hodiegovij* 100000. & plurium aliorũ qui ibi recensentur: sic ut intra unum annum (non amplius) ex 28. tantùm Nobilium proscriptorum bonis (ùt disertè & in particulari ex *Tabulis Regni* probatur apud *Landorpium*) ad Fiscum Regium ferè tricesies centum millia pervenerint; quid jam de *Mobilibus*, & pecuniâ præsente, & *creditis* dicendum sit, *quisque* prudens de his faciet conjecturam.

Nuptiæ Procerum Bohemorum quanto olim luxu celebratæ.

Nuptias Baronis *Ladislai Bercæ*, cum *Catharina Zachariæ de Novadomo & Annæ Ssleinicianæ* Filia, Novædomi Anno 1591. ad 13. Augusti celebratas, describit *VVenceslaus Brzezan*; splendorem earum & pompam explicare satis non possum; ipse luxus, ipsa ingluvies! Magnificentiam Procerum *Novodomensium*, qui *Auream Rosam* gestabant in Clypeis (ex quorum ultima filia *Lucia, Slavatæ* Comites superstites descendunt) in Novodomensibus historijs & descriptione Stirpis memorata prætereo. A. 1574. 21. Septembris, *Adamus de Novadomo* cum *Catharina Comitissa de Montfort* Nuptias celebravit maximo Illustrissimorum hospitum numero, Mensis (quod memorabile puto) *centum quinquaginta tribus* extructis, in quibus singulis Convivæ minimùm duodecim sedêre, & quantum edere, quantùmq; ex optimis etiam & transmarinis vinis bibere vellent, cujusq; arbitrio permissũ.

Guttensteiniorum Comitum in vetere Bohemia potentia.

Origines CC. de Guttenstein C. 5. Paproc: in Guttensteinijs.

De *Guttensteiniorum* opibus & potentia, in *Originibus* ejus familiæ multa dixi: unicum hîc addo ex *Paprocio* descriptum, quo velut ex ungve patescent omnia. *Burianus Comes de Guttenstein*, sæculi sui in Bohemia *Cræsus* potuit appellari; de cujus divitijs & immensa quodammodo pecuniæ vi, tum senum in Nobilitate narrationes, tum etiam *Historia Familiarum Bohemiæ*, mira quædam & stupenda recensent;

sent; vixit is post A. D. 1478. Conjugem habuit ex Illustrissima gente Imperialium *Comitum de Ortenburg*. ejus arces cum integris ditionibus nominantur: *Guttenstein, Ssvvamberg, Rabstein, Chiß, Biela, Tachovv, Przibram, Petrsburg, Flüßenberg, Neukenthal, Künsberg, Necztin, Kaczovv*, aliáque plura, tam in *Bohemia & Moravia*, quàm in *Imperio & Germania*. Hujus tantæ potentiæ insigne documentum Legentes accipiant: cùm enim filio suo *Wolfgango* Nuptias appararet, ostentandæ potentiæ gratiâ, à singulis Pagorum judicibus, aliud nihil petiisse dicitur, quàm *unum Vitulum*; à singulis verò Molitoribus, *unum bene saginatum porcum* jussit adduci. Vide verò Ditionum multitudinem! adducti sunt *Vituli mille & septingenti; sues saginati quingenti*. Hinc Œconomiæ nostræ peritus faciat conjecturam: quantam Villarum, Moletrinarum, Arcium, pagorum, & Oppidorum ac Civitatum multitudinem *Burianum* necessarium fuerit possidere.

Paproc. l. cit.

Hoffmanni Civis Novodomensis opes.

Nec sua Civitatibus, parta ex opibus potentia defuit; ut *Regias Urbes* quondam opulentissimas prætercam, etiam subjectæ Dominis suis Urbes & oppida planè bene peculiata fuêre. *Novadomus* Civitas est *Slavatarum*, hæc invidendis opibus abundabat patrum ætate; constat 30. 40. ac plura etiam florenorum millia in numerato quosdam ex Civibus habuisse. Initio hujus sæculi nostri *Melchior Hoffmannus*, ùt narrat loci Dominus, Regni Cancellarius *Wilhelmus Slavata*, tantum pecuniæ coacervârat, ut centum florenorum millia sua numeraret.

Slavata in Apologia M. quinternâ 83.

M. S. Cuttnē se.

Et Betengelij Civis Pragensis.

De *Christophori Betengelij* Civis Veteris Pragæ, *Richnovij Domini*, opibus mira à senibus audivi, obijt Pragæ 1602. Sed & ipsos agricolas & rusticos copijs rei familiaris locupletes & pecuniosos vidit ætas superior: *Florianus Zdiarsky Comes, Kladnæ Dominus*, Patribus nostris, à quibus id accepi, narrare solebat, *Avo suo Gothardo, Domino Rubroaugezdij, Genecz, & Hostivvitz*, unum aliquem pagum ex suis, poscenti tricena florenorum millia mutua dedisse; ejusdem Domini pagus *Genecz*, tam latè continuatis, & tam fructuosis arationibus cingebatur, ut jactaretur proverbio: *unum illum pagum alendæ in annum integrum toti Urbi minori Pragensi sufficere*. Pagus est ad Plsnam *Deyssna* nomine, in quo *Roch* quidam rusticus tam fortunatus patrum memoriâ fuit, ut ei *Plsnensis Urbs* omnes suas ditiones ad certum tempus elocârit; eidem *Rocho* septuaginta Equos *Sveci* palantes diversis vicibus abegêre; plura alia de opibus hujus *Rochi* narrantur. In *Svecorum in Bohemiam* irruptione, quatuor millia Imperialium numerata, in specie ùt vocant, *Rustico* in pago ejusdem D. *Floriani* rapta, loci Dominus memorabat. Quantum signatæ pecuniæ, quantum argenti, gemmarum, & auri, occupatâ *minore Pragâ à Svecis* collectum sit, difficile & incredibile dictu est, ac fortasse fidem Lectori non facerem. Omitto omnia; illud certissimum, quódque oculatis testibus probari potest: *Milites Svecicos* aurum non numerâsse in præda, sed pileis inter se partitos; quos inter unus aliquis *Sclopetarius* (sic enim appellant, qui sclopum ferunt) qui *sex millia aureorum* prædatione fœlici collegerat, eum quotidie *Capitaneus* suus, seu *ductor*, blandè vocatum ad cœnam invitabat poculis, ad ludum deinde vertebantur; hac arte gregarius ille, *truncóque simillimus Hermæ, fortunâque suâ ebrius* miles, sic pecunijs omnibus emunctus est, ut nondum elapso octiduo, ex aureorum sex millibus, nè nummum quidem posset ostendere.

Maximæ pecuniæ spoliatio parvæ Urbis Pragæ Svecis collectæ.

Pecuni[...] simus [...] les intra [...] ctiduum [...] dendo [...] per eva[...]

Sed jam relictis hominum *curis*, & fluxis, incertis, ac fugientibus *pecunijs*, cæterísque fortunæ bonis, quæ nimiùm sæpe Nos deserunt, aut quas denique Nos ipsâ morte deserimus, ad veras & innocentissimas Naturæ opes (quod in præsenti opere propositum est)

Innocentissima est Naturæ contemplatio.

est) ad vivacissimos & Medicos *fontes*, ad *agros* feraces (quæ prima hominum vita) ad optatissimas *piscationes*, ad lætissimas *Venationes*, ad amænissimorum nemorum & silvarum *aucupia* veniamus. Huic ego tam læto, támque jucundo, ac beato argumento tantum tribuo, támque in eo triumpho, ut quamvis infælici & properante stylo, hæc à me describantur, tamen legentes recurrente antiquarum voluptatum aliquâ memoriâ, oblectaturos se esse confidam; quotusquisque enim est, qui hæc nunquam tractavit? qui nunquam *Agros* virentes, aut postea mutato colore flaventes non obierit? qui nunquam ullam *Avim* retibus exceperit? qui nunquam vel *canes* voce animârit? vel lepusculum saltem in retia parata non impulerit? denique, ut absint hæc omnia, qui non aliquando optârit

Innocentissima est Naturæ contemplatio.

Dulcis aquæ saliente sitim restingvere rivo? Virg.

Itaque dum hæc nostra legent, redibunt in memoriam innocentissimæ voluptates; recurrent, quæ venando consecuti sunt aliquando, *Damulæ, lepusculi, aviculæ, perdiculæ, salmones in fluviis, Auratæ in rivulis*, aliáque omnis generis gignentia; ipsi *fontes*, nemora, ac silvæ admonebunt, & Veteres reducent imagines; & cùm reminiscendo oblectabuntur, ego me voluptatis hujus caussam aliquam dedisse gaudebo.

CAPUT XL.

De floribus Bohemiæ sponte, aut cultu nascentibus. de Croci Bohemici bonitate ex Mathiolo. Zinziber. Flores plerique Bohemicè exprimi possunt. Majorum cura in noscendis herbis & plantis. De Tulipis; quando Pragam allatæ. Jasminum. Montes super Branik à raritate herbarum commendati.

BOhemiæ regio perfrigida, & vicinis Septentrionibus exposita, etsi calidis, & deliciosis illis, ac semper quodammodo vernantibus, ac florentibus *Austriæ*, aut *Ungariæ* terris paria facere non possit (nam calore cælesti, & flores, & fruges, & arbores excitantur, fæcundantur, animantur) tamen habet quædam bona sua, quibus eam velut insigni dote commendavit Natura. Nihil hoc loco ampliùs de gemmis & pretiosis lapidibus dicam, quos velut mundum muliebrem, ut sponso quantumlibet diviti placeret, paravit Divinitas; nihil de auri, argenti, ac cæterorum metallorum venis; nihil de cœli salubritate, & aëris, velut in altissima regione, puritate & subtilitate, aquarum bonitate & fæcunditate; nihil de avibus & feris, quibus nemora omnia & silvæ, valles & montes implentur, memorabo; hæc enim peculiari tractatione complectar: fructus tantùm & flores, arbores, messes, vineas, & cætera quæ humo ad præstitutos dies, & tempora nascuntur, hoc loco tractabo. *Crocum* pridem dixi ultro in montibus nasci; parum esset nasci, nisi etiam commendaretur bonitas. *Mathioli* apud nos, *Maximiliano II.* regnante, *Commotovii* Herbarium illud suum, vastum opus, scribentis, verba sunt: *Bohemicus & Austriacus Crocus, omnes peregrinos, etiam Sicilienses & Ægyptios Crocos superat.* Dicat aliquis: hæc in spectaculum, pompam, ac miraculum potiùs, quàm in usum crescere, paucis

Croci Bohemici præstantia. *Math. L. I. herbarii in Croco.*

paucis & pauperibus folijs ac germine; huic ego respondebo, vidisse me & *Tinæ & Pragæ* apud Religiosissimos Patres Capuccinos largissimè provenientem, & areas bene multas implentem *Crocum*; deinde ipse ego in *Bilinensi* monte sponte crescentem vidi; de copia hæc habet *Tannerus noster*: *Crocus Majorum nostrorum ætate, Libochovicij, tantâ colligebatur copiâ, ut quotannis aliquot urnarum vas impleret, cujus singuli sextarij uno floreno vænibant.* Satis de Croco. De *Zinzibere* ultro apud nos nascente, & non sativo, dicam postea. *Herbæ* rarissimæ, quas alibi non reperias, in *Cerconosßijs* seu *Giganteis montibus* colliguntur: approperant quotannis, eósque montes conscendunt ex Italia Viri, fœminæque Veris initio; & autumni exitu, radicibus lectissimis onerati in Italiam remeant; cujus rei meipsum testem Lectoribus nomino, qui & venientes & abeuntes vidi, & caussas adventûs didici. *Florum & herbarum* maxima Majoribus nostris cura fuit; hinc omnia propè florum, & plantarum nomina *Bohemicè* reddi posse, *Huberus* ac *Weleslavinus*, qui *Mathioli Herbarium* in Bohemicam linguam transtulerunt, ostendêre. Consvetudo Matrum fuit: flores pueris & puellis ostendere, ac nominari jubere; eos qui diligentes erant, & nomina florum dicere poterant, præmijs & laudibus prosequebantur, qui nescissent, irridebant, & irridendos alijs propinabant; quod ego mecum puero factum ab *Avia*, quæ vivendo octogesimum annum superârat, commemini.

In Vestig. Boh. Piæ. Notis in C. 19.

Herbarum vigor.

Florum & herbarum nomina notissima Veteribus Bohemis.

Circa *Pragam* mitissimum Cœlum, & benignissima tellus, nullas, nè peregrinorum quidem hortorum delicias recusat. *Tulipas* ex Turcia à se primum *Pragam* allatas *Ferdinandi* I. Imperio desinente, *Augerius Busbequius* alicubi gloriatur; inde à *Praga* in *Germaniam* reliquam sunt propagatæ, tantóque primitus in honore fuêre, ut cæpula tuliparia uno aureo emeretur; ùt idem testatur. *Jasminum* in Bohemiæ hortis optimè crescere *Mathiolus* est author. Cæterùm ad *Pragam* in Montibus illis, qui à *Latomia* celebri Pragensium procul usquè ad adversam *Cœnobio Aulæregiensi* ripam trahuntur, super *Branik* plenos esse salutaribus herbis, & longè ad Medicinas, quàm cæteras quas Bohemia fert, potentiores, *Huberus Bohemus* Medicus, *Maximiliano & Rudolpho* regnantibus, in *præfatione* sua ad *Mathiolum* disertè affirmat; nominatim commendat *Chamædrym* & cæteras.

Tulipę quò primùm ex Turcia allatæ.

Busbeqv. in Epistolis Turcicis.

Jasminum.

Math. in Herbario L. 1. C. 18.

Montes super Branik herbiferi.



CAPUT XLI.

De hortis Bohemiæ. Rudolphi II. Wilhelmi Rosensis; Saxonis Lavvenburgici; Waldsteinij Principis; Coloredi, & aliorum. Tiliæ Giczinenses.



RUdolphus II. Cæsar, ùt gemmis, artibus, ac cæteris raritatibus, ita neque hortorum voluptate & gloriâ, ulli per *Evropam Principi* concedebat: utique in *Pragensi & Brundusiensi*, *Oleæ*, *Palmæ*, *cedri*, mala omnis generis, arbores & frutices peregrini, herbæ, flores *Italici*, *Asiatici*, *& Sinici* crescebant, quanquam laborioso cultu, sæpe etiam *Imperatorijs* & laureatis manibus plantatæ, munitæ, rigatæ; de qua herbarum raritate locupletissimos testes habemus, eosdémque rerum naturæ peritissimos, *Mathio-*

Hortus Rudolph. Cæs.

thiolum, *Osvvaldum*, *Crollium*, *Thaddæum Hagecium*, aliósque Medicinæ Scriptores, ac *Medicos* ejus Cæsaris, ùt vocant, *Cubicularios*. *Wilhelmus Rosensis*, potentissimus *Bohemiæ* Procerum, atq;, ùt Romani vocabant Pontifices, *Bohemiæ Regulus*, ad sæculi superioris finem ad *Netolicensem* ditionem suam *Tempe* excitavit, & *Kratochvvil* appellavit, figurâ quadrilaterâ, topiarióque splendido, eleganter ornato vivario; *Hortum* additurus, quo etiam *Cæsarem Rudolphum* superaturum se audaci voto jactabat; quod consilium Mors intercepit. Nostrâ ætate *Schlackevverdæ* hortum magnifico opere struxit inclytus Princeps, *Julius Henricus Saxo Lavvenburgicus* senior. quæ ego miracula, ipso humanissimo Principe ducente & monstrante, eò loci spectavi! valles & montes æquati, inductus ab aliquot passuum millibus *Egra* fluvius, qui totum hortum pluribus Mæandris subiens fæcundat. jacétque *Egra* ipse saxeus in statura gigantis, Urnam tenens, in quam totus fluvius cogitur, quem supposito brachio jacens, cum Musico quodam concentu, ac (ut sic dicam) aqueo tonitru præcipitat. Pisces inaurati inter florum pulcerrimorum areas ludentes, & anulis signati spectantur, eâ facilitate, ut ad nolam vocentur, & ex manibus escam accipere nihil timeant, humanámque manum gaudeant pati. In arboribus deinde, & in floribus, quanta & venustas, & raritas! quis ordo rerum! manufactorum montium, Eremi, Solariorum, Cavernarum, marinorum antrorum, Testudinis concameratæ medijs in aquis, Palatij, tum Domus quæ flores tegit cœlo tristi, sereno rotis amovetur, & flores suos solis exponit arbitrio. *Cariophyllorum* genera neque plura, neque formosiora usquam videre mihi contigit. Extat de hujus horti, qui amplitudine suâ magnæ alicujus Urbis aream æquat, spectaculis, Liber editus Typo; ejúsque effigies

Hortus Kratchwil.

Hort. Schlackewerden.

Cariophyllа.

sæpius æri incisa. Hodie in Bohemia hortensiū deliciarum & florum maximus amator, *Perillustris Eques Franciscus Scheidler Supremus Regni Bohemiæ Scriba* censetur. *Alberti Waldsteinij* horti duo, *Pragensis*, ac deinde *Giczinensis*, omnes cæteros per *Bohemiam* provocâssent, ùt ex designationibus intelligimus. *Tiliæ* supersunt ad *Giczinium*, quæ triplici, eâque latissimâ viâ, *Giczinio* ad hortum Principis ducunt, opus visu gratissimum, cui par in Bohemia tota, ac fortasse nè in vicinis quidem Provincijs reperias; *Septingentæ* ampliùs *Tiliæ* in quincuncem dispositæ, quatuor ordinibus, viam triplicem, mediam, *Regiam*, & curulem, duas à latere minores, aperiunt, & Solem arcent; ipsæ arbores ejusdem omnino ætatis, æquali cacumine, herbosum subtus & floridum solum, *Hesiodeam* illam *Voluptatis* viam germanissimè repræsentant, quam *Prodicius Hercules* summo judicio (licèt adolescentulus) declinavit. Celebrantur plures alij apud nos horti, ab amœnitate locorum, & cultu, qui Dominis suis delicias faciunt: commendantur ab amœnitate, & ab inæqualitate locorum, & grato horrore, & quòd universam propè *Pragam* in conspectu, & sub jactu, & ictu oculorum jacentem habet, & quidquid geritur in foro, compitis, & *Ponte Pragensi* præcipuè, videt; denique quòd intra mœnia *Urbis Pragensis* situs sit *Hortus* præclarissimus cum insigni *Palatio*, quem nuncupant *Coloredi*. Cum hoc horto concertat ob easdem, quas modò memoravi caussas, ac fortè ob nomen regium vincit, *Hortus Pragensi* Arci adsitus, cum Domo, quam *Mathematicam* vocant, quámque *Ferdinandum I.* centum millibus ædificâsse tradunt. Ad *Waldsteinianam* Domum jacens hortus mirificè oculos oblectat, continet nemora, piscinas, flores, fontes, & quæ non? Sunt aliæ quoque intra *Pragam* hortorum deliciæ; extra Urbem feruntur inprimis:

Hort. Scheidlerianus. Waldsteinianus.

Tiliæ Giczinenses.

Hortus sub Strahow.

Hortus regius ad Arcem Pragēsem.

Horti celebratiores.

Dimokurensis, & inde non procul *Krzinecensis*, tum *Chlumecensis Wchinskiorum*, *Regius Brundusiensis*, *Libiechoviensis*, *Teplicensis* prorsus deliciosus, *Novodomensis*, *Tinensis*, *aliiq; innumeri*.

CAPUT XLII.

De Elæagno, & Oleastro; de Pomis, & fructibus cæteris. De Castaneis. Poma Misniaca Romam missa. Unde hæc illis appellatio. De Pomis cumulatim crescentibus. Przemysli Ducis Coryletum. Rubræ nuces. Sorborum genera duo ignota.

Olea Bohemica.



Livam non parit *Bohemia*, habet tamen arborem aliam, quam ab *Olivæ* similitudine vulgus nihilominus *Olivam* appellat; eam esse *Theophrasti Elæagnum* docet Mathiolus, & *Olivam Bohemicam* ipse vocat. Folijs *Oleaster* amarus, etsi rariùs, crescit tamen sponte non uno *Bohemiæ* loco; & ante proxima bella, *Pragæ* aliquot in vicis *Oleastros* stetisse sine cultura hominum, meminimus ipsi.

Math. l. 1. herbarij. C. 57. & Comment. in Dioscorid. l. 1. C. 116.

Fructus arborum varij.

Ad frugiferas Arbores veniamus, de quibus universis dici potest: tantam fructuum ubertatem, & copiam in *Bohemia* reperiri, ut aliunde peti *pyra*, *poma*, *pruna*, *persica*, *cerasa*, *nuces* seu *juglandes* seu *avellanas*, opus non sit. Nucibus majoribus *Commotovia*, & vicinia illa sese commendat, ut in *Cosmographia* sua jam pridem annotavit *Münsterus*; *Castaneas* quoque *Commotovium* habet *Bohemiæ* præstantissimas; sed & alibi per *Bohemiam*, ùt *Obicij ad Clatoviam*, pluribùsque alijs locis, Castaneas videbis; sæpe *Quercubus* insitione maritantur magno fœnore fœcunditatis. *Pruna* siccata maximo curruum numero in *Palatinatum*, *Bavariam*, *ac Noribergam* præsertim, vehuntur. Est *pomorum* genus, *Misniaca* apud nos vocant, falso nomine (nam *Misniam* illis carere certum est) quæ svavitate suâ, & quodam sapore gratissimè acuto, summè ab exteris appetuntur, diúque arte servari solent. Audivi à senibus, *Cardinalem Aldobrandinum* (postea *Clementem* VIII. Pontificem) dum *Pragæ* summi Pontificis Nuncium ageret, mirificè hoc *Pomorum* genere delectari solitum; dúmq; deinde ad summum Pontificatum ascendisset, *Georgium Lobkovicium Supremum Regni Bohemiæ Præfectum*, currum ei ejusmodi pomis onustum *Romam* misisse, & summam ex hoc munere gratiam apud optimum Principem, quondam sibi familiarissimum, retulisse, ipso *Clemente*, velut donum rarissimum, duo, aut tria talia poma *Cardinalibus* suis identidem mittente; quæ ipsi malis aureis, & granosis, non tantùm ob mittentis authoritatem, sed etiam ob ipsius pomi raritatem & præstantiam, prætulerint. *Pyra* sunt, quæ *Pargametky* vulgus appellat, quasi dicas *Pergamena*, quæ mitigata stramine in Decembri apponuntur, ac mirificæ sunt svavitatis, & cum admiratione gustantur ab Exteris. De *Pomis Misniacis* illud videtur addendum: multos rerum naturæ curiosos, ac præsertim senes hortorum Magistros existimare, nomen *Misniacorum* non à *Misnia* (quæ illis ùt dixi caret) sed à mixtura (že gsau mjssený vel zmjssený) deduci, quòd nec acida nec dulcia, nec amara tamen, sed ex multo sapore composita (γλυκύπικρα dicunt Græci)

Castaneæ.

Poma Misniaca.

Pyra.

ci) videantur; ob quam facultatem etiam ægrotis, potissimùm ad bilem detergendam (quod à Clarissimo Viro *Marco Marci* didici) præscribuntur à Medicis. Hæc poma ferè mediâ sui parte rubent; sunt quæ omnino pallent, eáque sequioris sexûs esse dicuntur; hæc pomula quò petiolos, ex quibus pendere solent, longiores habuerint, tantò meliora & gratiora censentur; inter alias mille arbores noscuntur dum florent, quòd eorum flores instar rosarum ex caliculis protuberent; denique in *Pomorum* genere *Bohemia pomo Misniaco & pyro Pergameno* nihil habet in hortis præstantius. Sunt *Arbores* quædam *Pomiferæ* (ùt in *Langendorff* post *Crumlovium*, & alibi per *Bohemiam*) quæ *Poma* nunquam solitaria proferunt, sed velut in *planta Pæoniæ* videre est, tria vel quatuor simul *poma*, velut in nido avium pulli, rigidè & intimè sub eodem cortice sibi inhærentia producunt.

Corylus fatalis Bohemiæ. Cosmas Pragēs l. 1. Chron. Bohem.

De *Corylo* illud singulare offert *Bohemiæ* antiquitas: fuisse eam *fatalem Bohemiæ*; & ex propagine *Coryli*, gentis suæ fatum *Przemyslum Libussæ* maritum didicisse; unde in coronationibus Regum nostrorũ ex illo coryleto *Nucum* modius effundebatur ante novos Reges; *villæ Przemyslææ* colonis id onus imposuêre Reges nostri, *Corylos* illas summâ diligentiâ colendi & propagandi nè deessent, multis præmijs & immunitatibus propositis; ùt in *Epitome historica* ex *Originalibus Caroli IV.* literis commemoravi. *Rubræ Nuces majores* (quas Bohemi *regias* vocant) passim apud nos proveniunt, & procul in remotas terras, ùt constat, evehuntur. Ex Sorborum, ùt reor, genere, sunt apud nos *Wosskerusse*, arbor perfrequens & grandis, astringentis, ùt ipse gustatus indicat, facultatis; in Ungaria potissimùm laudantur. Sed alteram (arborem an fruticem?) extra Bohemiam vix reperias, *Rzessetlak* vel *Krussinam*; fructum fert ad instar fragorum, quæ certo anni tempore virent, unde Pictoribus ad Chartas depingendas gratus oculis viridis color elicitur. Alio Anni tempore Coloris aureoli fraga profert, gratum ijsdem Pictoribus munus, quem colorem per annos complures in vesiculis servant; profert & fraga nigra, sed nulli ferè usui. Hujus & superioris Arboris, nè nomen quidem certum apud Latinos inveni.

Rubræ Nuces. Wosskerusse. Krussina.

Silvarum nostrarum Arbores Capite 61. infrà legentur.

Pyra.

CAPUT XLIII.

Humulus Bohemicus notæ probitatis. Quæ Cerevisiæ in Bohemia commendatæ. Ænigma de Cerevisia: deteriores sunt factæ Cerevisiæ in Germania. Origo Brühani.

Lupulus.



Humulum, seu ùt nunc vocant, *Lupulum* nobilissimum profert *Bohemia*; *Zatecensis* regio, eo maximè celebratur, jam & *Clatovia* abundat, éstque secundæ post *Zatecensem* acrimoniæ & bonitatis; tum *Launensis & Vstecensis*; plurimus in *Palatinatum, Voitlandiam, Lusatiam, Bavariam, Misniam, & Hamburgum* usque devehitur, propterea quòd Bohemico humulo maxima vis insit *Cerevisias* illas graves & amariores (Braun Bier vocant) condiendi, atque ita incoctus hordei liquor, longam ferat ætatem. Quod alijs tribuit *Bohemia*, id sine dubio non abdicat; hinc *Cerevisiarum*

Cerevisiæ nobiliores.

siarum Bohemicarum multiplex, & celebrata etiam vicinis ac remotis populis, authoritas: *Misensis* alba ex tritico *Noribergæ* bibitur, & majorem ibi, quàm in Patria, celebritatem habet; *Pragensis* ex tritico, quam *albam* vocant, vix ulli bonitate & salubritate cedit; tum altera *mixta* ex tritico & hordeo (Popenčžný) & *Brodensis* ex hordeo (amara) & *Borecensis* seu *Girkaviensis*, tum *Zatecensis* (Samecz dicta) & *Eidlicensis*, ob nimiam Lupuli copiam, facillimè Ebrietatem adferentes; *Rakovvnicensis* item, quæ hieme potatur, & calefacit; *Slanensis*, *& Commotoviensis*, prædicantur; sequuntur magno numero *Cerevisiæ amaræ* Civitatum, *Pragenses* præcipuè *Antiquæ & Novæ Urbis*: nam minor *Pragæ Pars*, quidquid conetur, an Cœli infœlicitate, an aquæ vitio (quippe *Beraunkâ* fluvio magis, quàm *Moldavâ* alluitur) æquare superiores illas duas non potest, ùt jam antè notavi. Omnium per Bohemiam Cerevisiarum vilissima ac postrema *Clatoviensis* unanimi consensu censetur. In Antiquitate Bohema, *Brodensium & Pragensium* Cerevisias maximam habuisse laudem, ex *Paulo Zidek* intelligimus, qui in Manuscripto quodam suo Bohemico, satis se mirari non posse, ait: cur ex Cerevisiæ gustatui tam gratæ sint, cùm *Brodensis* ex palustri, *Pragensis* verò ex longè fœdiore aqua coquatur. Universim *Cerevisias* omnes, æquè *Germanorum* & nostras, quædam exteræ Nationes, utpote insvetæ Germanorum moribus, & inexpertæ condemnant. Nota est *Juliani Apostatæ* fabula: *Dæmonem*, cùm vinum DEI imitatione tentaret efficere, Cerevisiam procreâsse. Lepiduli sunt versus Leonini, quos Antiquitas cuidam Imagini subscripsit; pictus erat *Monachus* tritici spicas aliquot manu gestans, & carmen loquebatur:

Vide C. 23.

Paul. Zidek. M.S. Instruct. ad Regem Georg. l. 2.

3 Křelické Wody / a smradawé / gessto sstí padagj do Wody.

Ænigma de Cerevisia.

Henel. in Silesiogr. C. 5.

Me piget hoc esse, cùm sit potare necesse,
Vinum de messe, quod nos consvevimus esse.

Hoc ænigma, *Cerevisiam* significat. *Sebastianus Münsterus* Vir sæculo priore in Historia magnus, cujus *Cosmographiam*, varium opus, *Carolus V.* Imperator in Augusto suo nomine apparere voluit, affirmat: se puero (erat dum hæc scriberet grandi ætate) omnes per Germaniâ Cerevisias meliores fuisse (de nomine adducit quasdam, quæ hodie velut probatissimæ omnium de meliore nota apud Germanos commendantur) eas factas esse leviores, & deteriores: eam *Cerevisiarum* mutationem (& inductum publicè & privatim sine modo *Vini* usum) causam sibi maximam videri, cur hodie *Germanis* brevior sit vita, cùm olim ad satietatem usque viverent, & plerique octogesimum, aut etiam centesimum superarent. Ego nihil definio; meas res ago; sed ætate nostrâ *Cerevisias* peregrinas, *Westphalicas & Hamburgenses*, novi Bohemiæ Incolæ cœperunt imitari, & bene procedit: *Brühan* siccatâ in Sole polentâ, plurimis in usu esse scio. Unde autem *Brühani* appellatio? nunquam originem invenire potui, donec demum in *Historiam Brunsvvicensem* incidissem: *Hanovveranæ* Urbi *Brühani* debetur origo. Erat in ea Urbe ad Annum 1526. Braxator cælebs (*socium* Opifices vocant) qui *Cerevisiæ* coquendæ artem *Hamburgi* didicerat; is hilarior, promittit Civibus, tentaturum se *Cerevisiam* coquere, *Hamburgensi* (quæ tum celebrabatur maximè) nihilo inferiorem. Proba fit ultimâ Maji ejus anni, res cedit ex sententia; probatur, bibitur; sequitur secunda, tertia, & quarta coctura, non minùs fœlix: omnes *Hamburgensem Cerevisiam* præ sua nihili ducere, braxatorem ad Cœlum ferre; denique statuitur: cùm *Braxator*, *Curt Breyhan* appelletur, *Cerevisiam* alio nomine appellandam non esse; at ille gratus, obser-

Cerevisiæ per Germ: deteriores factæ causa brevioris vitæ.

Münster: in Cosmograph:

Bunting. Histor. Brüsw. P. 2. In Luneburgo.

Brühan quid sit, & unde dict.

Cerevisia per Germ... deteriore factæ ca... sa brevio... vitæ. *Münster: ... Cosmograp...*

observatione continuâ, arti quiddam simile confecit, plurésque docuit; ita, quam alij Libris, alij Gladijs, alij aliter quæsiêre, *Breühan*, liquidissimo, & instabili Cerevisiæ elemento (mixto veriùs) immortalitatem sibi Nominis comparavit; sed apud potores, & similes sui.

CAPUT XLIV.

Vini Bohemici aliqua defensio. Vinum Bohemicum pro Austriaco, Cæsari suppositum. Quædam Bohemorum Proverbia. De Lapide scissili in Vineis; qui etiam ad tecta Turrium & Ecclesiarum utiliter adhibentur. Generatim de Agricultura Bohemiæ. Equi Bohemici in Antiquitate agris colendis destinati. Fæcunditas Bohemicæ telluris. Ubi sit prima Messis.

...v. in hist: ...b. C. 2.



Inum infamavit nobis *Æneas Silvius*, *acerbum* appellans, *subausterum* satis erat dicere; sanitate certè à *Medicis* commendatur, quòd minimè omnium calculum, & qui inde sequi solent, morbos generet. De calculo liquidissima est probatio: sume diversa Septentrionalium Vinorum genera (nam *Hispanica*, *Italica*, ac cætera primæ notæ vina, præcipuè si cocta sint, in hoc certamen non veniunt) & separatis locis, æqualem cujusque vini portionem in puram mensam vespere infundito, adscriptis etiam si placet vinorum nominibus; resiccato per noctem vino, manè liquidò perspicies, cùm omnia illa vina aliquod post se signum calcis relinquant, *Moravicum* cæteris plurimum, reliqua vina (quæ hîc nominare nihil attinet, etsi laudatissima) aliquanto minus, *Bohemicum* fæculentiæ, calcis & tartari omnium minimum reliquisse; idque sæpe & à multis probatum, & cognitum est. Credebant Veteres (idque ipsemet è Nostris *Stransky* scripsit) *Vinum Bohemicum* ad duos trésve annos servari non posse, quin vappesceret; hodie etiam octenne & decenne bibitur, ac præcipuæ svavitatis, etiam apud peritissimos Vinorum, imò extra Patriam, in vitiferis *Austriæ* Urbibus habetur. Memini An: 1645. cùm *Pragæ Ferdinandus III.* Aug. memoriæ diversaretur, & negligentiâ Œconomi, vel quacunque alia de caussa, *Vinum Austriacum* (quod unum *Cæsar* bibebat) defecisset, Œconomos Cæsareos *Vinum Bohemicum* album Pragense obtulisse *Cæsari*, quod ipse pro meliore *Austriaco*, quamdiu *Pragæ* mansit, habuit, neque aliud se bibere velle significavit; Civi illi, de cujus vineis & cellario *Vinum* petebatur, *Zeleznik* nomen erat, Vir mihi peramicus, cujus domum tum accesseram, cùm vinum pro Cæsare peteretur, de quo gloriari postea solebat senex: *Cæsareum apud se Vinum prostare; nec posse ab ullo fastidiri vinum, cui ipsemet Cæsar authoritatem addidisset. Mielnicensia* rubra delicatis potoribus summo sunt in pretio, ac sæpe ejus bonitatis, ut *Itali & Tirolenses* à suis non discernant, juréntque se suum bibere; comperta & testata omnibus scribo. *Litomericensis* Districtus (atque in eo *Austa*, *Litomericium*, sed & *Praga*, *Launa*, *Melnicium*) propè totus vini ferax est (nam *Chrudimium*, botrorum magìs, quàm vini gratiâ commendari meretur) inde natum *Bohemis* veteribus proverbium: *Hospites Litomericij vino*

...robatio, ...experimentum vini ...um Bohe: ...inimè cal...losū esse.

Bunting. ...stor. Brüss... P. 2. In Lu...burgo. Brühan quid sit, unde dict...

...transky in ...ep. Boh.

Vineæ Bohemicæ.

Proverbia quędam de Potationibus.

vino ferè præfocari, fame verò necari: nam, cùm vino illi abundent, immemores ciborum, vinum profundunt; & aliud: *fæliciter nasci oportuisse, quem Zatecij non irriserint* (ita illa Ceriæ amarities, lingvam etiam amaram facit) *Launæ non pulsârint* (audax enim maximè *Launensis* juventus fuit) *Litomericij non inebriârint.* *Nimburgum* itidem potatorum parœmiam meruit; nam quia ibi ebriosorum frequentes rixæ fiebant, & pocula illidebantur capitibus, qui amphoram in capite adversarij frangeret, per jocum *more Nimburgensi* propinâsse socio dicebatur. Addam (quando huc ventum est) & illud tritum multorum ore proverbium: *Virgines Pragenses, Equos Cuttnenses, Adolescentes Slanenses, tria esse, quæ rarissimè alicujus frugi sint.*† Caussas facilè ingeniosus quisque assequitur. Sed in viam.

Stransk. in Rep. Boh. C. 2. §. 14

De Lapide scissili in Vineis.

Est *Lapidis* quoddã genus *scissile*, quod facilè in tabellas & lamellas secatur (*Brzidlyce* vel *Krzidlice* vocant nostri) id mirè ad fovendas *Vineas* facit: quippe Sole incalescens lapis, ad generosos fructus proferendos genialiter excitat *Vitem*, tum fovet, ac tandem maturat. Vineæ ad *Pragam*, *&* *Melnicium* molli, & friabili hujusmodi lapide abundant, cui *Vinorum* dulcedinem imputant *Vinitores*. Sed alius quoque hujus lapidis, ìsque præstantior usus in Antiquitate nostra viguit: conformatur enim lapis in tabulas, & quia (mirabile!) ferrum ipsum innoxiè recipit, tignis, asseribus, ac tabulatis, quibus *Ecclesia* vel *Turris* integitur, acclavatur, & rigidè applicatur, ut nihil humoris perstillare intrò possit, altero lapide alterum medium contegente, & muniente; ita squamatum fit opus, & cataphracturæ persimile: nam & flectitur, vel elevatur nonnihil, si vis ingruat, neque tamen vulnus admittit. Ejusmodi invicto sæculis opere, *Turres*, *&* *Ecclesias* veteres contectas videmus varijs *Bohemiæ* locis, *Pragæ* in pontis Turribus, ante lætam Curiam in Tein, & alibi passim; unum illud incommodum: quòd calidis diebus intolerabili æstu *Tectum* solet accendi; sed cui ex tam alto & remoto noceatur? perpetuitas & quædam æternitas operis, parvum & breve hoc incommodum facit, & compensat omnia.

Tecta Turrium & Ecclesiarũ lapide contecta.

A *Vineis* digressi sumus. id nihilominus fatendum: *Vineas Bohemicas* frequentissimè gelari, & frigidis afflari sideribus, ideòque *subaustera* colligi, fœlicémque, ac beatam vindemiam esse, si uvæ sole percoctæ maturescant. Unde *Vino Mielnicensi rubro* ea svavitas sit, in *Vita Ernesti* narrâsse memini: de allatis *ex Gallia in melle Vitium* surculis; allatas etiam *à Carolo IV.* nobilissimas ex *Austria vites* pro *Wissehradensi* *&* *Carlsteinensi Vinea* narrat ejus temporis Scriptor *Benessius*. Hæc ad voluptatem omnia, & ad vitæ commoda referuntur; *agri*, *&* *messes* ad necessitatem.

Benešs. in Chronic. Prag. lib.

Agrorum cultura & opes totius Bohemiæ.

In agricultura major *Bohemiæ* pars occupatur; si ex monte aliquo edito (ùt ex *Zrzip*, aut *Bezdiezy*, aut *Geltz*, seu *Sedlo*) *Bohemiam* despexeris, *Hortum* te aliquem, sed grandem, videre putabis; ita omnia subacta, & culta quasi areolis, & pulvillis (ùt anni tempus est) modò virent, modò candicant, modò rufescunt; agris plerumque dum arantur, nigrantibus. in summa: agrorum bonitate præcellit (certè vicinis Regionibus nihil cedit) Bohemia, & messes suas cum *Bavaria*, *Silesia*, *Misnia*, *Lusatia*, *Saxonia utraq;*, *Palatinatu*, ac cæteris dividit, meritóque ab ijs *Horreum* appellatur. Unica est agricultura, quâ Bohemiæ inopia hoc tempore sustentatur. Bohemicæ telluris fœcunditatem egregiè dilaudavit Vir doctissimus *Adamus Weleslavinus* in Editione prima Calendarij sui historici, quod Nobilissimo & Amplissimo Veteris Urbis Senatui Anno 1578. dedicavit. Sementem decuplam recipere, id est decies tantum, quantum seminâris, frumenti ex agro referre, lætissimus & fœlicissimus Annus, & uber-

In Præf. Calendar. hist.

Quænam messes primæ censeantur in Bohemia.

uberrima Messis apud nos habetur; *sterilis* ager est, qui alterum tantum & paulò ampliùs duntaxat fructum reddit; *mediocris*, qui ex uno, quatuor aut quinque modijs Agricolam beat. Unde & Latinorum Veterum parœmia: *Ager efficit cum octavo bene ut agatur; verùm ut omnes Dij adjuvent, cum decimo.* *Kaurzimensis* Regio seu Districtus peninsularis est, & inter duo præcipua Bohemiæ flumina, *Albim*, & *Muldavam*, coni ad instar desinit; ob eam caussam, & quòd vivis semper irrigetur fluminibus, & in loco aperto, & aprico Soli expositus sit, primam totius *Bohemiæ* messem apud se ad *Clomin* fieri, & primam segetum maturitatem sentiri gloriatur. *Clominum* ante omnia Messores mercenarij ad messem properant, pòst *Obrzistvvium* eunt, tertia messis *Mielnicij* peragitur, tum tota *Bohemia* metit. Ad agros diligentiùs, ac feliciùs excolendos *Majores nostri*, præsertim opulentiores Domini, certam generationem Equorum adhibebant; celebrantur in Antiquitate *Equi Bohemici* grandes, lentè quidem sed validè gradientes, & ad impedimenta castrorum, & currules machinas trahendas maximè idonei. In *Comitijs Imperialibus*, cùm bella adversùs *Turcas*, aliósque Imperij hostes decernerentur, certum *Bohemicorum Equorum* numerum sæpissimè legimus imperatum, quod ad *Castra Cæsarum Germaniæ Principes* mitterent. Proximis bellis ejusmodi grandium Equorum stemmata propè amisit *Bohemia*; *Pragensis Urbs antiqua* tamen, nonnullos, ùt sæpe videmus, in specimen hodiéque ostentat. *Bobus* quoque *Bohemicis* ob carnis bonitatem prima olim in Germania fuit Authoritas: ejus rei argumento, cùm *Fridericum Cæsarem III.* coronandum *Augusta Vindelicorum* Anno 1442. summo luxu exciperet, inter alia dona *quatuor Bohemicos Boves* legitur obtulisse.

Equi Bohemici lacertosi, grandes, & ardui.

Articuli Comitior. Imperialium sub Carol. V. Ferd. I. apud Landorpium. M. S. Slavatæ Comitia A. 1542.

Boum opimitas in Vetere Boh.

Speculum Gloriæ Austriacæ. Birrke l. 5. C. 2. A. 1442.



CAPUT XLV.

Coccus, & rubia, olim apud Bohemos magnopere colebantur. De Peponibus Bohemicis. Austriacis Principibus Melones sæpe fatales fuêre. Pruna Bohemica summè expetuntur. De Fragis. Nasturtium. Raphanus. Rapa.

Rerum humanarum vicissitudo, & temporis, ut ita dicam, voracitas, Regna ipsa mutat, & pervertit sic, ùt in caput rotari videantur; tantum abest, ut Civitates, & urbeculæ, vetera sua decora, mores, & artes, ab antiquitate tueri & servare innoxiè possint. Videmus hoc in *Belgio*, ubi olim quantus lanificijs & linificijs honos! quàm commendatæ Artes ad omnem vestium apparatum, & luxum! quanto pretio inde tapetes, asarota, & quo alio nomine appellari velis, deinde etiam telæ tenuissimæ, perspicuæ, & quæ aëri fucum subtilitate suâ facere possent, quas *lineas nebulas* vocavit vetus Poëta, petebantur! hodie pretiosas illas merces *Anglia & Gallia* attraxit. Idem *Bohemiæ* accidisse mirandum non est, cujus quasdam dotes bella non decennio, sed continenter annis ampliùs triginta gesta, non tam corruperunt, quàm cum ipsis incolis abstulerunt. Ita perijt nobis *Rubia sativa*, quâ latifundia amplissima, & campos latissimè jacentes consitos, senes narrabant, hodie in *Silesiam* omni eo commercio translato.

Rubia.

to. Color ex ejus radice (quem *Garanziam* alij, alij *regium Colorem* appellant) præcipuo ad tincturas usu paratur.

Coccus.

Olim *Coccus baphicus* in nostris regionibus frequentissimè, ùt ex antiquis Mercatorum rationibus apparet, colebatur; at cùm *coccus* magnâ copiâ ad tinctores adferretur, ad *rubiam* se convertêre Majores; sed & hæc, ùt dixi, afflictâ patriâ cessavit. vide Caput sequens. *Rubiam* sub *Iberæ ferruginis* nomine celebratam à *Principe Poëtarum* inter colores militares, *Julius Cæsar Scaliger* annotavit; de medica ejus vi consulatur *Mathiolus*.

Scaliger adv. Cardanum libris de subtilitate. Exercit. 172. sect. 2. Math. Herb: L. 3. C. 70.

Quantum rubia, & Coccus utilitatis adferebant *Bohemiæ*, tantum hodie *Melones* periculi, & invaletudinis pariunt.

Pepones.

Peponum, *& Melopeponum* in *Bohemia* fœlicissimus proventus est, qui suavitate, aliísque dotibus, *Moravicis & Austriacis* (nam *Ungaria* in hoc genere obtinet principatum) peponibus, parum aut nihil concedunt; his *forum Pragense* impletur æstate tanto numero, ut copiosis Nobilium ac Civium familijs, qui lautitias hasce & cupedias avidissimè affectantur, semper sufficiant;

Pepones Nymburgenses.

Nymburgi Urbe regiâ, præcipua nascentium *Peponum* à dulcedine gratia censetur; etsi Cœlum præ *Praga* frigidius, solum tamen Peponibus amicissimum habet, ùt videmus. *Majores* nostri perpetuâ observatione post festum *S. Bartholomæo* diem (nisi calidissima ejus anni temperies aliud svaderet) *Peponibus* abstinebant ferè, vendíque vetabant. Infamavit Bohemicos pepones *Rudolphi I.* Regis nostri Mors, ex eorum nimio esu in castris ad *Horazdovicium* contracta, ùt in *Historia* memoravi; quod etiam in alijs terris contigisse, ac præcipuè *gentis Austriæ Principibus* fatale hoc fructuum genus fuisse, ex historijs discimus.

In Epitome historica.

Pruna sicca

Prunis Bohemicis igne, aut potiùs ignis calore duratis & siccatis (quod artificium passim in *Bohemia* viget) maximam authoritatem, & bonitatis, ac præcipuæ dulcedinis famam faciunt *Mercatores Noribergenses*, autumno quotannis ad vicinos *Bohemiæ* Districtus maximis curribus advenientes, quos *Prunis siccis* onerant, & revertuntur ad suos. Vidi *Clatoviæ*, tanto numero curruum *Prunis* onustorum domum revertentes, ut demirari satis non possem; at illi rem magnam, & gratam Patriæ vehere se gloriabantur. De *Pomis*, ùt vocant *Misniacis*, déque *pyris Pergamenis* nuper diximus.

Fraga.

Fraga, si quis eorum gustu tenetur, Cœlum habent maximè propitiũ post *Cuttenbergã* in Krchleb *Rabenhauptiorum* ditione, uti & in *Martinitz* apud Equestris Ordinis Virum *Wrazdam* nomine. Pollicis primum articulum magnitudine superabant, jurabántque *Itali*, majores neque in Pontificijs, aut in cæteris Italiæ hortis se vidisse; id favens Cœlum faciebat, ùt dixi, neque minùs *Transplantatio* crebra ab hortulano perito, quæ plurimum ad granditatem, maturitatem, & humanitatem omnium fructuum confert.

Placet aliquid etiam de vilioribus in speciem, sed ad usum Mensarum potioribus adferre:

Nasturti[um] Malinen[se]

Nasturtium Malinense ad Cuttnam (usitatissima Bohemis bubulæ carnis conditura)

Raphan[us] Holeslo[vi]ensis.

Raphanus verò *Holessoviensis* in Insula majore (quam in *Pragæ* conspectu secundo alveo efficit *Muldava*) commendantur inprimis; illum per *Bohemiam*, *Viennam*, *Wratislaviam*, *in Bavariam & Saxoniam* curribus & carris devehunt. *Raphanus Pragensis* (quem dixi) tunicam habet nigerrimam, & gratam quandam gustantibus mordacitatem; ipsa caro *Raphani* candidissima, succi plena, sibíque tota similis, & solida, non fistulosa, nullâ in medullis venâ & crenâ degenere; quod, qui ista intelligunt, mirificè probant.


Kolnicze[k] rapi spe[cies] gratissi[ma].

Est item *Raparum* apud Nos certa species (*Kolniczek* appellamus) cujus bonitas, plerasque aliarum terrarum Rapulas (pauculis fortè in *Moravia*, & *Ungaria* paribus) superare dicitur; facilè

cilè tamen eas à *Nostris* distinxeris: illæ graves, magnitudine informi, corpulentæ, & quasi hirquinâ barbâ, aut arunco filosæ, & hispidæ; *Nostræ* subtiles, tornatæ, digitali, nunquam ferè majori crassitudine; adde saporem quendam inesse *Vngaricis* tardum: at *Rapula* nostra (de qua loquimur) in summa dulcedine, cum gratia lingvæ stylum admordet, ut *Castanearum* (quas *Florentinas* appellant) saporem imitetur.

CAPUT XLVI.

De Medicis herbis, ac stirpibus præcipuæ virtutis & efficacitatis in medicina, quæ lætissimè, vivacissimè, ac sponte, in Bohemiæ solo proveniunt. De Scurczonera Bohemica.



Mirabilem in modum delectatus sum *Mathioli* præstantissimi Medici (in Italia nati, sed longâ apud nos habitatione propè dixerim Civis nostri) volumine, quod *Herbarium* appellat, quódque in Bohemicum *Huberus Maximiliani II. & Rudolphi II. Cæsarum Medicus Cubicularius*, & *Weleslavinus* Civis Pragensis transtulerant. Fateor nunquam antè id credidissem, tantas esse apud nos in herbis divitias, nisi id Sole clariùs probatum legissem. Jam igitur herbas, quæ apud nos natale sibi solum fecerunt, referamus, sed ijs tantùm nominatis, quæ gentium vicinarum herbas aliquâ virtute exsuperant. *Acorum* seu *Calamum aromaticum* maximâ in piscinis nostris copiâ nasci, & ad alias etiam gentes deferri notissimum est; scribit *Mathiolus* missum sibi ab *Augerio Busbequio Legato* ad portam Ottomannicam, *Acorum Nicomediâ*, verissimum & genuinum; at *Bohemicum Acorum* omni prorsus figurâ, & virtute nihilo inferius esse repertum. Insula, quam *Albis* ad *Reginohradecium* facit, *Acoro* plenissima est, ubicunque tellurem tentaveris fossione. *Meum* quoque & *galganum* (quamvis viribus longè inferius) habemus. *Moschum rubrum* in *Silvis Silesiæ* ad *Zuckmantel* reperisse se ait *Mathiolus* olentissimum. *Jasminum Pragensem* auram non aspernari idem docuit. *Cedrum Lyciam* arborem in Moravia inveniri, utì & *Fraxinum* maximâ copiâ *in Bohemia* crescere, notius est, quàm ut annotare oporteat. *Succinum ad Brunam* effossum præstantissimum habere se testatur *Huberus*; *Ericam Bacciferam* in Bohemicis montibus crescere, *Oxyacantham* passim inveniri, & *Berberim*, & *uvam spinam*.

[Mathiolus Senensis Bohemiæ Civis dici potest.] [Mathiol. L. 1. Herbar. C. 2.] [Math. l. 1. C. 3. & 4.] [Id. C. 15.] [C. 18.] [C. 28.] [C. 31. 32. 38. 42. 43. 44.] [De Erica Math. in Dioscor. l. 1. C. 100.]

Oleam Bohemicam (ita enim vocatur) sive *Elæagnum* arborem, cum suo flore, fructu, & osficulo, accuratè C. LVII. describit; *Castaneam* etiam, quamvis rariùs, haberi in Bohemia affirmat; sed *Myrtillum* vel *vitem Idæam* fruticem magno numero, itémque *Chamæcerasum*, & *Frangulam*, & *Sorbum* duplicem, & *Pistaciam*, & (quæ alibi rariùs reperitur) *Staphylodendron*, **Klokočkam** Bohemis. *Ficus*, *Mathioli* tempore, magno Majoribus nostris in honore fuit ob raritatem; hodie nullum paulò cultiorem hortum in *Bohemia* reperias, qui non hujus arbusculæ dote commendetur: idem intellige de herba *Phalaride*, quam *Canariensibus* aviculis obsipamus, ubique magnâ copiâ crescente. *Coronopus* herba, quæ venenis omnibus serpentûm adversatur, lætissimè apud nos provenit; *Sonchum* omnis generis, *cichoreum* hortense, *anguriæ*, *lactucarum* omnis varietas, *crithamum montanum* (quod se in

[C. 62. 69. 71.] [C. 72. 86. 93. 94.] [Math. l. 2. herbarij. C. 5.] [C. 52. 53. 54. 62. 67. 107.]

l.3.herb. C.5. 7.28.30.37. 45.47.

in *Bohemia* inveniſſe *Mathiolus* gloriatur) *Perſicaria*, *Piper Indicum* (*in hortis*) *Anemones* multæ ſpecies, *Gentiana* in montibus Cerconoſſijs, *Ariſtolochia* multis in locis, *Carduus Benedictus*, *Origanum*, *Pulegium*, *Calamentum*, *Lotus odorata*, *Seſeli*, *Coriandrum*, *Liguſticum*, *Imperatoria*, *Ammi*, *Pyrethrum verum*, *Roſmarinus coronaria* & *ſilveſtris*, *Sphondylium*, *Peucedanum utrumque*, *Clinopodium*, *Teucrium*, *Scordium*, *Lychnis*, *Hemerocallis*, & alia complura liliorum genera, *Marrubium*, *Meliſſa*, *Phyllitis*, *Nobilis Epatica*, *Tuſſilago*, *Artemiſia*, *Botrys*, *Ambroſia* (quam **Stozrnyčko**, id eſt herbam centum granorum *Bohemi* appellant) *Geranij plurimæ ſpecies*, *Filipendula*, *Conyza*, *Leucoion ſeu Cheyri multiplex*, item *Orchis*, *Nymphæarum* varietas omnis, *Lunaria*, *Camomilla*, *Matricaria*, *Tanacetum*, *Buphthalmus* tam aureo, quàm purpureo flore, *Bellis* major & minor, *Lithoſpermum*, *Aliſma*, & quæ in Hiſpania nuper eſſe cœpit in honore, *Scurzonera*, *ad Podiebradum* maximâ copiâ ſponte proveniens, *Hypericum*, *Vetonica*, *Serratula*, *ſerpentaria* (probatiſſima in Cerconoſſijs) *major & minor Scabioſa*, *Tribulus*, *Saxifraga*, *Lyſimachia*, *Polygonum omnis generis & ſexûs*, *Vinca pervinca* multiplex, *Conſolidæ omnes*, *Piloſella*, *Periclymenon*, *Pyrola*, *Lagopus*, *Herba Benedicti*, *Gladiolus*, *Sparganion*, *Xyris*, *Borago*, *Bugloſſum*, *Gramen Mannæ*, *Rubus Idæus*, *Numularia*, *Chenoboſcum*, *Eupatorium multiplex*, utì & *Quinquefolium*, *Sanicula*, *Tormentilla*, *Fragaria*, *Euphraſia*, *Phœnix*, *radix Rhodia & Carlina*, in Cerconoſſijs numerosè provenientes, *Coccum* infectorium, ſeu granum tinctorium (de quo ſuperiori Capite) ad *Podiebradium* in vivario Regio magnâ copiâ (unde color carmaſineus vulgò, à quibus etiam granis apud nos *Junius* & *Julius Menſis* nomen accepêre) *Juncus floridus* ad ripas Vultavæ, *Pulmonaria*, *Solanum*, *Halicacabum*, *Aconitum*, *herba Paris*, *Napellus* ceruleus pariter & albus, tum alijs per *Bohemiam* locis, tum in maxima copia naſcitur poſt oppidum *Hohenelbam* (de quo Bohemico *Napello*, ejûsq; peſtilenti efficacia, admiratione digna exempla *Mathiolus* profert) *Cicuta*, arbor *Taxus*, *Fungorum* diverſa genera, *Ephemerum* lethale, *Sagitta* parva (herba, cujus copia ad *Chlumecium* ingens) *Sempervivum*, *Cardiaca*, *Androſace*, *Verbaſcum*, *Perfoliata*, *Fumaria*, *Angelica* duplex, quam ſe in Cerconoſſijs noſtris *Mathiolus* ſuâ manu effodiſſe teſtatur (*Amos* Chymicus familiaris meus in montibus *Cerconoſſijs* ab ſe extractam *Angelicam* habebat, facilè ſex cubitorum altitudine, humani brachij craſſitie) in ijſdem montibus *Aſter Atticus*, *Alchimilla*, *Trichomanes*, *Polypodium*, *Calendula*, *Epithymum*, *Sambucus montana* excreſcunt.

L. 3. herb. C. 113. & ſeq. Capitibus.

l.4.C 3.&ſeq.

Vide ſupra C. 6. §. 5.

Czerwen & Czerwenecz.

Napelli Bohē. vires admirandæ.

l.4.herb.C.77

Ad hiſtoriam *Scurczoneræ* videtur addendum, quod *Commentarijs* ſuis in *Dioſcoridem* adjecit Clariſſimus ille ſuperioris ſæculi *Hippocrates Mathiolus*: *Scorczonera ad Ferdinandum Cæſarem in Bohemiam ex Hiſpania eſt allata ob rei raritatē; cæterùm nō multo pôſt tempore, copioſā quoq; in Bohemia naſci compertum eſt, Clariſſimi Doctoris Riberæ Hiſpani, ejuſdem Cæſaris Medici diligentiâ, in Monte quodam ſilvoſo & uliginoſo non longè à Podiebradio, dum Cæſarem ad Venationes ſequitur, reperta.* Hanc Scurczonerā *Mathiolus* ibidem depingit, & *Scorczoneram Bohemicam* appellat; Bohemis pridem fuit cognita, & à ſimilitudine, **Rozybrádka** vel **Rozybrada** nominabatur, ùt in antiquo, ante annos centum edito *Bohemico Herbario* legimus.

l.2.Commen in Dioſcorid C. 137. de Scurczonera.

CA-

CAPUT XLVII.

Bulbus Majalis herba uni Bohemiæ propria; ejus vis admirabilis. Item de Rorella Bohemica ex Mathiolo, & de Ptarmica.

DEscriptio Bulbi Majalis ex *Herbario Bohemico Mathioli* Lib IV. Herbarij C. 157. cujus descriptionem ex Bohemico in Latinum converto:

Bulbus majalis (Bohemis **Křiwatec**) herbula, ut ego reor, solis Bohemis nota & usitata, nam qui de ea scripserint, nullum ex Latinis, aut Germanis reperio. In *Herbario Bohemico* vetere latè describitur, quam neque me præterire decet: herbula modica est, crescit in pratis, aut propter silvas; Vere emittit virgulam digiti altitudine, viridem, teretem tamen *Croci* instar, & paulò majorem. Radicem habet ad modum crinis, & circum eam sub capitello tria granula, subrubra, quæ maturata nigrescunt. Natura virgulæ hæc est: humi totâ nocte silenter jacere, ad *orientem Solem* paulatim erigi, donec meridie rigidè sursum erecta existat. A *Meridie* paulatim herbula deponitur ad *Occasum*, quo tempore tota jacet, dum iterum ad *orientem* Solem assurgat, idque quotidie facit. Appellari posset *Herba Solaris*, cùm uno Sole regatur, ac fortè ab eo vim illam medicam & virtutem assumit, quâ puerorum phrenesi, & caducis morbis resistit. Optimè quæritur *Meridie*, cùm virgâ suâ proditur; foditur *Mense Majo*, ad Diem Sanctorum *Philippi & Jacobi*; nam deinde vanescit. Herba est naturæ calidæ, sed temperati caloris. Pergit deinde *Mathiolus* usum ejus in Medicinis describere; narrat pulvere ejus Bulbi in cerevisia poto, hominem carbone nigriorem reddi, post horam *inalbescere*, & viride virus effundere, mox inalbescere, neque morbum redire postea. Id fieri infantibus, maculosósque reddi viridibus, luteis, & albis maculis, ac liberari.

[M]irabilis [na]rratio de [B]ulbo Ma[ja]li.

Sequitur apud eundem *Mathiolum* accurata & diligens de *Rore Solis*, seu *Rorella* tractatio, quæ herba ingenti copiâ ad *Trebonam*, & *Sudomericium*, & ad *Ziampachium* in Bohemia colligitur: hujus tàm admirandæ laudes leguntur ex *Joanne Isaacio Hollando*, ut nihil hoc in herbarum genere mirabilius me legisse meminerim. C. 158. Rorella.

De *Ptarmica* authoritatem habemus Mathioli: *Ptarmica, ait, in Bohemia passim in hortis seritur, è montibus, in quibus nascitur, illuc translata.* Ptarmica. Math. Comment. in Dioscor. L. 2. C. 156.

(✠)

CAPUT XLVIII.

De Manna Bohemico, seu Melica. De Myrtillo ex Mathiolo.



ibus in *Bohemia* perfrequens mediæ, & infimæ conditionis hominum, *Panicum* est (**Pohanka/ Heyden**) item *Milium* (**Prosso/ Hirsch**) Panico prorsus simile. Aliud, quod, quo appellem nomine, nescio, sed plerique omnes apud nos *Manna* vocant; *Mathiolus* Panici nomine comprehendit utrum-

Panicum.

Math. in Lib. 2. Diosc. C. 91. & in Herbar. l. 2. C. 10.

utrumq; (Ber Bohemis dicitur, Germanis Fenich oder Fuchsschwantz à vulpis caudæ, ùt reor, similitudine) longè tamen à communi Panico differre, certum debet haberi. Hoc mannâ, soli propè potentiores Civium, & Nobilitatis vescuntur. Seritur in certis *Bohemiæ* Regionibus *Manna*, præcipuè

Manna ad Cuttnam.

ad *Cuttenbergam* in *Czaslaviensi*, tanto proventu, & copiâ, ut cæteri *Bohemiæ* Districtus serendo abstineant, cùm ex *Cuttnensi* levissimo pretio (sextarius 5. 6. vel 7. Cruciferis) peti possit, ac fortasse alio in solo tam fœliciter non proveniret; certum enim telluris modum, & arenosam quandam pingvedinem exposcit. *Arista Mannæ* arundini piscinariæ similem bacillum portat supernè, plenum semine vel granis diversi coloris, rufi, subflavi, & albi maximè; suspicor *Mathioli Melicam* esse, atque ita latinè dici posse, cùm ei tota descriptio, quam *Mathiolus* commentario in *Dioscoridem* attulit, examussim conveniat.

Math. l. cit.

Mannæ grana pistillis tundendo commolunt *Bohemi*, ut minutissimi pollinis instar habeat, tum aquâ infusâ igni admovent; mirè, dum coquitur, excrescit, & augetur magnitudine, non minùs quàm oryza; reliqua deinde fiunt, quæ solent pro pultibus. Panici hujus usum non commendat *Mathiolus*, sed neque milij, ex quibus homini vix aliquid nutrimenti accedere, constipari, atque viscera indurari tradit; sed *Bohemis* nostris tamen est in honore mensarum, neque ulla ex eo noxa, vel mala merx advertitur. Hoc de *Manna* primi generis; reperitur & alterum, quod *Panicum silvestre Mathiolus* vocat, idque & in herbario, & in commentarijs ad *Dioscoridem* suis depinxit. Hoc silvestre genus ex Mon-

Math. loc. cit.

tanis in plana & aperta camporum seminando sæpiùs transplantatum, *Bohemi* nostri ex agresti & montano domesticum & mite reddiderunt, sic ut Agri plurimi longè latéque ad *Cuttenbergam* hoc altero etiam *Mannâ* consiti reperiantur; nihil bonitate priori illi concedit, pultésque inde confectas ægre à priore illo distinxeris.

Hæc de *Manna*, cujus ego nomenclaturam hoc loco non defendo, cùm alioquin mihi satis nota sit *Mannæ cœlestis* origo, & in Medicinis *Manna Calabricum*.

Mathioli in Dioscoridem commentarius, ex quo in descriptione *Mannæ* profecisse me ultro profiteor, *Myrtillum* mihi in memoriam revocat, quem in *Bohemia* lætissimè crescentem iconè expressit: *In Bohemia*, inquit, *quod legitimâ Myrto careant, aliam in silvis nascentem sibi comparârunt pharmacopolæ, eámq; Myrtillum vocavêre. Provenit hæc in montibus & silvis, frutice cubitali, caudice & ramis viridibus, folijs viret, buxo ferè similibus, sed tenuioribus, & sensim per ambitum serratis, flores illi sunt tintinnabuli figurâ, suis è pediculis dependentes inter folia, colore subpuniceo, rufo intus stamine. Floribus baccæ succedunt, quæ maturæ cùm sunt, colore & magnitudine Juniperinis non absimiles, vinosæ, austeriusculæq;, & in summitate concavæ, umbilicatæq;. Hæ itaq; Germanis, & Bohemis, unà cum universa planta haud inefficaciter Myrti vicem præstant; peculiariter autem ijs utuntur ad inficienda stamina, & chartam cæruleo colore; quin etiam eduntur à Pastoribus, & alijs, nam gustui placent.* Myrtillus Germanis Heidelbeer, Bohemis Obecné Gahody / čerwené a černé Wránj Oko.

Math. l. 1. Diosc. C. 12

Myrtillu[s] noster qu[a]lis.

***



CA-

CAPUT XLIX.

Alia mira, & rara Naturæ, quæ in Bohemia reperiuntur: Tuber, seu Fungus Cervinus; Mummia; Terra sigillata; Monocerotum Cornua; saxea ossa Gigantûm; Ollæ fossiles; Vitrum fissile.

FRustra in hisce rebus commemorandis ordo quæritur, cùm ipsa quodammodo *Natura* ordinem excludat raritate, & confusione, rebus alicubi subitò apparentibus, ubi non expectabantur, gratiore vel ob hoc spectaculo, quòd insperato; sic in amœnis locis jucundè erratur, & via ferens contemnitur; quod in suis *Campis Elysÿs* describendis *Virgilius* Poëtarum cautissimus observat, idémque de elegantia formarum acutus Poëta cecinit: *Plus error decuit.* Imitatione igitur Naturæ, hoc, & proximis Capitibus errabimus, aut errare videbimur, atque ut aliquid sub acumen styli sese offeret, describemus:

andianus.

Incipiamus à *Cervino tubere*, de quo noster *Kircherus*: *Apud Bohemos*, inquit, *enascitur Cervinum Tuber Veteribus ignotum; fungum illum exsculpunt Cervi; est globosus; effodiunt pedibus, idque observant rustici, & illos fungos effodiunt:* narrat deinde originem, ex *Cervis* deciduam & sponte desectâ materiam esse; tú quid in humano corpore efficiant; tum quomodo medicè præparentur; quæ omnia, ex *Mathioli* summi apud nos Medici Epistolis, *Kircherus* describit. Ego inferri Procerum nostrorum Mensis, & *Fungorum Cervinorum* appellatione honestari audivi sæpius, & vidi; plurima eorum copia in silvis *Pardubicensibus*, ditione Regiâ, & *Chlumecensibus*, aliisque colligitur à Venatoribus, & silvarum Præfectis, & apportatur ad Dominos. Quid verò tam inusitatum & tã incredibile, quàm *Mummias* veras, & *Ægyptÿs* geminas, ac germanissimas in *Bohemia* repertas? probavimus istud testimonijs maximorum Europæ Medicorum in *Boleslaviensi Historia* nuper à nobis edita, qui *mummiam* illam effossam *Cæsaris Rudolphi* jussu, apud nos inspexerunt, examinârunt, & verissimam judicarunt.

ungus Cer inus.

Ircher. in Mundo subter aneo T. 1 lib. 2. sect. 1.

Vide Math l. . herb. C. 81.

Mummia.

l. 6. Epitomes histor. C. 12.

Terram sigillatam utramque, albam & rufescentem multis in locis habemus. Memini magnum illum Bohemiæ nostræ Hippocratem *Marcum Marci*, Amicum in paucis charissimũ, cùm mihi magnum iter paranti, dona quædam Chimica sua offerret, inter alia *Terram Sigillatam* obtulisse, quam in *Bohemia* natam esse dicebat; addebátque nè me decipi sinerem: esse illam optimis quibusque (ac ni fallor Sardoam, aut *Corsicanam* disertè nominabat) parem, plerísque etiam bonitate superiorem. Audiamus, Chimicorum ætate Patrum nostrorum Principem, *Osvvaldum Crollium* ea de re scribentem: *Rudolphus II. Imperator* (cui Imperatori *Crollius* Medici nomine serviebat) *Brundusÿ in suo horto curavit effodi præter bolum, duas Solis & Lunæ, ut Paracelsus vocat, axungias, quas veræ Lemniæ congeneres, ac efficacissimas, nec Terræ Turcicæ cedentes animadverti.* Pergit deinde *Unicornu minerale* quod apud Moravos reperitur, tum stupendum illud antrum ad *Kiriteinam* non itá *Brunâ* procul (quod ego me quoque intrasse, & aliquot horarum spatio, cùm ex Comitibus meis vicenis quaternis, Major pars seu tædio, seu metu defecisset, obivisse gaudeo) describere; rem miram conficere ex his narrationibus *Crollius* ausus

Terra sigillata.

Croll. præfat. ad Lib. de Signaturis, ad Petrum de Rosis.

Unicornu Minerale seu fossile.

Croll. l. cit.

ſus eſt, cùm Medicos Patrios, Patriæ in qua degunt admonet, aitque Medicum, *inſtar pudibundæ Virginis eſſe debere, & videre primùm ea quæ ſunt ante pedes, nec facilè (cùm DEUS in noſtris terris nobis ſufficientia medicamenta & cætera rara dederit) ultramarina ambitiosè inquirere: ſufficit ſuæ Regionis productum.* ita Crollius.

Monitum Medicis datum à Crollio.

Terra ſigillata ejúsq; apud nos copia.

At *Terra ſigillata* probatiſſima ad *Jablonam* in vetuſtiſſima *Berkarum* ditione, copiosè effoditur, magnóque proventu quaquaverſum, ſed potiſſimùm deorſum, in inferiorem *Germaniam* deportatur, amphorellis & poculis ex ea gratiosè, opere figlino, confectis. Nuper in *Libeſſicenſi* ditione ad *Levinum*, figulorum patriam (nam quidquid ibi hominum eſt, opere figlino occupatur) *Terra ſigillata* utriuſque generis reperta eſt, optimæ notæ, & jam propè in medicos uſus parata, & minimo negotio ſubigenda, tractanda, conformanda, ùt ipſe vidi. *Fodinam* altitudinis immenſæ *Terrâ ſigillatâ* refertiſſimam ſuperiore anno ad radices *Montis Sancti* dum quærunt argentum, repertam à *Foſſoribus* conſtat; ac primùm *Calcis* foſſam veterem inveniſſe ſe crediderant, ideoque domunculam fodinis ſuperſtructam eâ oblinere cœperant, tum à *Patribus noſtris è S. Monte* admoniti mirabile Naturæ donum venerantes, Telluris pretium & dignitatem ingenti lætitiâ & gratulatione agnovêre. Sed pluribus *Bohemiæ* locis ea fælicitas obtigit: *Jacobus Dobrzensky* vir arte medendi clarus inprimis, in *Elogio Doctoris Marci* nuper abs ſe vulgato diſertè affirmat: uno *Pragâ* milliario, in aperto & propatulo loco, tantâ copiâ *Terram ſigillatam* proſtare, ùt à Viatore integri currus onerari eâ poſſint.

Præfat. libri poſthumi, cui tit. Liturgia Mentis.

Monocerotū cornua.

Avidè *Monocerotum Cornua*, magis ad oſtentationem, quàm ad uſum à Pharmacopœis peti, videmus; mira in his rebus fraus ſæpe intervenit, ut &, qui emunt, &, qui ſpectant deludantur hiantes; jam ex Mari ejuſmodi *Cornu* piſci ablatum venditari vidimus 50. aureis, longitudine maximâ, quippe ulnas ſex facilè ſuperabat.

Cornu foſſile.

Anſel. de Boo l. 2. de Gemm. C. 242.
Croll. l. ante cit.
Sennertus in Epitome ſcien. nat. L. 5 C.

Cornu foſſile in Thuringia, Moravia, Sileſia, Saxonia, Miſnia, & Bohemia reperitur. Sunt hi (ùt *Sennertus* docet) *Lapides minerales*, & effodiuntur; inſignitè enim falluntur, qui à diluvij temporibus talia ad nos veniſſe, & ex Animalibus defracta fabulantur. Addit idem ille *Sennertus*, in Bohemia non modò *Cornua*, ſed aliorum plurium etiam ignotorum animantium, velut oſſa in perfoſſis Montibus inveniri, eandémque de ijs eſſe rationem, Naturâ etiam in his ſenſu carentibus, ſtudiosè animantes, vel figuris cùm aliter non datur, imitante, ac ludente.

Oſſa Gigantûm vera foſſilia.

Ejuſmodi oſſa, *Gigantûm Coſtas, Coxendices* & plura alia exprimentia, in *Oſſecenſi Monaſterio* (ad arcem vetuſtam *Riſenberg*) pendentia monſtrantur, & vulgò *Gigantûm*, qui ea loca incoluerint, oſſa creduntur.

Hagek in Anal. Boh. ad annum.

In *Brevnovienſi ad Pragam Cœnobio*, ante pauculos hoſce annos, dum neſcio quid ædificatur, & purum ſolum quæritur, *Caverna* apparuit, in qua *Gigantis* ſceletum cum quatuor alijs humanis corporibus jacebat; vidère & tetigère *Oſſa* (à quibus id accepi) *duo Patres noſtri è Collegio Pragenſi*, neque ſaxeum quidquam in Gigante, ſed vera, qualia nunc ſunt hominum oſſa, cranium, articulos, coſtas compererunt, ut derogare affirmantibus fidem non audeam. *Hagecius* quoque memorat Gigantis maximi corpus A. C. 785. Tetini repertum. Porrò de Arboribus in Saxum converſis actum eſt à nobis C. 34. quædam etiam Capite ſequenti adferemus.

Lippæ in pago, quem paulò antè nominaveram, in Lapicidinis, plurima *ſaxea cornua* vaccarum, & boum viſuntur tantâ arte naturæ (ut ſic dicam) perfecta, ut ignari locorum mirentur, cur tot cornua deorſum conjecta ſint? quis injecerit? at, cùm elevare nituntur, tum primùm gravi-

tate

tate ponderis sentiunt saxum esse, aut in saxum conversa.

Mirũ est, & verè Naturæ arcanum, quod circa *Cunaci montem* (Kunětická Hora vulgus appellat) non procul à loco, ubi quondam ditissimum totius Bohemiæ Cœnobium *Ordinis S. Benedicti* steterat (Opatowice) reperitur: *Ollas* Pastorculi, ac pueri ludentes sæpe effodiunt tali opificio perfectas, ex argilla, ut nihil in illis omnino nisi lituram illam, quâ ollas perfundere solent, desiderare possis. Ollas ejusmodi extractas & Sole siccatas, *Rusticæ* per ea loca adhibent coquendis rebus omnibus, præbentque usum commodissimum in culinis. Ejusmodi quoque ollas in majore *Poloniâ* reperiri author est *Miechovius*. Existimo argillam ejus generis (quæ *Gil* nobis dicitur) ad figuram ollarum sponte sese, ac libenter componere, Naturâ ipsâ quid fieri velit, docente. Ejusmodi ollas demortuorum Urnas fuisse *Jonstonus* affirmat; crederem, si ex Tumulis, non in argilla media *Ollas* effoderemus, aut si eæ *Ollæ* Urnarum more conformarentur, & vel *Cineres*, aut aliud continerent, ex quo mortuales esse conjiceremus.

[...chov. l.1. ...Polon.C.3]

[...st. in Thau... ...urg. Nat. ...sse 4. C.14.]

Talcum.

Vitrum fissile, & fossile (Talcum vocant) quod ob raritatem vix in ulla Europæ Provincia præter unam *Moscoviam* reperiri putant, ideóque *vitrum Moscoviticum* passim appellant, in Bohemia ad *Kaczovv* inveniri, locuples testis est in edito abs se libro noster *Tannerus*. Qui addit ibidem rem miram de Gossypio: *Gossypium*, inquit, *tam rarum Naturæ donum, est etiam in Bohemia deprehensum*. De *Talco* res est certissima. Cùm locum nuper accessissem, vidi humi sparsa, ad longissimum spatium, ejusmodi vitrea folia, quæ si arte scinderentur, & industria accederet, non parvum ex ea re sibi lucrum homines ejus loci parare possent; crescit & ad *Cuttenbergam*; & folia ejusmodi adferre solitos sibi discipulos ut in ijs suffitus fieret in Scholis, à se humi collecta narrat noster *Sacerdos*; ut enim *asbestus* sic & *Talcum* nullo igne, nisi longissimo, consumitur.

Vestig. Boh. Piæ Notis ad C.10.

Gossypiū.

CAPUT L.

Succinum in Bohemia repertum. Myrrha item apud Moravos. Ossa animalium fossilia. Lapides instar ossium, & instar limacum. Zinziber in Provincia Podbrdensi. Lapides cavi. Via cum vestigijs saxeis. Pluvia saxea. Lapis Bechinensis.



Ed illud omnem admirationem meam superat, imò & eorum, qui hactenus *Succinum* unicum esse maris donum, & mari originem suam nihil terris debere, ex vulgari narratione, crediderant: ajo igitur *Succinum* probatissimum in *Bohemiâ*, in Prachensi Regione provenire; admonuit me ea de re Vir perdoctus *Mathias Baltauff* Vir in Senatu Regiæ Urbis Budwicensis, Primarius & Consularis, literis ad me 8. Junij Anno 1678. datis: *Affirmo*, inquit, *Viri boni fide, me ocularem inspectionem habuisse Hardovvicij in Pago à Nobis* (Budwicio) *spatio medij milliaris, spectante ad Dominium Fraunbergense seu Hlubocense, & singulare quiddam observasse, dignum inter reliqua notatu digna recenseri: videlicet Succinum flavum in via* regia

Succinum in Bohem:

regia reperiri in fragmentis varijs & frustis magnis & parvis (quod Succinum aliàs reperiri in mari tantùm, & non in terra, præsertim in Mari Prutenico audieram antè referri) cujus hic Ad. Rev. Paternitati pro proba frustum transmitto; id quidem majus fuit, sed quia in literis includi non poterat, dividi debuit. Reperitur autem, quod notandum maximè, post pluviam, & ab orbitis rotarum transeuntium eijcitur. Hæc ille Vetus amicus meus (qui ipse *Succinum* illud vidit, collegit, manu tractavit; cui Viro integerrimo, & plurimis literis ac scientijs exculto neque fucus fieri, neque error obrepere, videnti & tangenti potuit) affirmat. Neque ego probationi peperci, sed amico alteri obtuli, qui *igne chimico* frustum illud examinans, comperit esse genuinum, & gnisium *Succinum*, neque modò odore, colore, ac tenerâ illâ duritie *Succinum* imitari, sed esse, & omnibus ijsdem elementis ac principijs, quibus marina succina constant, componi, excepto quòd terreo magis humore concretum gravius pondus efficiat. Ego existimo: multa rerum variarum semina ultra quàm hactenus humana gens cogitatione concipere potuit, in fæcundo Telluris utero latere, quæ calore, aliisque modis ingenerandæ fæcunditatis excitata, suos partus producant. Quis oro, *myrrham* aliunde quàm ex arboribus desudantibus defluere, & distillare audivit, aut legit? tamen in Moravia ut oculatus testis & omni exceptione major *Joannes Dubravius, Olomucensis Episcopus*, scribit, corpus hominis integrum ad *Sternbergam* effossum est, quod aliud nihil erat, quàm *Myrrha*, sibique à *Wenceslao Berka* donatam mediam partem lacerti humani myrrhei, quo aliquoties pro suffitu sit usus, idem ille *Dubravius* gloriatur.

Succinū Bohemicū unde gigni potuerit.

Dubrav. l. 4. hist. Bohem.

Myrrha.

Ossa fossilia.

Hist. Boleslav. l. 6. C. 12.

De *Equellis, Corvulis* ex auro, ære, argento spontè naturæ expressis, videantur quæ scripsi Cap. 16. & in *Historia Boleslaviensi*; item *de Cornu fossili*, de animalium membris, capitibus & rostris saxeis quorundam ignotorum animalium ipse sum oculatus testis, qui plurima ejusmodi in antro *Kiriteinensi in Moravia* hisce manibus effodi, collegi, & *Brunam* ad domicilium nostrum attuli, inter quæ erat *saxeus Draco* imperfectus, cum dentibus quibusdam, rictu longo & horrido, qui ad medium usquè caput dehiscebant.

Kuttenbergæ, & per eam viciniam sæpenumero *Lapides* reperias, quasi ex *humanorum ossium* congerie, & ex particulis costarum, poplitum, brachiorum & pedum in saxum duratis crevissent; sunt alij qui ex *conchis & limacibus* constare & componi videntur; ejusmodi lapidibus non paucis constat *Sedlecensis*, & altera *S. Barbaræ* apud *Cutnenses Ecclesia*; maximè quod stratum & pavimentum attinet. In Sacro Vestiario seu *Sacristia S. Barbaræ* sepulchralis *Lapis* visitur tam propè ad ossium humanorum similitudinem accedens, ut ad primum ejus aspectum multi cohorrescant. Plura ejusmodi exempla Capite 34. & 49. hujus libri attulimus.

Zinziber (vel *Zingiber* potius) inter aromata quæ hodierna (ut ita loquar) sæcula Mensis adhibent, non postremum (ob innocentem calorem, quem cibis impertit) obtinet locum; illud ergo quidquid est, quod *Zinziber* appellatur, domi nostræ nasci, & ultro provenire, & effodi in tellure nostra indubitanter affirmare possum, etsi illud neque *Bohemiæ* universæ sufficiat, & vulgò, ubi, & quo loco crescat, non æquè constet omnibus. In ijs qui *Baßtini* dicuntur, montibus, in *Podbrcensi Provincia* effodi & colligi *Zingiber*, deinde etiam in *Teslin* in abditis procul silvis, *herbariæ Vetulæ* per eam viciniam noverunt, quas vidimus plenis corbibus, recens & primi vigoris *Zinziber Beraunam, & Pragam* potissimùm adferentes; at quia in Urbibus mercatus hic, ob copiam *Zinziberis*, quod passim in Offi-

Officinis levissimò haberi potest, rejicitur, villatim & pagatim inter rusticos hoc aromatis genus *Aniculæ* divendunt. Post *Beraunam* tribus ab *Urbe Pragâ* milliaribus adverso fluvio (*Beraunka* nomine) lapidum conjeries maximæ hinc atque inde spectantur; Currus onerarios impleri ejusmodi lapidibus, vel temere palâ haustis, impleri posse, qui viderunt, affirmant; rotundi lapides plerique sunt, aut ad illam formam accedere naturâ conantur, coloris nucei; cavos esse nemo diceret, sed solidos, nisi jam cognita res esset; duriori lapide opus est ad hunc globosum frangendum, quem ubi fregeris, & extuderis, en tibi globus excidit alter, quasi lapis nucleum haberet, multò involucro suo globosior & rotundior; globus hic interior in minutissimam farinulam & pollinem redactus innoxiè bibitur ad pondus, & calculos efficacissimè pellit. Alij & diversi prorsus post eandem *Beraunam* uno ampliùs milliari *Lapides* visuntur globosi & ipsi, at non cavi, sed solidi; qui ubi diutiùs in agris jacuerint, cuspides acquirunt lapideas, quibus horrere incipiunt, quasi parvi ericij. Quid illud lapidis sit, nemo potest dicere. In Agris repentè quasi semen lapideum jactum esset, existunt; tum agricolæ agrum purgant, & lapides in viam ejectant; at nihil in futurum, in præsens tantùm proficiunt; quippe anno sequenti post peractam frumenti messem, rursus lapidea seges incipit apparere. Non procul inde, & in eorum agrorum vicinia (v Tmani) apud pagum *Imani* collis modicè assurgit, ad quem spectandum multus est hominum accursus. Lapideus est *Mons* totus, sed genus lapidis molle, & pumicosum, in ejus Collis calvo vertice, & planitie, vestigia sunt omnis generis, & sexûs hominum, animantium quoque sola, & pedes, ut nullo artificio exprimi possint propinquiùs ad veritatem; apparent vestigia virorum, fæminarum, Equitum ocreatorum, calceatorum, nudipedum, parvorum, magnorum, omnis ætatis, tum caprarum, ovium, vaccarum, equorum; aliud vix esse potest: quàm cùm illâ viâ lutosâ, & humidâ tempestate, viatores, ac jumenta transirent, suo in luto reliquisse vestigia, quæ saxifico semine postea incidente, ac terram (ut ita dicam) fermentante, durata in saxum excreverint, & ob materiæ novam duritiem hodiéque perseverent. Hujus rei indicium esto, quòd nihil aliud quàm vestigia locus servet eorum, qui iter faciunt, & calcant, non aliorum, neque peregrinorum animantium, sed eorum tantùm, quæ apud nos vivunt, ac temere hoc iter sunt ingressi.

Lapides ... vi.

Lapides a-culeati.

Via saxea,

Dum hæc scribo Amicus in paucis charus, R. D. *Mathæus Boleluczky* ad S. Adalbertum Pragæ Parochus, Vir historiæ cum primis peritus (cujus aliquando nomen cum laude legetur) cùm ad me venisset, & quid scriberem didicisset, continuò quæsivit: utrumne de *Pluvia lapidea* aliquando audîssem? respondi: plenas esse ejusmodi exemplorum historias, *non*, inquit, *communem pluviam, sed gemmeam intelligo*; risi! atque utinam, inquam, etiam aureâ pluviâ & imbribus gemmeis nostri toto Regno sparsi pauperes lapidarentur! tum ille lapillos post aliquos dies misit spectandos, qui cum pluvia cecidissent, affirmante id nobili Matronâ, quæ eos collegerat. Sunt candidi, & adamantibus impolitis persimiles, longitudine ungvis humani, cuspidati, & angulosi; existimo Matronam, quæ collegerat egregiè deceptam esse; solet enim fieri ut post pluviam elutis semitis, lapilli incipiant apparere (sic *crystallos*, aliásque gemmas in montibus Gigantûm post pluviam colligi sæpe audivi) ergo subitò lapillos apparentes, illa cum pluvia cecidisse credebat. Neque tamen ego is sum, qui negem unquam ex aëris regionibus *lapillos* cecidisse. Quid enim si *saxa & lapides* frequenter

Pluvia gemmea an aliquando cadat.

ter ex alto ad terras deciduos in exemplis legimus? quoties *lapidatum de Cœlo* tradit *Livius*, cæterique omnes omnium Gentium etiam Christiani Scriptores? an *Semina gemmarum* aliqua, Solis ardor elevare nequeat in auras, quæ deinde ut grando, frigoribus durata, cum pluvia decidant, ut in *Fulminum generatione noster Carolus Stein* demonstrat? rarum tamen hoc de gemmis existimo, & inter naturæ miracula referendum, ut nisi re contestatâ & exploratâ credulum se præbere, superstitioni proximum videatur. Ad *Bechinam* passim per agros sparsum est certum lapidum genus, in quo Naturæ aliquod arcanum latere plusquam suspicio est: lapis inprimis ad rotunditatem accedere velle videtur, munitur saxeo cortice fusci coloris, tuberoso nonnunquam & horrido; sub eo cortice, si frangas, lapis se offert alius, lævior & paulò, ut sic dicam, cultior & gratior oculis; in hoc rursus, velut medulla, instar vitelli, candidissimus clauditur lapis; isque prorsus rotundus; quid istud sit, nemo iterum potest dicere; sed in ignem injectus, brevi tempore exardescit, & cum ingenti sonitu, instar manualis fistulæ sese exonerantis, disrumpitur. Denique Granatam, ut vocant, *si parva licet componere magnis* (quibus pulvere pyrio fartis, domus & mœnia obsessores dejiciunt) & figurâ, & compositione quadam, & deinde sono, & tumultu imitatur, & exprimit.

Bayerlinck tit. Pluvia. Liv. in histor. Rom. Svetonin Casig. 5. Carolus Stein lib. de fulmine. Valer. Max. &c.

Bechinenses lapides.

CAPUT LI.

De conchis saxeis. Limaces & cochleæ saxeæ. Ctenites lapis. Ossa humana in saxum versa. Antimonium ad Teplam effossum. Plumbago Bohemica. Cos, & Lima ad usus Aurifabrorum ubi eruantur. Cotes ex Alno.



Am in *Kaurzimensi* Regione, *Pragâ* milliaribus duobus, *Melnicum* versûs, Pagus jacet *Odolka*, quem nuper accessi; rem ibi miram ostenderunt incolæ in saxis, cùm temerè aperiuntur, concharum quoddam genus (Muschel Germani vocant) quasdam imbricatas, quasdam striatas apparere; sunt omnino similes figurâ, & linearum ductu ijs, quas *Peregrini à S. Jacobo, ex Gallæcia* venientes, in veste illa sua circa collare suspendunt; non potest esse fraudi locus, vidi hisce oculis saxa contundi, & intus in saxo medio conchas ejusmodi inveniri, nec unam tantùm aut alteram, sed per totum saxum lineas à concha trahi rectissimas, ut nullâ regulâ rectiores fieri possint; in agris & ponè eos saxa cum conchis, tum etiam in cœmeterio Ecclesiæ, quæ S. *Clementi* dedicata est, visuntur; Narravit mihi Vir peramicus, non procul à pago, *majore Lippâ* dicto, in ditione *Baronum de Pisinger* duobus *Cadanâ* (notâ Bohemiæ Urbe) milliarijs, in *Latomia* plurima saxa ejusmodi conchis esse signata; at longè majorem admirationem merentur saxa & rupes ad *Klomin in Kaurzimensi* Provincia, in quibus tum conchæ tales, tum folia saxea folijs arborum simillima & germanissima, insuper limaces, cochleæ, conchylia, vermésque cæteri, atque etiam serpentes in saxis, & ipsi saxei colliguntur, tanto naturæ artificio, ut etiam viri timeant tangere, Viatores, velut si viverent, exhorrescant; credibile est (quod sæpe monuimus) naturam semine aliquo excitatam, aut sponte cùm turgescit,

Conchæ saxeæ.

Serpentes & limaces saxei.

ſcit, perfectum aliquid conari, & procreare velle, at cùm ſaxis vitam, ſenſumque dare non poſſit, figuram ſaltem viventium tribuere, velut nuper de foſſilibus hominum membris ex *Sennerto* diximus, & in fodinarum hiſtoria, cùm *Corvos, Equellos aureos, vel argenteos* jam repertos doceremus; videat quæſo Lector, quæ ſuperiore Capite, & pridem Capite XVI. Cap. XXIV. & XLIX. narravimus. Forſitan etiam partes animalium ſaxifico aliquo ſemine, aut ſpiritu contactæ ſaxeſcunt; id videmus in rebus inter ſaxa conjectis, longòque ſitu in ſaxa duratis, ut de arboribus ſaxeis in ſuperioribus Capitibus dixiſſe memini, idque nuper adeò intellectum eſt *Cuttenbergæ*, cùm fundamenta extruendo Collegio noſtræ Societatis locarentur, repertis inter ſaxa calvarijs, (…lvariæ ſa…) cæteriſque humani corporis oſſibus longâ quiete in ſaxum prorſus converſis, ut neque dubitari poſſet calvas hominum fuiſſe, nec tamen ambigi poſſet nunc ſaxeas eſſe; Plura ejuſmodi (C. 34.) exempla cùm de *Lapide ſtillatitio* in Carolinis balneis, in *Rupe S. Joannis*, aliiſque in locis ageremus, attulimus. Poſt hæc ſcripta in *Conradi Geſneri* li- (…rum de …nchis ſa…is.) bro qui eſt IV. de *Aquatilibus*, titulo *de Conchis* hæc lego ex Agricola: *Ctenites lapis ſtriatus eſt, omninóque pectinis effigiem repræſentat. Myites verò, qui ſtriatus non eſt, & Muſcili ſpeciem præfert. Hic colore cinereus reperitur in Chattis &c. ille modò ſubfuſcus, modò ſubflavus* (NB. hujuſmodi eſt noſter Bohemicus) *effoditur ex foſſa mœniorum Hildesheimiæ Urbis.* Hæc *Agricola*, qui Germanicè hunc lapidem interpretatur Muſchelſtein.

(…ntimoni…m.) *Antimonij* acerrimum Venenum, an Veteribus cognitum fuerit, diſputent *Medicorum Principes*, nihil ipſe, quod quæſtionem definiat, certi habeo; in *Bohemia* hactenus credebatur non eſſe, noſtrâ ætate inventum eſt ad *Teplam* celebre Cœnobium, ut nuper dixi; probatum eſt, & prorſus vivaciſſimum repertum, cùm ecce in cavernas illas impetu facto rivus intravit, & merſit fodinas, ſuo rurſus tempore cùm Divis placuerit, emerſuras.

Plumbago, ejúſque confectio, non (Plumbago.) eſt terris omnibus communis, ut plumbarias officinas *Bohemiæ* taceam, ad *Dubam* ipſamet Aqua certis in fontibus plumboſum quiddam & pingve evehit, quod artificio *plumbago* evadit, quam in rem oculatos teſtes habeo.

Aurifices & Gemmarij crebro *Cote* & (Cos & Lima.) *Limâ* uti ſolent; tenuiſſima Petra eſt, latitudine acûs crinalis, longitudine articuli in digito humano; res eſt modica, arti tamen eorum tam neceſſaria, támq; utilis, ut dici ſatis non poſſit: Schleiffſtein *Germani* vocant, aurifabrorum *cos* propria, quâ illi langventes gemmas excitare, ut in anulis eædem aptè & decorè ſedeant, perficere, aurum & gemmas perpolire ſolent, ſic ut abſque hac coticulâ nihil rite fiat. Ejuſmodi *Cotaria*, ut ita dicam, officina, non ita procul *Pragâ* ad Arcem *Cunradice* in ditione Illuſtriſſimi Baronis *Czabeliczky* invenitur, & latè in Germaniam, Galliámque ac Belgium venalis deportatur. *Aurifaber Pragenſis*, qui hujus rei indicium fecit, ipſámque coticulam oſtendit, narravit mihi: ſe ejuſmodi jam paratas cotes, dum in Galliam artis diſcendæ gratiâ, peteret, quàm plurimas ex *Bohemia* ſecum attuliſſe, & magno pretio aurifabris & gemmarijs in *Gallia* vendidiſſe, atque ex hac merce totius itineris viaticum ſibi confeciſſe. Habeo dum hæc ſcribo eam coticulam in manu, ſed artis ignorantiâ, in quem uſum illa valeat, explicare nō poſſum; ea modò retuli, quæ aurificem recordor memoraſſe. Inſigne quiddam ad memoriam *Jonſtonus* adjicit: *Cra-* (*Jonſt. Thau: Nat. Claſſe 4. C. 14.*) *covecium in Bohemia, arbores habet* (cotes ſaxeæ) *cum ramis ſaxeſcentes; ex quibus an-* (& ex alno.) *gulatæ cotes fiunt, donum à Colovvra-*

tæis

tæis Proceribus olim Ferdinando I. oblatum. Hæc ille. Hodie passim ex Arbore *Alno*, quæ paulatim usu saxescit, *Cotes* optimas sibi *Bohemi* nostri parare noverunt.

CAPUT LII.

De Piscibus Bohemiæ. Varietas apud nos piscium mira. De Salmonum à Mari adventu, & itineribus per Fluvios Bohemiæ. De Salmunculis, ubi nascantur. Carpio Nimburgensis laudatissimus. Sturiones, Lampetræ minores, typhlæ. Barbones quando in Bohemiam advenerint. Pisces quidam in Bohemia vocales.

*Iscibus* delicatissimis, & svavissimis, ob Aquarum nostrarum dulcedinem, abundare *Bohemiam* notius est quàm ut commemorare latiùs oporteat: rariores quondam in fluvijs Bohemicis pisces nominavit noster *Tannerus* in additamentis ad *Vestigium Bohemiæ Piæ*, narrátque in mensa *Francisci Sternbergici*, ex uno Bohemiæ fluvio *Watavva* vicenos duos diversi speciei pisces recentes à Convivis numeratos. In *Albi* præcipuus *Salmonum* piscatus est vernis Mensibus : *Salmo* ex mari, aquâ dulci invitante, per *Albim* adversum usquè in *Bohemiam* eluctatus, occurrentes sibi dextrâ lævâque fluvios fastidit, *Albi* suo usq; *Litomericium* immersus ; ad *Doxanam* post *Litomericium*, *Egram* quoque respuit, ut rarissimum sit, in *Egra Salmonem* capi; inde necessario itinere *Raudnicium & Melnicium* adnavigat; ubi *Muldavam* occurrentem degustarint, dividere agmina solent, & molliores, præcipuè *fæmellæ*, *Muldavam* tenent, fortiores plerumq; in *Albi* perseverant: ij rursus quibus *Muldava* præplacuit, cum gravi periculo, in *Chvvatierub* cataractas superare coguntur; nihil deinde *Pragæ*, quam mediam transeunt, aut *Pontis* aspectu deterriti, in *Beraunkam & Sazavam* impingunt, sed paucissimi ingrediuntur, denique recto semper cursu per *Muldavam* ascendentes, jam *imminuti numero* (nam à Piscatoribus undique petuntur & circumveniuntur) aut *Tinam Muldavicam* tenent, aut quod frequentiùs agitant, *Watavvam* petunt, tantáque est ejus fluminis gemmei pellacia, ut non modò *Strzelam*, sed penè ad ipsum *Sufficium*, quasi ipsum *Watavæ* fontem exhausturi, pertendant; id peculiare habet *Urbs Piseka* (tantus est aquæ illius amor, alveo commoditatem præbente!) quòd ad eam Urbem parvam prolem suam propagare non dubitent, *Strdliczky* vocant, *Salmunculos* digitali longitudine, quos muriâ conditos, *Pisecenses* amicis per *Bohemiam* muneri mittunt; hosce *Salmunculos* miro aquæ marinæ desiderio teneri *Piscatores* affirmant, neque magnitudinem generi suo debitam implere, nisi mare gustârint; itaque ut Majores eorum, ex Mari in flumina, Aquæ svavitate trahi, ita hos secundis fluminibus in mare parentûm suorum veterem, & magnam patriam properare, ac postea iterum, magnitudinis suæ jam conscios, reverti : cæteri in *Muldava* (nam *Luznice* fluvius illis obvius sordet) remanentes usquè ad caput & fontem *Muldavæ* pervenire contendunt, semper imminuto numero, ad *paucissimos*, veriùs *nullos*

Salmonum Bohemicorum historia.

De Saln culis.

Jonst. in T mat. Nat admir. Pi C. 19.

nullos, redacti; nam vix ullos redire ad mare, prolibus, ut modò dixeram, exceptis, constat. Eandem fortunam sentiunt, qui in *Albi* ludere perseverant; hinc fælix illorum captura in *Albi* (nam *Giseram* quamvis amœnissimum fluvium, tum *Cydlinam*, aliósque fluvios contemnunt) in *Albi*, inquam, ad *Obrzistvvi*, ad *Boleslaviam*, ad *Nimburgum*, ad *Podiebradium*, ad *Reginohradecium* capiuntur; *Reginohradecij* occurrente duplici fluvio *Aquilâ*, penè omnes unâ sententiam mutant, & cæteris omnibus fluvijs ipsóque *Albi*, quem tanto tempore biberant, vetere nutritore suo, deserto, dextri feruntur, & *Aquilam* adamare incipiunt tantâ pertinaciâ, ut ad ipsum *fontem Aquilæ* aspirent, post *Kostelecium*, *Wambergam*, altero *Aquilâ* (ubi *Orlice* oppidum est) iterum relicto. Meminimus nostrâ ætate intra anni dimidij non ampliùs spatium, *Kostelecij ad Aquilam* septingentos aliquot magnitudine insignes retibus exceptos fuisse. *Salmonibus* pro tempore caro diversa est; nam primo Vere *violarum*, deinde cùm rosæ florere cœperint *rosarum colore* tinguntur; ignavi saporis sunt, neque alijs piscibus præpollent, cùm pallent. In manuscriptis Codicibus ad Annum 1432. *Salmonum* tantam ad *Reginohradecium* copiam subitò apparuisse perhibetur, ut *Albis* alveo quodammodo contineri non posse viderentur, nec alteris ob alteros eflugium daretur, sese mutuò velut in turba fit, impedientibus; itaque certatim Cives, aliíque fluminis accolæ securibus armati ad capturam decurrebant, & ferro necatos trahebant in ripam. Hæc quæ latè de *Salmonibus* attuli, mihi notissima sunt, ut qui *Czastolovicij* magnam pueritiæ partem egerim, ac *Kostelecij* postea, dum in Societatis esset ditione, *capturis Salmonum* frequentissimè adfuerim, & præfuerim aliquando. Jam & *Auratas* non omnes nostros fluvios consectari, sed eos tantùm, qui alveum saxosum habent, incolere, omnium Piscatorum confessione, & ipsâ experientiâ testante, constat, quæ supervacaneum videtur prosequi, sed inde luce clariùs patet, vel mutorum Piscium testimonio (quod nuper dicebam) *Aquas* nostras etiam saporum diversitate discerni. Satis jam de *Salmonum* piscatu: *murenæ*, *auratæ*, *capitones*, *percæ*, *mugiles*, aliique fluviales pisces, passim in fluvijs nostris errantes spectantur; *Carpione Albensi ad Nimburgum* præcipuè, nihil est suavius; hic ut *Salmo* colores mutat, modò violaceus, modò roseus. *Sturiones*, quos *Acipenseres* dixerunt antiqui, & summo in honore Mensarum habuêre, mole prægrandes & decumani, in *Albi*, æstate, ad *Litomericium* maximè capi, frequentissimum est, ex quo apparet falsum illud esse, quod protulit Jonstonus: *Sturionem in Albi tabescere*, cùm pingvissimus & ludibundus per tot centena milliaria ad nos perveniat. Ibidem ad pontem *Albis*, alibíque passim, magno numero, *minores Lampetræ* capiuntur, quas Germanicâ Lingvâ **Brücken**, Bohemicâ **Neys noky** dicimus; ludunt adversùs pontem, & palos alveo infixos, digladiantium, & antiquæ Romanorum militiæ, more, ad palum sese exercent, deinde osculo trabibus appresso inhærent tantâ pertinaciâ & firmitate, ut nisi maximo conatu virium avelli, & abstrahi non possint. *Jaromirij in Albi* aliud genus est *minimarum Lampetrarum*, **Mihule** dicimus, gratissimi saporis. Memorabile est quod Scriptores vetusti tradiderunt: *Barbones* (**Parmy**) nunquam antè in fluvijs Bohemiæ visos, *Carolo IV.* regnante Anno 1366. repentè apparuisse, & aquas omnes per *Bohemiam* implêsse; eorum hodiéque in fluvijs *Bohemiæ* maximus est numerus, sed in piscinis non vivunt.

Austa Urbs est regia, ad quam in *Albi* typhlarum, seu oculatorum Piscium tam fælix est captura, ut in eo genere

Marginal notes:
[...]ter Salmo-[...]um per Al[...]im.
M. S. Reginohradecense. M. S. Cuttneñse Bartholom: de Prachnian.
Aquę apud nos diverso rum saporum.
Carpio Nymburgensis.
Sturiones.
Jonst. in Thaumat. nat. in admirandis Piscium C. 18.
Lampetræ.
Barbones.
Beneß. Caroli IV. Aulicus l. 4. Chronicor. Scriptor ejus temporis.

genere nihil simile per reliquam *Bohemiam* inveniri affirmet *Stranskius*.

In Rep. Boh. C. 2. §. 15.

Pro Coronide Capitis hujus, de minutis quibusdam Pisciculis mira est narratio (*Piskorze* illos dicimus, quòd in arenis fluminum præcipuè versentur) de quibus hæc *Tannerus* noster: *est*, inquit, *in Bohemia vocale quoddam genus pisciculorum, qui ubi se à Piscatoribus clausos advertunt, sibilis, gemitibúsque sortem suam intra aquam, ac etiam aquâ extracti mirum in modum deplorant.* Vera scribere *Tannerum* certissimum est, vel si manu premantur, sibilant, strident, & ægrè id se ferre significant, idque propriâ experientiâ compertum est mihi.

Pisces sibilis vocales. *Not. in Vestig. Boh. Piæ.*



CAPUT LIII.

Piscium, qui in fluvios Bohemiæ majores, vel ex Mari, vel ex minoribus fluvijs ingrediuntur, enumeratio.



Piscium nostratium historiam facilè absolvemus, si eam sequamur rationem, quam *Piscatores* nostri tenent, quos hac de re loquentes sæpius audivimus. Ordo non modo ad claritatem, sed etiam ad brevitatem facit. *Duplex Piscium genus in Bohemiæ* fluvijs reperitur; *primum*: quod ad nos ascendit è mari peregrinum, *alterum* domesticum quod fluvijs ipsis innascitur.

Divisio Piscium nostratium.

Primi generis sunt 1. *Salmo*, Lachs (Losos) si vox tibi *Salmonis* barbara videatur, Æsox. De his multa superiori capite. 2. *Sturio*, Stöer (Geseter) Jovius apud Fabricium Silurum, Curio Attilum, Rondeletius Acipenserem esse putat. 3. *Amia*, Wels (Sum) (Silurus Gelenio, & Gesnero videtur) 4. *Lampreta*, Lampret (Lampryda) fictum hoc nomen alij putant, & *mustelam* esse *Ausonij* suspicantur. 5. *Mustela* levis, Neunauge (Neynok/Okatice.) Hæc piscium genera libenter ad nos veniunt, & sæpe capiuntur; at reliqua marinorum, nonnisi rarissimè. videlicet: 6. *Alausa*, Zinge vel Goldfisch (Geſs, Slavis) vetula fluviatilis Fabricio. 7. *Passer*, Galbfisch (Matky Bozj Ryba) 8. *Huso*, Hausen (Wizyna/ Wyz.) Hæc genera optimè *Albini* Piscatores novêre; sed alia quoque se ingerunt marina, quæ apud nos carent nominibus, ac præsertim ad *Litomericium in Albi* (quod Piscatores narrantes audivi) nullum esse Annum, quo non ignotus aliquis à mari piscis veniens, capiatur.

Secundi generis Pisces, rursus in duas species dividunt Piscatores: 1. species eorum, qui *in Albi, Muldavâ*, aliísque fluvijs nostris majoribus habitant; at alteri ex rivis, & fluviolis montanis, aut piscinis, aut lacubus, præcipuè, ubi sese auxêre, descendunt, & *Albim* aliósque majores subeunt; ab his ducamus initium. 1. *Trutta*, vel si id barbarum est, *Aurata* vel *Variolus*, Farellen (Pstruh) Agricolæ est Salar Ausonij. 2. *Thymallus* Aschen (Lipan) 3. *Mustela Bellonij*, Olrupen (Mnik) 4. *Gobio fluviatilis*, Steinpeis (Hřiz) 5. *Turdus*, Smerling (Drozd Mořský) 6. *Acus* Stichling (Gezdik) 7. *Angvilla*, Aal (Auhoř) has etiam in piscinis nostris, si quæ magis palustres sunt, invenias. Novi Illustrissimum Virum, *Martinum L. B. de Paradis*, Amicum, dum vita manebat, singularem, qui emtas magno numero *angvillas* per piscinas suas sparserat, tam fœlici proventu, ut in piscatu quàm plurimæ caperentur, neque postea quid

Angvill[…] minari p[…] piscinas possunt.

quidquid agerent, ex Piscinis poterant exstirpari. 8. *Citharus*, Mullen / Mladý Plateys / alijs Hlawáč. Notandum de *Citharo* non constare inter Authores, quodnam piscis sit genus, qua de re apud *Gesnerum* multis locis disputatur. 9. *Turdi Saxatiles*, Steinschmerling / skalnatý Hlawáč. 10. *Bdella*, Eldritz (est Phoxini species, ut putat Gesnerus) horká Rybička / Střeličky / vel Střewličky. 11. *Mustela varia*, Beißker (Piskoř) 12. *Scorpius*, Gesnero tinca, Schlein / Ljn / Sswec. 13. Lachsforell / Pstruh Lososowý, *Aurata lacustris*; scio præcipuè ad *Glacium* aliisque montanis per *Bohemiam*, hos pisces tantæ bonitatis, sæpe etiam magnitudinis capi, ut parum *Æsoci*, aut *Salmoni* concedant. Amicus studiorum meorum D. *Fabianus Blovvsky* Vir doctus & in officio regio constitutus, mihi affirmavit: se nescio cui ex Proceribus muneri missas *Auratas* attulisse, quarum singulæ 8. libras ponderârint.

Auratarum mira aliquando magnitudo.

(+)

CAPUT LIV.

Auratarum, & Thymallorum in fluvijs Bohemiæ multitudo. Enumerantur Pisces, qui vivunt in Albi, præcipuæque viginti species.



HActenus semiperegrini, aut potiùs hospitantes in *Albi & Muldava* pisces, qui in fluvijs nostris minoribus, ac rivis, maximo numero & fæcunditate nascuntur, constat homines in Bohemiæ montibus, *Auratis & Thymallis* (exceptis Mensibus quibus illi prolificant *Augusto & Septembri*, quódque ipse cum stupore ostensum à Piscatoribus vidi, quibusdam velut muscis vel araneolis in capite, sub pinnis, & ad caudulam obsidentur, & ad insaniam propè mordentur) *Auratis* inquam, & *Thymallis*, velut justo, & carneo cibo toto anno vesci. Expertus istud ipsum aliquando sum Anno videlicet 1650. cùm Sacerdotio primùm initiatus ad montana post *Richnovium*, deinde rursus Anno 1652. ad montana *Zambergensia*, ut *Cunvvaldum*, *Klaßterecium*, aliáque vicina loca, *Piccardorum* (præcipuè sectæ Cunwaldensis) refertissima, missus accessi, ut Christo eos lucrifacerem si possem, quod fæliciter processit, mille 500. capitibus virorum sine omni intentatâ vi, nec minis quidem, sponte & suâ voluntate, Religionem nostram amplexis, & ad pœnitentiam Catholico ritu adductis; sed, ut dicere instituceram, toto illo tempore, etiam solennibus *Paschæ* diebus, non alium mihi cibum Incolæ inopes, & montani præbebant, aut præbere poterant, quàm pisces, *Auratas*, quas dixi, *Thymallos*, *fundulos*, aut *mullos*; jam ad rem:

[Auratæ à quibusdam muscis vehementer cruciantur.]

Albi proprius est piscis *Rap* (Hlawáč Labský) assus jucundissimi saporis; ex genere *Coracinorum*, ut putat Fabricius, *Gesnero fluviatilis Capito*. 2. *Lucius*, Hecht (Sstika) de quorum ortu, cùm in piscinis nunquam relinquantur, & tamen Anno sequenti ingenti magnitudine capiantur, maxima est inter *Piscatores* disputatio; quidam existimant, ut *Angvillas* sic & *Lucios* ex putri solo sponte nasci; alij dicunt *semina luciorum* per anates silvestres devorata per piscinas excerni, atque ita proseminari; alij eadem semina ob tenuitatem suam cum *Aqua* deferri; alij ajunt à *Tincis*, qui sponte & ferè in omni piscinarum luteo solo nascuntur, gigni &

Lucij vel lupi unde subitò in Piscinis appareant.

& ſeminari. Qua de re vide *Geſnerum* ultimæ huic ſententiæ faventem. 3. *Carpio* vel *Cyprinus* de quo Capite ſuperiori, (Kapr) Karpff. 4. Certum *Carpionum genus*, quibus nec lactes, nec ova ſunt Leiner vel Mörſling / Kapr galowý. 5. *Perca* Perſken (Wokaun) eſt armatus, & pinnulis ſurrectis manum vulnerat. *Bohemi* omne piſcium genus echinis horrens, Gežděk appellant. 6. *Mullus*, Ciceroni barbatus, Auſonio *Barbus* vel *Barbo* Parm (Parma) 7. *Fundulus*, Grundel (Mřeň) tanto numero & fælicitate in *Bohemia* provenit, ut in *Bechinenſi* regione, atque etiam *Plſnenſi*, ſextarius fundulorum (nam liquidorum menſuris, velut potus, vendi ſolent) in quo facilè 100. & plures funduli continentur, duobus noſtratibus Cruciferis comparetur. 8. *Aloſa* vel *Alauſa* Jeſen (Mágowá Ryba) 9. *Aſellus*, non marinus ille, ſed Germanis Heſeling, Zagjček wodnj. 10. Ex Gobiorum genere, caret latino nomine: Dibel ſeu Elten Miſniacis (Tlauſſk) grandi capite, aliqui *ſqualum* appellant. 11. *Praſinus*, Braſen vel Bleỹhe (Ljn / neb Pražma Bohemis) 12. *Rubellus*, Rotengel, Ljn čerwený. 13. *Alburnus*, Weißfiſch (Bělice) 14. è Carpionum genere, paulùm tamen capitoſior, Karas nobis. 15. è Gobijs, Pulec / Oberkottig. 16. Minutuli piſces (drobné Rybičky / Oweſnicky) vix magnitudine avenæ granum excedunt. 17. *Mugil*, Praudnik, Hardern, eſt *Apuarum* ſpecies, de quibus *Geſnerus*. 18. *Cobitis* aculeata, Sekawec / Steinbeiſſer. 19. *Acus aculeatus* (Mihule / Stihling) hoc piſcium genus ad *Jaromirium* ingenti copiâ capitur, éſtque ſingularis eo in *Albis* loco bonitatis. 20. *Lampetra minor*, (Neũnaug / Neynok / Okatice) apud nos capitur *Litomericij* (præſertim ad pontem *Albis*) maximo numero.

Carpio.

Sequuntur piſces cum pedibus, ſcilicet *Cancri* (Krebs) Rak. *Fabricium* riſi, qui malè *Cancrum* appellari contendit, & quem nos *Cancrum*, ille *Locuſtam* mavult appellare; quod etſi verum ſit, ut ex *Geſnero* intelligimus, tamen appellationem omnibus gentibus uſitatam, ſervare oportuit. *Cancros* totius *Bohemiæ* laudatiſſimos gignit Fluvius (penè dixiſſem Amnis) *Cydlina*, qui ſupra *Giczinium* naſcens ad *Libicium* exoneratur in *Albim*. Jucundam quandam & ſvavem guſtatu carnem *Cydlinenſes* offerunt *Cancri*, ſic ut facilè internoſcantur ab alijs; eam præſtantiam conciliat illis *Cydlina* fluvius herboſus, & per prata & herbas *Cancris* amicas, & veſcas leniter labens ripâ gramineâ & opacis arboribus undique conveſtitâ, ad quarum radices in Aquis *Cancer* cavo ſuo fidens libentiſſimè habitat. Lepida ſatis eſt venatio *Cancrorum* laceratâ Ranâ, & palo in aquis fixo adnatantium, & ſponte ſubeuntium retia; nec minùs habet voluptatis, *Cancros* in pratis velut flores, aut lapillos legere; eam venationem cùm primùm ad *Novamdomum* in *Piſcinis* ſpectâſſem, non mediocrem animo percepi voluptatem: Æſtate & Autumno, calentibus ad noctem crepuſculis, è *Piſcinis* ad paſtum in prata egrediuntur *Cancri*; quod ubi ſentiunt *Piſcatores* retia piſcinæ curſu prætendunt; *Cancri* ſtrepitu animadverſo quàm primùm in familiarem Piſcinam recipere ſeſe conantur, at priuſquam domum perveniant in ſicco deprehenſi colliguntur, nec ferè ullus evadit: nam qui etiam ex ijs celerrimi ſunt, & in Piſcinam properant, retibus implicantur. In ijſdem Piſcinis ad *Novamdomum* maximus eſt *Cancrorum* proventus, ut retibus velut ſi piſces forent, aquis extracti, certo numero accepto, cæteri *Piſcinæ* reddantur, Domino in futurum proſpiciente; ſed *piſcinales Cancri* (quod addendum eſt) multum fluvialibus bonitate concedunt. Per eam viciniam ad *Novamdomum Piſcinæ* quædam parvulæ *Fundulis*, minuto generi piſci-

Cancri.

Cancer Cydlinenſis.

Piſcinæ fundulorum.

piscium, designantur, levissimo pretio ibi funduli væneunt, plerumque sextarius cruciferis duobus vel tribus. In *Fundulorum Piscinis* alibiq; nascuntur alij *Pisciculi*, *minimis*, ut ita dicam, minores (Owesnicky nostrum vulgus appellat, quòd *Avenæ* granum vix superent, qui eorum minimi sunt) tanti verò eorum Exercitus apparent, ut eos ad Solem in aquæ superficie apricantes, *Pileis* silentio subjectis, à *Pueris* excipi viderim; eduntur cocti, vel in butyro frixi Cochlearibus, éstque is cibus suavissimus. In viam redeundum est.

Minutuli pisces.

Cochleæ.

Sunt etiam nobis, quæ Latinis *cochleæ*, eæque duplices: alteræ *bivalves* in fluvijs (aliquando gemmarum, aliquando cancrorum receptacula, & cibus) alteræ *turbinatæ* meliores, quas è terra palustri, & vallibus hortorum, & sub vallis murorum effoderis; *limaces* usitatissimâ voce compellant, vulgò (Ssnecky) Plže/Pilauzy/Hlemeyždi. Quàm plurima alia *Piscium* nomina qui in fluvijs nostris vivunt, possem adducere; sed in his tot lites, inter Authores excitantur, ut (quod de *Avibus* postea dicam) quid teneas, scire non possis. Inspice, oro, Lector *Gesnerum l. 4. de Piscibus* scribentem; vix tria quatuórve Piscium nomina reperies, quæ certa & indubitata sint, reliqua omnia revocantur in dubium. Porrò *Gesnerus* sæpe citat & laudat *Kentmannum*, qui ad se Catalogum miserit *Piscium*, qui in Albi flumine apud nos orto capiantur. Mihi eum Catalogum videre datum non est; sed *Georgij Fabricij* Catalogo, quem in Annalibus Urbis *Misnæ* adduxit, multum me adjutum hoc loco profiteor. Universim tot sunt, in *fluvijs Bohemiæ*, piscium species, ut quidam senex Piscator octoginta ampliùs *Piscium* nostrorum nomina distinctè recitârit, quæ latinè ego, nisi infinito labore, post lectionem plurimorum Authorum, non possim reddere, vel si maximè velim.

Limaces.

CAPUT LV.

De Piscinis Bohemiæ. Vetitum aliquando excitare Piscinas. Quæ amplissimæ in Bohemia. Quid sint, & quâ ratione exstruantur. Quàm utiles Dominis.

Piscinæ in Boh. quales

Piscinas, cùm de piscibus loquimur, præterire, piaculum foret; tanta profectò in *Bohemia* earum multitudo est, ut aureâ *Rudolphi II.* ætate in Comitijs Regni vetitum fuisse legamus, nè Piscinæ plures per *Bohemiam* sine publica authoritate excitentur, quòd & salubritati Cœli officerent nebulis, & agros coli mallent Majores nostri, quódque almam Tellurem mallent ad partus suos cogere, quam mersam ad perpetuam quandam sterilitatem damnare; nullus apud nos siti moritur, at famem, ut legimus inter exempla, etiam *Bohemia* sæpius sensit. *Trebonenses*, *Crumlovienses*, *Budvvicenses*, *Pardubicenses*, *Podiebradienses*, *Chlumecenses*, *Rozdialovicenses*, *Kopydlnenses* ditiones, piscinarum obtinent principatum; in una regia ditione *Pardubicensi* quadringentas præterpropter piscinas numerari, ex rationarijs libris constat; maxima earum, ac fortasse totius Bohemiæ, *Czeperka* cognominatur, duo, eóque ampliùs, milliaria Germanica maxima (qualia apud nos sunt) amplectens & ambiens; altera post hanc Wyplatil dicitur. Ejus æmula *Rosenberg* nomine, post *Trebonam*; cujus funda-

quæ maximæ.

Krczin maximus Piscinarum magister.

fundator, & opifex *Jacobus Krczinius* fuit, *Rosensium* major Œconomus, seu Capitaneus, in quam primùm aqua Anno 1585. 24. Maij, cœpit immitti. Hæc aquis diu destituta, nostrâ iterum ætate cæpit impleri; quâ parte angustatur *Piscina, Pontem ligneum* statuêre *Rosenbergici*; habeo idoneum testem, qui eum pontem transiens diligenter passus vulgares suos, (quinque pedum) numeraverat, & ad *mille quadringentos passus Pontem* extendi deprehendit. Cataractas duodecim unde Aqua effluat, habere Piscina dicitur, tantâ omnes altitudine, & amplitudine, ut per eas fœni currus innoxiè transire possint. In procellis & imbribus subitis, summâ & properatâ diligentiâ ad eam accurrunt accolæ, nè aggeres vitium patiantur; nam si rumpi contingeret, damna quæ *Bohemiæ* adferri possent, Dominus præstaturum pro se & futuris Dominis promisit, quod etiam *Tabulis Regni* ad perpetuam hujus obligationis memoriam Majores nostri providè annotârunt; idem est de *grandi Piscina ad Taborium Jordanis* nomine, quæ rupta, *Veterem Pragam* creditur mersura; alia est ad ipsam *Trebonam* appellata *Mundus*, & ad *Podiebradium* alia *Blato* nomine; hæ Piscinæ omnes alias per *Bohemiam* magnitudine superant, piscium svavitate non item; hanc enim sola magnitudo non facit, sed soli seu fundi bonitas pastui piscium opportunâ pingvedine. Piscinarum scientia, & Œconomia pertenuis est, cùm res habetur; at piscinæ aptum locum invenire, statuere, effodere, maximum laborem, diligentiam, ac sumtus requirit, súntque apud nos *Piscinary*, & piscinarum artifices, qui & novas condere, & veteres obsoletas, situ squalentes, aquâ fugiente vacuas resiccatásque, aut alijs vitijs laborantes, reparare, & reconcinnare noverint, genus hominum, ebrietati & quæ consequi solent, deditissimum, ac nullius famæ, ideóque maledicto communi *Piscinarium* dicimus, hominem extremæ improbitatis & fortunæ.

Piscina Rosenberg & super eam Pons mille quadringentos passus longitudine.

M. S. Wencezlai Brzezan.

Jordan piscina ad Taborium, aliæquè majores.

Rybnikář.

Natura piscinam non facit, sed *Ars*, quippe totum manufactum est opus: depressa vallis eligitur, vivo & perenni irrigata rivo; advocantur Operæ, piscinæ area designatur, effoditur ad justam profunditatem humus, excitantur firmissimi aggeres, iíque saxis & lapidibus piscinam versùs, ut aquæ obsistant, quasi mœnibus muniuntur, sic ut plerúmque unius alicujus majoris piscinæ constructio aliquot aureorum millibus constet, si operarum labores solvendi sint, si aquarum deductiones, ædificationes aggerum, opus cataractæ, ac cœtera spectentur. Postquam speciem *Piscina* accepit, tum cataractæ, tum tubi, & canales in infimo piscinæ loco statuuntur, pérque aggerem infernè ducuntur foras, ut quoties lubet aqua demitti, & in sicco pisces deprehendi possint. Hæc qualisqualis Piscinarum descriptio necessaria visa est; jam enim fuêre Œconomiæ nostræ ignari, qui *Piscinas* nostras, *Lacus, & Paludes* esse crederent, quod non ita est; cùm *Piscinæ* nostræ manufactæ sint, aquâ novâ semper & vivâ subeunte, priore veteri emissâ, deinde quoties lubet, Aquâ omni spoliari possint, tantâ securitate (nisi ipsorum piscium, *luporum* præcipuè, seu *luciorum* voracitas obstet) ut numeratò pisces injici possint, quos annis vertentibus jam auctiores recipias. Quis primus apud nos *Piscinarum rationem* docuerit, quis *Carpiones* potissimùm alendos (qui & fœcundissimi, & exquisiti saporis habentur) persvaserit, ac cœtera huc spectantia, altum est historicorum silentium; crediderim, ut jam olim dixi, inventionem, aut saltem multiplicationem & quòd ea res artem quandam contineat, ad *Caroli & Ernesti I. Archi-Episcopi Pragensis* fælicissima tempora pertinere, idque ipsum *Benessius* videtur innuere. A *Boëmis* factum initium, *Piscinarum* multitu-

Rybnikářj

Piscinæ cõfectio.

Piscinæ lacûs di[ffe]rentia.

In vita [Erne]sti I. Ar[chie]piscopi. Beness. l. Chron.

Piscina[rum] origo.

titudo, quâ vicinas omnes Provincias ſuperamus, oſtendit; poſt Annum 1500. Moravis quoque, & Sileſijs Proceribus (ut erant *Bohemis* conſangvinitatibus, & fœderibus, & Coronæ, ac Regni unius neceſſitudine junctiſſimi) *Piſcinæ* placere cæperunt, maximúsque author illis fuit *Joannes Dubravius* homo Bohemus, poſtea *Olomucenſis Epiſcopus*, vulgato inſigni libro *de Arte Piſcinarum*, quo explicuit omnia, & Œconomiæ partem illam Proceribus Moravis egregiè commendavit. Hoc quodammodo patrimonium ætati poſtfuturæ Majores noſtri reliquêre, quo dormienti Domino millenorum ac millenorum piſcium vitâ, *Nummus* multiplicetur & creſcat, ut quodammodo (ſi parva licet componere magnis) *Timotheo Cononis* filio cubanti, *Fortuna* jactus ſuos donabat, & Urbes in rete ſuum coactas tradebat in manum. Sua quoque præter lucrum opimum Domino, quibusdam apud nos *Carpionibus* ineſt venuſtas, præſertim qui *Regij* appellantur, quod genus vix extra *Bohemiam* (*in Moravia* tamen aliquando, ſed à nobis advectum) inveneris. Duos habent ordines ſquamarum, quæ à capite ad caudam uſquè trahuntur, cœterà nudi ſunt; ſquamæ in aureum colorem deſinunt, jucundiſſimo quodam carnis ſapore præſtant cæteris, ſed ob teneritudinem diu non vivunt, cùm loricâ illâ ſquameâ adverſùs injurias minimè defendantur. Olim aureis Bohemiæ ſæculis *Carpionibus* anniculis annulos aut circulos ære aliquo lucentes ſecundùm os, aut caudam ſuſpendere mos erat, quoties *Illuſtriſſimis Parentibus*, aut diviti Patri familias & piſcinarum Domino filius erat natus, lætitiæ conteſtandæ causâ; eodem anno inſerebant *pyros*, aut *pomos &c.* ut cum puero nato iſti & iſtæ creſcerent. Memini Equeſtri ortum loco Virum (cujus jam filios in *Baronum* ſtatu videmus) qui coram me gloriabatur Anno 1644. quòd adhuc octo *Carpiones* ſibi ſupparis ætatis (jam tamen annum 40. ſuperabat, in piſcinis haberet ex ingenti turba ſuperſtites, quos *Pater* ipſo naſcente ſignari juſſerat, unúmque *Carpionem* ex illis ſignatum afferri juſſit, qui velut effætus, & morbo gravis ſenex ſemper in fundo piſcinæ jacebat, nulli amplius uſui, nec ut menſis tam ignavâ carne poſſet placere.

CAPUT LVI.

De eodem Argumento Piſcinarum: Piſcinæ pro fætu carpionum. Piſces qui Piſcinas amant. Origo Luciorum. De Piſcinis Roſenſium. De Lacubus Bohemiæ. Mirum de Lacu limitaneo ad Bavariam. Foſſæ altitudinis infinitæ, & hiatus ad Miſeno.

PRæter majores illas *piſcinas*, in quas *Carpiones* adultiores, & nonnunquam plurima ſexagenarũ millia imponuntur, aliæ piſcinæ *Minores* ad prolificandum eliguntur; fætus eorum ſeparatim ad lætiores & fertiliores pabulo piſcinas portantur, dum juſtum ſuæ magnitudinis incrementum *Carpiones* accipiant. Præter *Carpiones*, non rarò angvillas, *Percas* autem, & albulas (Bělice vocamus) aliósque non ignobiles piſces, in Piſcinis invenias, ſponte ferè naſcentes, aquis devehentibus ſemina; unde ſupervacanea

Luciorum seu Luporũ aquaticorũ origo.

canea videri possit disputatio, quæ *Piscatores* exercet, ùt antè dixi: *unde Lucij in piscinis nascantur?* non opus est, ùt reor, ad silvestres anates, aliásque aquaticas aves confugere, quæ alvo luciorum semina deferant, & amittant, cùm *Aquæ* & faciliùs & frequentiùs idem præstare possint, & solum piscinarum, semel tali semine suscepto, fœturam illam *luciorum* lupinam (lætam æquè ac tristem piscantibus) ex sese producere, ùt de ranis olim Ovidius cecinit: *Semina limus habet virides generantia ranas*; adde quod deteriorum fælicior ubique proventus sit, naturæ mirâ in res noxias fæcunditate, argumento humanæ nequitiæ, cui ultro sine ullâ satione & cultura, spinæ, tribuli, & deterrima quæq; proveniunt. de hac *luciorum* nativitate plura alibi. Ad piscinas redeundum est.

Piscinarum apud Rosẽses summa cura & multitudo.

Rosenbergici Proceres, piscinarum numero, & utilitate, Regias in Bohemia Ditiones proximè accessêre: habeo *in duplici historia Rosensi* manuscripta, consignatas *Piscinas* omnes Rosensium: quóque anno effossæ sint, qui Rusticorum agri, aut villæ illo labore demersæ, quomodo dissoluta, & compensata subditorum damna, aliáque hujusmodi ad Piscinas pertinentia. Dominus *Wok de Rosis* post An: C. 1480. piscinis quàm plurimis de novo excitatis, ditiones suas implevit; patrem filius *D. Petrus* superavit, *Trebonensi* regione piscosâ redditâ. Piscarium & piscinarum egregium artificem & libratorem habebat *Stephanum Netolicky*, dignum profectò, qui hoc loco memoretur, ob artem, quâ per *Bohemiam*, alijs quoque humanæ vitæ commodis inventis inclaruit; hic observatâ priùs telluris illius altitudine, aut contrà declivitate, varijs Mæandris & flexibus, per totam regionem, *Rosensium ditioni* subjectam, mirabili prorsus invento, *aquam fluentem & vivam per aliquot centena passuum millia* usq; ad fundos *Sternbergicorum*

M.S. hist. Ros. ad An: 1480. 1491. 1483. in Wokone. & in Petro Anno 1510. 1519. 1518.

Netoliczkij pulcherrimum inventum in Aquis recẽtibus per Piscinas ducendis.

Procerum Bechinenses deduxit; multos annos hic labor consumsit, multísque impendijs opus fuit, dum fossæ quædam cæcæ, & rivi, aquis sibi semper securè succedentibus fierent; ad extremum fæliciter Anno 1518. perfectus est labor; & *Stephanus*, quem jam æmuli irridere cœperant, invidiæ victor, maximis à Domino præmijs est donatus. Ad *Lacus veniamus*.

Lacus Bohemiæ Duhcovium.

Lacus & lacustres aquas paucas habet *Bohemia*; si qui *Lacus* sunt, suâ & parvitate, & ignobilitate censum non merentur. In *Litomericensi* regione post *Duhcovium* (Duxs Germanis) spectatur *Lacus* amplitudine insignis, ex quo *Bielam* fluvium oriri certum est; de hoc *Lacu* rarissimis piscibus refertissimo, mira accolæ narrant, quibus piscandi Jus ab antiquo concessum, exclusis omnibus, qui antiquum jus à Majoribus probare non possint, licèt habitent in ripa; accessi nuper locum, ostendêre accolæ piscinas procul distantes à *Lacu*, quæ exhauriri nunquam possent; videlicet cùm in terra *Lacum* contingant, subterraneâ viâ *Lacui* conjunguntur, qui novas semper ac novas piscinis illis aquas suppeditat; plura de illo non reperi.

Lacus Pleckenstein. *Wen. Br. in Vita Wilhelmi ad A. 1567.*

In Ditione Crumloviensi Lacus est (*Pleckenstein* incolæ vocant) aquis è telluris utero nascentibus. eum, ùt erat rerum naturæ curiosissimus, *Wilhelmus Rosensis* explorandum sibi & dimetiendum sumsit Anno 1567. longitudo patet 240. latitudo 84. profunditas, orgias quinquaginta exsuperat; certis in locis, quasi fundo careret, altitudo satis explorari non potuit; alit noti & ignoti generis pisces, tum *Bruchos* quosdam aquaticos, aliáque *insecta* (*Letky* vocant *Bohemi*) cancris maximis majora. Ex lacu rivus profluit tanto impetu & aquarum copiâ, ut duas rotas molares facilè propellere posse existimetur.

Insecta.

Piscina Caroli IV. lacus.

Lacum, manu & arte sub Arce *Bezdiezy* Anno 1366. maximo conatu, adductis perennibus aquis, effecit *Carolus*

volus IV. Imperator Augustus; multis operarum millibus, multisque pecunijs opus constitit; nec dubitavit ipse *Carolus*, Augustas & laureatas manus huic labori admovere.

[La]cus post [Su]fficium.

Post *Sufficium* (*Siccam* veteribus Bohemis dictam) *Lacus* est amplissimus in regiuncula, quam alterum orbem (na onom Swětě/in jener Welt) ob loci angustias, quæ angulum quendam à Natura abstrusum conficiunt, & ob iter impeditissimum, vocavêre Majores: in eum lacum, si vel lapillum, vel ferrum injicias, turbari subitò *Aquam* videbis, & *Aquæ* fundum cum summo commisceri (tanta est Aquæ illius impatientia, ut se contactu illo violatam putet!) tandem æstuare, & ab imo fervere, donec denique omnibus fluctibus in hostem conspirantibus, lapillum, & quidquid conjectum erat, ad aquæ margines & ripam extrudat. *Res est certissima & contestata*, adjicit *Theobaldus*.

[Theo]bal. in Ar[cani]s Naturæ. [l]. xi.

[Fo]ssæ pro[fu]ndissimæ [in] Msleno.

Ad *Lacus* quadantenus referri posse videtur, mirabilis & nulli satis explorabilis terræ hiatus in *Boleslaviensi* Districtu: post *Msseno & Hlusovv*; medijs in campis, infinitæ quodammodò altitudinis fossæ, & foramina patent, earum fundum frustra vel oculis, vel ullâ bolide, aliâve arte explores; aqua ibi stagnat, & hieme etiam gelatur; *Ventorum* in cavernis illis patria & nativitas est, inde evolant, totámque illam regionem, imò & *Bohemiam* reliquam everrunt; sæpe contingit, ut quo impetu *Venti* se efferunt, eodem secum glaciem rapiant in auras, plurimorum centenariorum pondere, ad mille & plures passus volantem, quandóque hominum, pecudum, & domorum gravi exitio. Hæc à Religiosis & oculatis testibus ex *Msseno* oriundis accepi. *Lacus*, præter hos, alios nescio. Duo, alter ad *Teplam*, alter ad *Blatnam* ignobiles, *Lacûs* nomen vix cum dignitate sustinere possunt.

Lacus Montium Gigãteorum.

Omnium in Bohemia *Lacuum* nobilissimi (quorum jam mentio facta est à Nobis) censeri possunt, *Cerconossiorum Montium lacus* aliquot, tum quòd in summa *Montium* altitudine consistant (quæ paucis Montibus est gloria; qui si unum aliquem, vel tenuem fonticulum proferant, commendantur) tum quòd ex ijs *Germaniæ* universæ notissimum flumen, Aquarum apud nos Regnator *Albis*, ac cæteri minores Fluvij nascantur & profluant; qua de re nominatis fluvijs egimus in *Montium* illorum descriptione Cap. 6. §. 2.

CAPUT LVII.

De præcipuis in Bohemia, Aprorum, Cervorum, Capreolarum, Damularum, & minorum gentium, ùt Cuniculorum, Leporúmque vivarijs. Raritas animalium, & studium ea in re Cæsaris Rudolphi II. Leones duodecim in Bohemia nutriebantur. Leo summus Burgravius. Leo ante Rudolphum Cæsarem venabulo occisus.

[V]ivaria Bo[h]emiæ Pro[c]erum & [R]egis.



Ohemiæ veteris Proceres opulentissimi, bellis hæreticorum tandem ponentibus, cùm domi altissimâ pace, sub *Wladislao, Ludovico*, postea sub *Maximiliano ac Rudolpho* Regibus gauderent, ad Palatia, arces, domósque magnificas exstruendas (de quibus alius erit dicendi locus) animos adje-

adjecêre; his ad necessitatem, utilitatem, & commoditatem, pro cujusque facultatibus, & Genio conditis vel aptatis, ad delicias, ùt fit, & voluptates architectandas convertêre sese. Non parva voluptas visa est: ferarum receptacula, quæ *Vivaria* dicimus, excitare, ut quod in silvis aliquando venatione quæritur, id domi & præsens semper, obviâ & parabili voluptate habeatur. Ad id saltus crebri, depressæ convalles, prata, plana, colles, rivi, mirâ in his Bohemiæ telluris & gratâ varietate, facultatem maximam suo loco præbebant; de *Phasianorum*, & *perdicum* ac cæterarum avium per *Bohemiam* nemoribus, aut naturâ, aut manu humanâ adjuvante factis, dicemus suo loco.

In hoc studio ipsi *Reges* exemplis prævivêre sic, ut vix regia ditio in *Bohemia* reperiatur, cui *vivarium* desit: *Pragæ* post Arcem non maximum illud quidem, at fluminis *Muldavæ*, insularum, arborum & aliarum commoditatum, quas amant feræ, merito, tum quòd à Regia Urbe non procul, carissimum *Rudolpho* fuit; in hoc omnis generis fugaces feras, ùt *Cervos*, *Damas*, tum peregrinas, *bubalos*, *oves Asiaticas*, & rara alia, ac mira in animalibus alebat; Domi habebat aliud, angustius illud quidem, sed terrificum, quo *Leones*, *Tigrides*, *Pardos*, *Lynces* &c. suis quodque caveis & domunculis, imò & aves, *Cæsareas Aquilas*, & quidquid peregrinum ac rarum in Avibus reperiri potuit, incluserat. *Mæus* avis est, quæ risum humanum & cachinnum ad miraculum imitatur, (Lachhansel Germani nomen à ridendo imposuêre) tum cachinnabatur maximè, cùm blanditijs, laudibus, vel etiam teneris precibus provocaretur. Duas ejusmodi Aves è Turcia missas *Rudolphus Imperator* alebat, sed altera per hortulani negligentiam avolavit, altera usque ad *Rudolphi* mortem *Pragæ* remansit. Vidi ipse *Rudolphi II.* Psittacum, qui Cæsari illi olim fuit in delicijs, jam senem & fractum ætate, quem mihi videndum obtulit *Julius Henricus Saxo Lavenburgicus* hodierni Principis Pater, clarissimus & militaris heros, cùm ipso invitante & jubente *Sslackverdam* venissem: erat gallinæ urbicæ magnitudine, & quod rarum habetur, nive candidior, ut ne unica pluma quidem alterius coloris, nisi candida inesset; si indignaretur, vel alio affectu moveretur, cristam candidissimam, *Pavonis* coronæ simillimam, in occipitio, ut sic dicam, placidè aliàs jacentem, surrigebat; comis totus, & (quod alijs inusitatum) minimè mordax, Hispanicè loquebatur, puerili præcipuè ætati benevolus, atque amicus. Ex hoc *Psittaco*, quod de diuturna avis hujus vita scriptores tradunt, apertissimè confirmatur. Sed ut ad id, unde discessi redeam: aliud ferarum *Vivarium* sub ipsis Aulæ Regalis fenestris *Pragæ* (quod hodiéque, sed feris penè vacuatum videmus) in fossis & vallis *Regiæ* excitârant Majores: *Cervisq;* illud, & *damulis* referserant. *Leones* & animalia cætera, quæ nunquam mitescunt, certis ex ligno, atque etiam lapide constructis domunculis & casis, ùt modò dicebam, claudebantur. *Leonum* facta mentio, admonet memoriam memorabilis prorsus exempli: quod apud Pontanum l. 5. Bohemiæ Piæ C. 4. legi potest.

Aliud de *Leone* exemplum coram *Rudolpho II.* editum narravit mihi Vir nobilis, ex Equestri *Bechiniorum* familia multæ ætatis, qui sub Imperio *Rudolphi* vixerat: accidisse quodam tempore, ut Imperator animi causâ ad *Theriotrophium* illud suum accederet, *Leones* visurus; inter Proceres Aulæ *Turcicum Legatum* quoque adstitisse, qui à *Cæsare* interrogatus de feris præsentibus, commendârit initio *Leonum*, ac cæterarum belluarum magnitudinem, *Lyncium ac Pantherarum* venustatem, mox tamen adjecerit: apud suos *Turcas* id esse moris, ut quoties-

Rudol: II. theriotrophiō & ornithotrophion.

Oswald. Crol. in lib. de signaturis præf. Drexel. in Aurifod.

Mæus avis.

Psittacus Rudolphi.

Feræ in lis Arcis giæPrag sis.

Duellū tempora cum Le in Rudo phi Cæ gratiam ceptum.

tiescunque *Cæsari* belluæ aliquæ exhiberentur, ſtatim unum, vel alterum è prioribus petere, ut in *Leonem* ſibi liceat pugnare; *Rudolphum* igitur Cæſarem, quia ſe tangi videbat, Aulicos ſuos circumſpexiſſe, ac continuò quendam ex familia *Hannibaltiorum* in medium prodijſſe, qui à *Cæſare* petierit, copiam dari ſibi cum illo *Leone* decertandi: factâ copiâ, deſcendiſſe in aream ſolo venabulo armatum, & cùm *Leo* furens in eum faceret impetum, vitato & eluſo agilitate Leonis impetu, latus belluæ venabulo hauſiſſe tam fœlici nec minùs certo ictu, ut momentò bellua expiraret; at *Hannibaltium* relictâ in vulnere haſtâ petiiſſe, latus *Leonis* aperiri. quod cùm factum eſſet, deprehenſum transfixum eſſe venabulo *Leonis* cor; tam certa erat herois manus! quem collaudatū multis verbis *Cæſar*, & aureâ torque, aliiſque præmijs donatum, favore perpetuo ſuper alios deinceps extulerit. Nos ad *Vivaria* ferarum redeamus.

Vivaria ferarum Regia.

Uno à *Pardubitio* milliari Arx eſt *Kunieticzka hora*, quæ ad plurima milliaria (tanta eſt altitudo) videri poteſt; ea arx *Vivarium Cæſareum* ferarum omnis generis pleniſſimum claudebat olim; at nunc ad ipſum *Pardubicium* amœniſſimis in locis, *Vivaria* maxima ferarum (præcipuæ cenſentur, *Apri*, *Cervi*, *Damulæ*) videbis, in quibus uligines, & piſcinæ non paucæ (ad natandum Cervis iſtæ, illæ ad volutabrum, quæ unica eſt Apris voluptas) & glandiferæ inſuper arbores ad pabulum, & nemora, & dumeta ad umbram capiendam, continentur. Cum Regijs vivarijs Proceres permulti certabant: *Kladnenſe* Zdiarskiorum, *Teplicenſe* Chinskiorum, quod ipſam Arcem quondam deſcriptione & opere Hollandorum permunitam (Daubrawſká Hora Bohemis dictam) complectebatur. *Trczkianorum Weliſſenſe ad Giczinium*, in cujus vivarij medio fortiſſima Arx quondam ſtetit *Weliſſ* nomine, à *Wilhelmo Trczka* magno, & fœlici in Turcicis bellis Duce (de quo *Mercurius GalloBelgicus* conſulatur) Operibus communita, ætate noſtrâ dejecta eſt. *Smirzicenſe* Theriotrophium à *Smirzicijs* Proceribus excitatum inſigni magnitudine, hodiéque Comitum *Galaſſiorum*, qui eam ditionem obtinent, magnificentiâ ſuſtinetur. *Teinenſe* Trauttmansdorffiorum, *Brunduſienſe* Regium primæ magnitudinis, quod omnibus per *Bohemiam* Vivarijs antecellit, aut concertat. In *Hradek* ad S. Procopium Waldſteiniorum eſt; in *Gaierſperg & Orlik* Witanowskiorum; in *Wlaſſim* Talmbergicorum perelegans, aquis irriguum & muro cinctum; *Giczinenſe* Ducem *Waldſteinium* primum conditorem agnoſcit, éſtque illuſtre, nec cæteris ſuperioribus quidquam concedit; viam ad *vivarium* ducentem, mille tilijs ac pluribus, in quincuncem diſpoſitis lætiſſimam (unicum in tota *Bohemia* hujus generis opus) alibi deſcripſi. Sunt præterea vivaria: *Podiebradij* aliud regium; *Pragæ* tria, in *Bubenecz* ſub Arce Pragenſi, in *Stella* alterum, in Pomœrijs Arcis tertium; ad *Novam domum* Novodomæi Proceres ſpatioſiſſimum, & peramœnum exſtruxêre ferarum *Vivarium*, éſtque hodie in ditione Comitum *Slavatarum*, quorum curâ ad ſummam elegantiam aſcendit; gemino à Kuttenberga lapide *Rabenhauptij* perelegans habent vivarium, cùi vicinia par non habet; in *Czaſtolovicz* Domini ab *Opperſdorff* refertiſſimum feris, me puero, vivarium excoluerunt; aliqui concidiſſe illud & non curari narrabant; *Chlumecenſe* Comitū *Wchinskiorum* venuſtate, & amœnitate locorum commendatur; deprædicantur & alia, ut in *Koſmonos* Comitis *Czerniny*, & ejusdem in *Sobotka*; item *Blatnenſe* Comitis *Rozdrazovij* altiſſimis & opaciſſimis arboribus confertum; laudatur æquè *Cerhonicenſe Daudlebskij* Equitis, Patroni & amici mei. Et quis cætera, tanto numero per *Bohemiam*

Procerum Vivaria.

niam ſparſa enumerare poſſit? omnia quæ jam attulimus *vivaria*, ſeu Græcis uſitatâ voce *paradiſos*, *Netolicenſe* Roſenſium Procerum amplitudine & circuitu ſeptorum, quæ aream claudunt, ſuperare videtur; nam duo milliaria grandia (qualia noſtra ſunt omnibus in Evropa milliaribus, ſi Ungarica & Norwegica exceperis, majora) ambitu complectitur; ſilvas & nemora, arces, montes, valles, *Wilhelmus Roſenſis*, qui fieri fecerat, clauſit. Pagi quinque integri, duo dimidij, prædia quatuor ſupra quadraginta hoc vivario periere; pretium Dominis *Wilhelmus* perſolvit, alibique agros aſſignavit colendos; *cuniculorum* in eo innumera vis ſpectatur. Deſcribit hunc *Paradiſum Wenceslaus Brzezan* in Magni *Gulielmi vita* ad Annum 1579. quo abſolutum eſt opus, ſimúlque acerbiſſimè in *Jacobum Krcinium*, laudatiſſimum, & Œconomiæ peritiſſimum hominem invehitur, *Telluris* ipſius *corruptorem* appellans, qui plurimum telluris aquis ad piſcinas mergendo, & ad vivaria ferarum uſibus humanis ſubtrahendo abſorbuerit, & quodammodo devorârit; ſed bonus hic Scriptor neſcivit, aut neſcire voluit, Dominorum voluntatem, omnibus Œconomiæ legibus eſſe potiorem, quibus, etſi noxia jubeant, nec quicquam adverſante Œconomiâ, parêre denique ſit neceſſe.

Netolicenſe vivarium magnitudinis viſendę.

Cuniculi.

Wenc. Brzezan M.S. vita Wilhelmi Roſ. ad A. 1579.

CAPUT LVIII.

Venationes ferarum in Bohemia uſitatæ percenſentur: Aprorum, Cervorum, Damularum, Leporum &c. Lupi artificio unum in locum extracti. Monſtrosè duo Lepores conjuncti à Natura in unum corpus, capti ſunt. Capreolus candidus venatione captus. Lepores cornuti. Corniculum in cruribus Capræ. Vacca tripes nata.



DE *Venationibus* noſtris aliquid vel obiter reſtat dicendum: *Apri* (quos *nigras feras* Bohemi venatorio vocabulo) & *Cervi* (quos *rubras feras* appellant) in retia ob magnitudinem, & feritatem, rabiémque ſuam difficilè coguntur; coguntur tamen, & cinguntur, vigilantibus circa retia, & ſclopos in tranſeuntes exonerantibus, qui venatui interſunt; eadem eſt cum *lupis* ratio; vidi cùm vulpes ex latibulis fumo exigerentur, & nî fumo perire mallent, in apertum exilirent pedum fiduciâ; *Capreolos ſilveſtres* retibus involvi ſæpe vidimus; in *Apros & Cervos* canes immittunt, qui feram latratu, aut etiam morſu detineant, dum advenientibus Dominis, vel venabulo, vel etiam globo ex bombarda emiſſo conficiatur. *Lupis* foſsâ inſidiantur, in quam cadaver injecerint; foſſæ os, tam tenui, & levi operculo tegitur, ut ſi *lupus* aut *vulpes* tranſeat, mox in foſſam præcipitetur, quæ ſtipitibus & ſudibus præuſtis intus horrens paratur. Memini, cùm Luporum multitudine auctâ, ad *Pardubicium* ferarum magna ſtrages fieret, *Venatores* Cadaver vaccinum per illas ſilvas circumvehi feciſſe; ſequebantur *lupi* magno numero, viſuri ubi cadaver deponeretur; vectum eſt cadaver ad locum Indagini faciendæ aptiſſimum, & antè præparatum, cujus jam aliqua pars majoribus retibus cingebatur; depoſito cadavere, & ob præ-

Apri.

Cervi.

Vulpes.

Capreoli.

Foſſæ ac piendos pos.

prædam ex fame rixantibus jam lupis, reliqua silva retibus cincta est; accurrêre *Venatores*, *& Lupi* indagine cincti viginti aliquot capti & trucidati sunt. *Cervorum* optima venatio inter *duo festa B. V.* (*Natæ* scilicet & *Assumptæ*) putatur; in *Octobri* jaculari *Cervos* inutile habetur, quòd eorum pellis & caro luxuriâ verminet; intempestivè & pari crudelitate in fœmellas ferarum, ac in mares venando qui sævit, eum *non Venatorem*, sed *Carnificem & Laniatorem* appellant. Veteres ab *Annunciationis* festo Virgineo, usquè ad *S. Bartholomæum Lepores* venari probrosum putabant, eò quòd tunc fœturâ occupentur, & propter sata noxium esset; idque olim *Edicto Comitiorum*, cùm bonæ leges vigerent, vetabatur; Nobilius habetur, *Lepores*, & ferè omnes feras cæteras canibus, quàm retibus acquirere. Non semel Votum Nobilitatis audivi, si per Regem statui posset omnia retia prohiberi, & exuri! sed istud de voluptate ex venatione quæsitâ, intelligi debet; cæteròqui ijdem probant, si fundi & silvarum & nemorum Dominus, certis & statis temporibus retibus venetur, idque omnibus per *Bohemiam* fundorum Dominis est concessum; in *Regijs silvis* & fundis venari & jaculari, penè capitale legibus censetur.

Cervorum non semper opportuna venatio.

Ne lepo-rum.

Fossæ ... piendo ... pos.

Quia de venatione agimus, narrabo hoc loco rem miram & incredibilem prorsus, nisi ab hominibus religiosis & oculatis testibus accepissem: *Clatoviensi Societatis JESU Collegio* attributus est pagus *Sstiepanovicz* nomine; venatio fœlix ibi præcipuè *Leporum* habetur, *Venator* insuper alebatur Collegij sumptibus, qui venaturam ordinaret, & si quid jaculatione obtineret, in Collegium deferret. Fortè ita evênit, ut mane summo in agros leporum gratiâ exiret; excitatus est *Lepus* grandis, qui fugiens nescio quid tergo ferre videbatur; id cùm semel, iterùmque Venator vidisset, rei novæ desiderio, & *Leporis* capiendi, *Canes* secum adduxit, iterum excitari *Leporem* contigit, fugit *Canibus* insequentibus *Lepus*, & cursu fessus in humum sese abijcit, atque ad fugam velut Antæus promptior evadit. Nihil aliud *Venator* esse crediderat, quàm Dæmonum ludibrium; rem postea totam comperit, cùm campi & silvæ retibus sunt clausi, quod certo hiemis tempore fieri consvevit: quippe retibus captus est *Lepus* (*monstrum Leporis*) fratrem in dorso ferens, qui separari & avelli in utero Matris conjunctus, non poterat; ergo & pastum, & potum, corpore in uno colligati fratres, sic dispensabant, ut modò hic, modò ille pasceretur, modò ille, modò iste biberet, cùmque hostes timerentur, quantùm posset fugiebat, qui terram tangebat, postea fessus in tergum resupinus fratri integro fugam tradebat prosequendam. Res, ùt dixi, incredibilis videretur, nisi in eam rem testes religiosos haberem, qui tum *Clatoviæ* in Collegio versabantur. Si nostros fœtus cogitamus, non omnino incredibile videbitur, cùm in hominum genere monstra ejusmodi, & in eodem corpore ex ventre fratris alterum geminum prodire, ipse ego hisce oculis *Pragæ* viderim, & mecum hominum millia. Nimirum est monstris suus etiam in *Bohemia* locus, ac tale animal monstrosum quadrupes Equi magnitudine in *Bohemiæ* silvis in ditione *Adami de Waldstein* supr: Burgravij captum, & in ejus domo, ubi nunc hortus Virginum *Carmelitani Ordinis* visitur, depictum, in minore *Praga* se vidisse tradit *Tannerus*. *De Avibus monstrosis* dicam suo loco. Sed & mira quandoque in venatu reperiri, quæ in vulgus ignota sunt, pro certissimo debet haberi: In *Benatek* 5. *Pragâ* milliaribus miraculo fuit *Damula*, seu *Capreolus silvestris*, quem *Venator* ante annos duos in silvis incautum occiderat globo, album totâ pelle, quæ

Leporis monstrum.

Animal ignotum venatione captum.

Capreolus silvestris candidissimus.

quæ candore nives anteiret; ipsam pellem candidissimam *Nostri Patres*, à quibus hæc didici, vidêre & tractavêre manibus. *Lepores* fronte cornutâ caprearum instar; *Capreas domesticas*, quibus è crure *Cornu* prodierat; *Vaccam tripedem* ità natam Nos ipsi non semel vidimus, & admirati sumus.

Lepus cornutus.

Vacca tripes.

(✠)

CAPUT LIX.

Varietas & multitudo ferarum in nostris silvis.

Quædam enumerantur. De Uro qui est in Clypeo Persteiniorum; de Ursis: narratio de Equite Bohemo, qui cubile Ursæ spoliârat. Ridiculum de Simio, quem Rustici malum esse Dæmonem rati occiderunt. **Cheyna blaznivá**, id est Villa stultorum, quo merito appelletur.



DE varietate Animalium in silvis nostris, illud universim affirmare possumus: vix ullum esse *Germaniæ* notum animal, aut in ea natum, quod *Bohemia* non ferat, aut quod non ferat *Bohemiam*; quódque paucissimis concessum est terris, *Uros* habet *Hercynia*, ùt ostendit *Münsterus*; quod *Origo Pernsteinensis* familiæ demonstrat, de cujus authore, & Originario, hæc legitur in historijs narratio: Vir rusticus in re tenui sua (nam *carbonariam* fecisse tradunt) sed vir intrepidus & fortis, *Urum* in silvis nactus, diu cum bellua luctatus, tandem (ùt sunt quædam belluæ, quæ devictæ statim mansvescunt, vel Elephantorũ exemplo) victo *Uro* Anulum per nares inseruit, & duxit ad *Principem*; unde illi, & posteris, *Urus* in clypeo datus, anulo in nares inserto, & appellatio ab anulo, qué **Prsten** vel **Persten** dicimus; eam vocem postea Germani in **Pernstein**/ vel **Bernstein** mutaverunt, & ex *Uro Ursum* reddiderunt; de quo alibi. *Ursorum* aliquot sunt genera, quæ omnia in silvis nostris paulò altioribus, nasci & educari omnibus constat: vidi grandes *Ursos ad Crumlovium* natos, Polonicis longis illis nihil concessuros; vidi item parvos *Canibus Anglicis* paulò majores, cujus unius *Rosenbergæ* post *Crumlovium* capti pelle sum aliquando donatus. Jucundum spectaculum habui ibidem *Crumlovij* Anno 1651. dum *Rhetoricam in Crumloviensi Gymnasio* docerem: Erat in ea vicinia vetustæ Familiæ Eques **Kolchreiter** nomine, quem Natura ad silentium damnaverat, jam ab ortu suo mutum, & nutibus tantùm, quod vellet, explicantem; hic unicè venatui deditus, dum silvas oberrat, ad Cubile *Ursorum* pervênit; mox Equo descendit, duósque *Ursos* dormientes reperit; commodùm aberat Mater: ergo catulos rapit, & subitò Equum conscendit; vix conscenderat, adest illa, & raptam sibi progeniem conspicata in Equitem concitatur; vix *Eques* omni Equi pernicitate *Crumlovium* effugere potuit, *Ursâ* propè ad ipsa mœniá (ùt viatores narrabant) sequente. Vidi ingredientem *Crumlovium Equitem*, *Ursos* in equo tenentem, & cum mutis, ut ità dicam, vocibus, seu clamore, catulos, qui magnitudine vix feles æquabant, omnibus demonstrantem. eos *Ursos* educatos, postea ad portam *Arcis Crumloviensis* ludentes, & histrioniam exercentes spectabamus.

In Cosmograp.

Pernsteinẽsis familiæ origo ab Uro.

In Stemmatograph.

Cnbile Ursæ direpti

Quan-

Quando de venatu, & feris agimus, aliam narrationem non minùs ridiculam apponam, non dubiâ Annalium notâ, quam *Fundalibus*, ùt vocant, seu fundorum libris cuilibet, si deroget fidem, probare possum: *Horazdiovicium* Civitas ad *Ssvvihovianam* familiam olim spectabat, ùt omnes sciunt, quòd à Sswihovijs, ùt fama fert, condita, ijs etiam agentibus, *Jura Civitatis* à Regibus acceperit, ideóq; *Ssvvihoviorum* gentilitias lineas Urbs gestat in Clypeo. *Puta Ssvvihovius supremus Judex Bohemiæ*, maximus in ea familia *Ædificator*, eóque cognomine appellatus, Urbis Dominus, in vicina *Horazdovicio* Arce *Rabi*, quam æterno quodammodo opere, jam antè stantem, denuo Operibus communiverat, circa Annum D. 1494. *Simium* habebat, eâ ætate rarum & portenti simile animal. Fortè Judiciorum caussâ *Pragam* abierat, *Simio* in Arce relicto; is an tædio absentis Domini (cui erat in delicijs) an innatâ generi suo curiositate, Arce furtim elapsus in proximam silvam *Cheinensem* fugit; (*Cheina* pagus est Arci subjectus) colonus ex *Cheina* lignationi suæ intentus, *Simium* in arbore sedentem conspicatus, qui nunquam *Simium* viderat, observatis simij lepidis gestibus, *malum Dæmonem*, qui sibi illuderet, ratus, & sinistrum aliquid ab eo metuens, confestim se dedit in pedes, domúmque cursu contendens, *Dæmonem* in silva apparere vociferatur; commovit ea res *Cheinenses*, secures, dolabras, sudes, stipites, & quidquid rustica ira ad manum habet, rapiunt, & lignatore duce in silvam feruntur; *Simius* ubi armatos in se ire vidit, suspicatus quod erat, altissimæ arboris cacumen conscendit; sub arbore rusticorum Concilium cogitur: *Cacodæmonem* esse omnes consentiunt, magnam igitur apud Dominum gratiam inituros, si *Dæmonem* (quem omnium malorum authorem esse constet) vivum, aut mortuum captivum Domino tradere possint; deliberatio restabat, quomodo, cùm arma ictum procul ferentia deessent, capi posset; arborem secari primùm placuit, sensit *Simius*, & in alteram arborem saltu evasit, hinc cùm securibus peteretur, in aliam atque aliam transilit; sequebantur, nè prædam amitterent *Rustici*, & fustes ac lapides jaciebant, quibus sæpe in caput redeuntibus, non pauci vulnera referebant, quæ velut à Dæmone remissa credebant, donec *Simio* jam & vulneribus & timore debilitato, fortior quidam conscensâ arbore, *Simium* grandi ictu in caput semel, atque iterum enormi fuste percussum dejecit: placuerat quibusdam vitæ parcere, ut gratius munus Domino pararetur, at cùm *Simius* strideret, & tot ictibus irritatus, morsibus, & ungvibus sæviret, nimirum nihil à *Dæmone* tutum sibi fore clamantes, *Simium* vulneribus confecerunt, & ad *Judicem* detulêre mortuum. Interim rumor per viciniam vulgatur: *Dæmonem* in Silvis *Cheinensibus* esse mactatum; venêre spectatum vicini, at nemo admissus, quòd dicerent uni Domino ante omnes id spectaculum servari. Dominum paucis diebus reversum, *Pagi* primores adeunt, aditúque impetrato rem omnem commemorant: fœliciter evenisse, *Dæmonem* mortuum *Cheinæ* servari; in eo jam fuisse, ut evaderet, nisi continenti plurium horarum labore tandem ad terram datus, fuisset; risit hominum stoliditatem; at ubi curru advectum ad Arcem, & ante pedes depositum *Simium* suum agnovit, gravissimè objurgatos è conspectu suo jussit facessere; ac primò verberibus accipi *Legatos* jusserat; postea, ùt erat vir, qui sibi imperare nôsset ac posset, irâ in risum & stupiditatis admirationem versâ, revocatos mulctare obiter statuit: *primum*, inquit, *non alio titulo Pagum vestrum in posterum insigniri volo, quàm stultorum; deinde ut pro Simio, quem ego magnis impensis ex regionibus transmarinis apportari*

Simius pro malo Dæmone stupiditate agrestium habitus occiditur.

tari feci, damnum præstetis, & certam quotannis pecuniæ summam Ærario meo dependatis. Ex eo jam tempore non aliter tota vicinia, libriq; omnes Fundorum, quàm **Bláznivá Cheyna** vocant, éstque in Rationum libris (quod ipse hisce oculis legi) annotatum (strenuéque à Præfectis exigitur) quantum pro *Simio* pendatur, eam pensionem *Simialem* (**Opicj Plat**) hodiéque appellant. Ante sex vel ampliùs annos, cùm Arcem *Rabi* adijssem, eum quoque Pagum accessi, & veráne essent illa de *Simio* timidè quæsivi; vide hominum antiquam simplicitatem! non modò vera esse omnia (ùt jam narravi) affirmârunt, sed plura etiam Majorum suorum stultè dicta & facta recensuêre, maximè cùm me illa publicaturum aliquando audîssent, hâc viâ futurum, ut Pagus suus inclaresceret, & qui propè omnibus ignotus esset, ad famam noménque perveniret: Esse super pagum in colle vicino *Ecclesiam* (quam monstrabant) *S. Jacobi Apostoli* nomine consecratam, adiri incommodè, præsertim in hieme, & quòd extra pagum staret, videri non esse suam. proinde Majores suos consilium cepisse *Ecclesiam* in pagum ex colle deferendi, & catenas primùm ferreas, ac rudentes quàm plurimos circumdedisse *Templo*, totóque pago ad laborem evocato traxisse omnes; etiam jumentis adjunctis; frustra fuisse omnia; inventum tandem unum ex *Cheinensibus*, & *Cheinæ* natum, qui promitteret, si templum elevari posset, se trabes ingentes cum rotis, vel involvulos suppositurum, ut sponte ex colle deorsum deveheretur *Ecclesia*; id consilium ab omnibus fuisse rejectum; quis enim scire posset, in quem locum ex monte ædificium sacrum decursurum esset? quid si in volutabrum pecudum, aut aliquem profanum & fœdum locum, aut popinam devolveretur? ità tum ab opere cessatum; at isti suaves homines ajebant: dolere se, quòd hunc opificem artibus suis uti non sivissent Majores, facilè enim rotas sufflaminari potuisse, nè quò ipsi nollent, néve celeriùs quàm vellent, moverentur, aut longiùs procurrerent. Hæc illi seriò, ego tacitè risi ac discessi; sed aliæ plures de *Cheinensibus* fabulæ (an historiæ?) narrantur, quas hîc omitto. Deniq; suam etiam *Salomoniam* (ùt *Bisselius* Urbem quandam in *Palatinatu* sitam appellat) habent *Bohemi*; sed alia celebris *Urbs* est, ab hujusmodi ineptijs nota, quam hoc loco nihil attinet nominare.

Plura Cheinensiũ stoliditatis exempla.

Bissel. illustria.

CAPUT LX.

Canis Leporem fugiens. Vulpis astutia.



AD venationes, cùm semel cœperimus, relictis *Simijs*, redeamus: Anni decem sunt, quòd rem novam viderim, *Canem* scilicet *Leporis* metu tantùm non emortuum: *Canis* erat candidus, & juvenis, ex minore Canum genere, quales domi ab otiosis fœminis educantur; hic ad venationem nobiscum Domo excurrerat; nunquam *Leporem* viderat, nunquam venatui intererat; excitato *Lepore*, fit, ùt mos est, adhortantium clamor; caniculus noster clamore terretur, circumspicit, videt magnis saltibus emicantem currere in se *Leporem*; viso tam aurito, & truculento scilicet animali, conjicit se in fugam, & planè ita contigit, ut in eam partem *Vertagi Leporem* quoq; impellerent. Fugit *Canis* quantùm potest, & ante *Leporem*

rem, vix præ timore sui compos, cùm se à *Lepore* peti, & jam jam devorandum esse crederet; tandem *Lepus* vertagos fugiens, canem hunc gregarium assequitur (miserabilis casus!) *Canis* extremo consilio humi sese abjicit, quasi vitæ gratiam à *Lepore* petiturus; at Lepus jacentem transilit tanto Canis metu, ut in illo *Leporis* saltu, gemitu & ejulatu sublato, animam mox editurus videretur; risu, qui aderamus, penè sumus emortui. *Leporem* postea captum, & jam mortuum, velut si viveret, & pugnaturus esset, objecimus; diu *Canis*, memor periculi, recusavit pugnam, donec crebrâ *Leporis* in se, ùt putabat, ruentis jactatione irritatus, collectis animis repugnare cœpit, & ubi semel iterúmq; *Leporem* momordit,, omnem metum abjecit, atque imposterum nullum *Leporem* extimuit; quid si tamen *Leporem cornutum* vidisset? proximè visum narravi.

(Ca)nis à Le(po)re vitæ (gra)tiam pe-(ti)t.

Narrabo & aliam, quæ in *Leporum* venatu cum astuta *vulpe* contigit, historiam; cinxeramus magnam silvæ partem ad *Kostelecium* (spectabat tum ea ditio ad *Collegium Societatis JESU Pragense*) ad primam Canum concursitationem *Lepores* in retia coacti hæsêre non pauci, *Vulpem* quoque vidimus excitatam, currentem cum canibus, imò ut solet, etiam latrantem audivimus, neque tamen indagine illâ inventa est, neque quò devenisset ullus dicere potuit; ergo Viritim retiarij, seu retibus custodes appositi monentur, *Vulpem* observarent, cinctam & clausam esse, & necdum evasisse; denuo ad indagandum *Canes* impelluntur, totum quidquid retibus conclusum erat, clamore, verberibus, *Canum* discursu & latratu completur, *Vulpes* nusquam apparet; erat *piscina* modica, quæ eâdem indagine conclusa erat, ego aggerem (si fortè foveam, & latebras haberet) accedo, & ecce aliquid extare ex aquis video (*Anatem silvestrem* credebam) ac *Venatori* per eam viciniam celebri Ssyssina nomine, ostendo; is statim, ùt eruditos in ijs rebus oculos habebat, mi *Pater*, inquit, *Anas est quadrupes*; simul bombardâ genas limat, & *vulpis* caput globulo trajicit; *Canis* secutus ictum, *vulpem* mortuam è piscina extulit. Nimirum *Vulves* astuta, ut lateret, *piscinam* ingressa, stabat in vado, & Aquis sese texerat, uno tantùm, ut spirare posset, ore extante.

Bissel. in ...ria.

Vulpis astutia.

CAPUT LXI.

De eodem ferarum argumento. Quibus feris careat Bohemia. De silvestribus hominibus in Hercynia silva captis. Castores, Lutræ, Fibri, Erinacei. Capreoli & feles silvestres. Cervi. Oves. Sues. Boves. Equi. Tragelaphi. Alce & Bonasus an in Hercynijs silvis habitent? Lynces in Bohemia passim. Aliquid de Sciuris & Taxis. De Pantheris & Ibycibus. Quibus Arboribus Silvæ nostræ constent. Strzemcha quid sit.



Vi de *Animalibus quadrupedibus* tractant, eadem animalia in certas classes claritatis gratiâ dividunt, ùt apud *Plinium*, aliósque Scriptores videre est. Mihi in hoc opere subsecivo, & ut ita dicam subventaneo, properanti, video id necessarium non esse, cùm unum illud propositum habeam, dicere, quæ animalia ex quadrupedibus apud nos nascantur; ac

primùm de mansvetis tractandum esset, deinde de feris; ab utrisque statim me expedirem, universim dicendo: *nullum animal quadrupes reperiri in Germania viventium, quod non etiam gignat Bohemia.* At nobis quædam peculiaria Naturæ Pater DEUS concessit, ut nisi indigentem profiteri me velim, necessariò particulatim quæ-

Quibus feris careat Bohemia. dam cogar adferre. *Leonibus, Monocerote, Elephantis, Simys, Crocodilis, Chamæleonte, Leopardis, Pantherâ, Tigride, Camelis, Onagris,* Evropam, aut saltem *Germaniam* carere, constat

Bubal⁹ vel Bupalus. inter omnes; *Bubalos* Bohemia, nisi fortè inductos, non habet, (habere affirmat *Bartholomæus Anglicus*) an ijs reliqua *Germania* careat, non habeo dicere; carere illis affirmat *Gesnerus.*

Barth. Anglicus l. 15. de Propriet. rer. C. 30.

Gesnerus in Bubalo l. 3.

Vrus. *Urus* (Zubr Bohemis, Awerochs Germanis) quale animal sit, latè explicat *Gesnerus*; apud nos, & in silvis nostris, sed in abditis recessibus, inveniri, ac nominatim in *Silva Hercynia*, nuper probavi. Videatur etiam toties laudatus *Gesnerus* agens de quadrupedibus. Sed quid mirum *Uros*, & alia peregrina animantia in tam densis silvis capi? majus certè & mirabilius censeri debet, quod *Georgius Agricola* de Silvis nostris affirmat: *Alberti*, inquit, *cognomento Magni temporibus in Slavorum silvis* (nostram Hercyniam intelligi constat) *comprehensæ sunt animantes duæ, mas & fæmina, quarum pedes priores manibus, posteriores item pedibus humanis erant similes, eas verò ipse* (Albertus) *putavit esse ex simiarum genere.*

Ge[illegible] in

l. cit.

Silvestres homines.

De *Puero Lechnicensi* (qui ferarum ritu multo tempore in silvis vixerat, & quem Anno 1650. captum, hisce oculis, jam ut ita loquar, silvescentem spectavi non semel, ex quo multa quærendo rescivi) commodior erit narrandi locus libro tertio.

Ursos, Lynces, Apros, Lupos, Cervos, Platycerotes, Capreas, Vulpes, Lepores, Damas, Taxos, Martes, Mustelas, Putorios, Cuniculos, Castores seu Fibros, tum *etiam Lutras*, quotidiana nobis ostendit captura; *Fibris* maximæ abundant ripæ *Aquilæ* fluvij, in Regione, seu *Districtu Reginohradecensi*, quos ferreæ catenæ, & vincula captos tam arctè constringunt, ut prorsus enecent; periculosum est totum hoc negotium: vidi etenim fibrorum loco homines miserabiliter occisos, qui incautè & immemores compedum illorum ad ripas accesserant. De *Castoribus* id mirum dicere possum: geminum *Testiculorum* ordinem sæpe eos habere (quod ipse vidi) sic ut inferiores duo quasi crescentes, novique appareant, alteri superiores velut effæti marcescant, & macrescant, donec esse desinant; sed in hac re affirmanda, nolo *Mathiolo & Aldrovando & Gesnero* sapientior videri.

Fibri.

Castore

Math. in
sc. Aldro
Gesn. l. c

Erinaceorum utrumque genus apud nos reperitur; Gihlawa Bohemis à Gehla, quod est *acus* appellatur; ob eámque causam (quòd dum Urbis mœnia fundarentur, *Erinaceus* repertus sit) Urbem *Iglaviam*, Bohemis Gihlawam, id est *Ericium* dixerunt, ùt disertè tradit *Hagecius.* Erinace

Capreas, sive *Capreolos* silvestres silvæ nostræ alunt permultos, sic ut nulla propè celebrior Venatio sit in altioribus silvis, quæ his careat; aut canibus, & clamore impelluntur in retia, aut quia pertinacissimè silvosis Montibus & Vallibus, quibus semel insveverunt, inhærent, ex insidijs à Venatoribus occiduntur. Caprec silvestr

Feles silvestres in silvis nostris morantur insigni cum clade avium, ac cæterarum ferarum. Feles f stres.

Cervorum, Cervarum, & Aprorum in plerisq; silvis ingens copia in omnibus *Bohemiæ* regionibus, ut taceam *Cervorum & Damarum* vivaria, de quibus jam dixi; in *Podbrscensi* ad montes *Basstini* dictos, & ad Arcem *Zbiroh* (quæ, quòd ibi *Cervorum Cornua* colligantur, appellationẽ habet) pinguissimos totius *Bohemiæ Cervos* esse ferunt. Cervi, Apri. Zbiroh Arx.

Ovium

Oves.

Ovium gregibus ob pascuorum multitudinem & lætitiam abundamus; exigui pretij prædium esse censetur, quod 300. oves non numeret; quin adeò prædia plurima mille ovibus alendis sufficiunt; in multis prædijs (sed hæc inter ditia & opulenta habentur) duo, & plura ovium millia ali solent; complures Dominos *Bohemos* nominare possum, qui quinque millia, sex, septem, octo, imò & duodecim ac plura millia *Ovium* in ditionibus suis numerant. Viginti ovium millia in *Libochovvitz* & in *Patek Ludmilla Sternbergica* nostrâ memoriâ numerabat, eidémque memorabili calamitate tredecim Ovium millia Anno 1654. periisse narrantur. Receptum est in *OEconomia Bohemiæ*, *Ovem* unam, tum ob agnellum quem singulis annis parit, tum ob *Lanam*, tum ob *Caseum* (ut lætamen agrorum taceam, nam totâ æstate sepibus conclusæ in agris degunt, agrósq; lætificant) Domino suo minimùm medij aurei pretium adferre.

Ovium procuratio memoriam excitat cæterarum pecudum, quas humana manus educat, ut *Suum*, *Caprarum*, *Hircorum*, *Vaccarum*, *Boum*, *Equorum*, & si quæ alia inter greges, aut armenta censentur; verbo expediam: communem & eandem cum *vicina Germania* omnium istorum conditionem esse, neque singulare quidquam offerre scribenti. *Suillum pecus* in Provincia *Plsnensi ad Clatoviam*, ob magnitudinem corporum, & facilitatem opimationis habetur in pretio, atque in *Bavariam* ipsam petitur. Sed quid ego unum locum nomino; cui reliqui omnes *Districtus* paria facere possint, in regione silvosa præsertim, ubi diversarum glandium summa feracitas est, atque ùt abessent omnia, adest ubique copia variorum retrimentorum, ex *polenta*, *farina*, ac cæteris, quod est huic pecori gratissimum. *Pernis fumatis*, & carnibus, & piscibus omnium generum in fumario suspensis, & duratis sic abundabat *Vetus Bohemia*, ut *Westphaliam* indubiè provocaret; constat inter historicos, hac unâ dape *Exercitus Bohemicos* vixisse, idque etiam *Zißka*, ùt in *Epitome* narravi, præstitit, qui in direptionibus oppidorum & Urbium, *telas aranearum* (ità fumatas carnes appellabat) uni sibi servari jubebat, his onerabat currus, & Exercitum sustentabat. *Vaccarum armenta* apud nos mirabili raritate aut dote aliqua commendari nunquam audivi; jam *Helveticum boum* genus multis in locis induxère Domini prædiorum, & felici successu. Scio prædia, quæ pro delicijs *Illustrium Matronarum*, alia solis *candidis*, alia *nigris*, alia *rufis*, alia *varijs & multicoloribus* vaccis, instruuntur, neque permisceri eas patiuntur. De *Boum & Equorum* præstantia apud *Majores* nostros, dixi aliquid Capite 44. hujus libri; de *Equilibus Regijs*, ac Procerum, dicetur libro tertio. Nasci, ùt alijs in terris, in *Bohemia Equos Pantherinos* (Armellin) maculis tam nigris, quàm purpureis, aliisque coloribus gratissimè lucentibus, sæpe vidimus: nuper *Florentino Duci* missos Equos maculosos accepimus ex *Equili Regio*, gratum munus, quos *Bohemia* genuerat. Narravit mihi religiosus Vir: vidisse se apud Perillustrem Dominum *Franciscum Scheidler supremum Regni Bohemiæ Scribam*, augustæ speciei (ut ità loqui liceat) *Equum* in ejus ditione natum, maculis distinctum pulcherrimis, mille & ducentorum florenorum pretio æstimatum, qui *Patre* candidissimo, *Matre* castanei coloris prosseminatus erat. Sed domesticis cubilibus relictis, ad *ferarum sæcla* (ut Lucretianè dicam) revertamur.

aranearum dictæ.

Vaccæ & Boves.

Equi.

Eq losi.

Tragelaphus.

Tragelaphum, id est *Hircocervum* (Brandhirsch / Gelens Kozy bradau) quem *Plinius* non alibi, quàm juxta *Phasin* nasci scripserat) in silvis limitaneis Misniæ Bohemiæque inveniri *Georgius Fabricius*, & *Georgius Agricola* demonstrant; ejus effigiem *Conradus*

Gesner. l. 1. in Paralipomenis

Gesnerus in historia Animalium ad vivum expressit: *Hirci* instar *barbatus* est (*Tragelaphus*) sed villi nigri sunt in gutture, & in armis, longi, & nihilominus *Cervi* speciem gerit; est cervo multò crassior & robustior; cervi ipsi color per reliqvum corpus insidet, sed nonnihil tamen nigrescentis, suprema dorsi pars cinerea est, ventris subnigra, non ùt cervi, candida. Aliud item *Cervi* genus habemus, quod ùt cæteri Cervi, cornua non amittit; unde id accidat, *Fabricij* verbis *Gesnerus* rationem reddere conatur. Utrumque hoc cervi genus in nostris degit silvis, *quanquam plures Tragelaphi*, ait Agricola, *in silvis Misnensibus quæ finitimæ sunt Bohemicis* (*imò & in Bohemicis*) *quàm in alijs reperiantur.*

Gesner. l. 1. in Paralipomen.

Alces.

Alcen in Bohemia nunquam vivam vidimus, *Cæsar* tamen l. 6. Commentar. de bello Gallico: *sunt* inquit, *in Hercynia Silva, quæ appellantur Alces &c.* Los Bohemis nominantur, vide quæ de ijs *Gesnerus* notavit, qui in *Prussiæ, Ungariæ & Illyriæ* silvis eas reperiri confirmat.

[illegible]ua lib. 1.

Bonasi.

Bonasos (quos monopes à *Pæonibus* vocari scribit *Ælianus* l. 7.) piloso tauro magnitudine similes, suspicio est in altissimis silvis *Bohemiæ* quondam inventos. Unde enim tam ignoti animalis proprium nomen haberemus? *Bohemi*, ait *Gesnerus*: *Monopedem* seu *Bonasum* vocant *Loni*. Vide quæ in *Gesnero* seqvuntur. Ego neque *Bonasum* unquam animal vidi, nec illud *Loni*, unquam à *Bohemis* audivi.

l. cit.

De Bonaso in Hercynia silva.

Gesnero tamen affirmanti *Bonasos* in nostra Hercynia hospitari, & degere, subscripsit *Bartholomæus Anglicus* lib: 15. c. 30. de rerum proprietatibus: *sunt* inquit, *in Bohemia apri, cervi, capreoli, tragelaphi bubali seu bisontes, & inter has feras est quædam habens magnitudinem bovis. Hæc bestia ferox est, & sæva, & habet magna cornua, & ampla, cum quibus se defendit; sed habet sub mento amplum folliculum, in ipso aquas recolligit, & currendo aquam miro modo in illo folliculo calefacit, quam super venatores seu canes sibi nimis appropinquantes projicit, & quidquid tetigerit, depilat, horribiliter & exurit, & hoc animal linguâ Bohemicâ Bovi nuncupatur.* Bonasum hoc loco ab *Anglico* describi nimis quàm certum est; *duo* tamen observanda venirent: *primum*, corruptè scriptū esse in Anglico *Bovi*, vel *Boni*, *Loni* enim erat scribendum, ùt paulò antè ex *Gesnero* dicebam; *alterum*, folliculum illum sub mento rem fictitiā videri, aliter enim *Bonasum* describens *Aristoteles in Historia animalium* loquitur: *Bonasus, in venatione proluviē alvi vel ad quatuor passus projicit, quo præsidio facilè utitur, & plerumque ità adurit, ut pili insectantium canum adurantur;* ita Aristoteles. Hoc idem facere *Vulpes* in timore, imò & *Lepores* dum capiuntur olidissimos esse ipsemet animadverti, à *vulpibus* verò in fuga *canes* aspergi, & exitialem pilis Canum, quos contigerit, aquam illam esse *Venatores* narrantes audivi; at cur in timore alvi animalium solvantur, & cur etiam exangvia, dum timent, atramentum suum effundant, rationibus ex intima naturæ notitia petitis idem *Aristoteles* multis in locis ingeniosissimè demonstrat. Huic narrationi de *Bonaso timente* ridiculum aliquid subjiciamus ex *Plinio*, cujus hæc sunt verba: *tradunt in Pæonia feram, quæ Bonasus vocatur, equinâ jubâ, cætera tauro similem, fugâ sibi auxiliari, reddentem fimum interdum trium jugerum longitudine, cujus contactus sequentes, ùt ignis, aliquis adurat.* Hem mendacium trium jugerum longitudine! quâ vi causticum illum fimum tam procul jaciat ad 120. passus? quæ ballista, aut catapulta cum tam ignivoma fistula comparari posset? hîc profectò qui *perpetuo risu pulmonē agitare solebat Democritus risu emoreretur.* Optimè igitur censet M. Ant: Muretus, aut *Plinium* palmariter errâsse, aut *librarios* loco trium orgiarum, *trium jugerum* legisse.

Aristoteles Tomo IV. l. 9. de historia Animal. C. 45.

Aristot. l. 4. [de] hist. Animal. C. 1. & in Problemat. sect. 27. de metu. probl. 1. & maximè prob. 1[illegible]

Plin. l. 8. hist. Natur. C. 1[illegible]

M. Ant. Muret. l. 14. Variar. lect. init.

ſe. Ego aliter Plinium excuſari poſſe video, ſi dicamus, Bonaſum fimum illum ad tria jugera non ejaculari, ſed tantùm reddere (ùt ait Plinius) ſeu per humum ſpargere ad tria jugera, quod longè diverſum eſt, cujus contactu Canes ſequentes lædantur, & adurantur.

Lynx. *Lynces* nuper nominaveram, quas in ſilvis ſuis alat *Bohemia*, ea res tam certa eſt, ut in dubium vocari non poſſit: vidi *Lyncem* captam in ſilvis ad *Lipnik* truculentam beſtiam, quæ etſi catenis illigata in ſpectatores ſuos inſilire tentaret; non aliâ ratione, quàm fame edomari potuit, noverat enim nutritorem, cui ſe facilem præbebat, ſic ut etiam manus accedentis lamberet, & quantum is vellet, tractari feritatem ſuam ſineret. Malè agitur cum feris, ſi quam *Lynx* ſilvam, præcipuè cum catulis occupârit, non enim lepuſculos tantùm, aut vulpes, ſed capreolos, imò & cervos venatur, ex arboribus in prædam ſeſe deijciens, & in fuga impeditam collo inhærens ſtrangulat, & occidit; In *Habarticenſibus* ſilvis, quæ Collegio Societatis noſtræ *Clatovienſi* attributæ ſunt, *Lynx* pepererat; tantam confeſtim ſolitudinem ferarum circa ſe fecerat, ut non lepuſculus, non ſilveſtris capreolus, non aper, nè avis quidem, aut attagena, aut urogallus, aut gallina ſilveſtris, conſpici poſſet; ſolitudo mera & triſte ab omnibus minutis, & majuſculis avibus ſilentium aliquot annos tenuit, donec viſa *Lynx* à Viatore; tum cognitum *Lynces* in ijs ſilvis habitare; *Venator* diu indicia ſecutus ſenem *Lyncem* capræ incubantem & avido rictu ſangvinem ſugentem & ob id cæterarum rerum incurioſam glande plumbeâ trajecit; minores partim occiſæ, partim induſtriâ Venatoris diſſipatæ ſunt; ſtatim quies ſilvis reddita, feræque & aves redire cœperunt.

Sciurus. De *Sciuris* ſupervacaneum eſt ſcribere, cùm ſilvæ omnes, nemora, luci, hoc lepidiſſimo animantium genere graventur: ſunt in candido cinerei (ſed hoc rariſſimum) ſunt rutili, ſunt nigri, ſunt rutili cum cinereo, iique frequentes. Certum eſt apud nos *Canum* genus, qui ſciuros & ſentiunt, & latratu produnt, ac dum per arbores ſaliunt, ſubtus ſequuntur latrantes, dum *Venator* adveniens jaculando dejiciat.

Taxum, ſive is *meles*, ſive *Muſtellæ* ſpecies ſit (**Geʒwec**) frequenter capi vidimus, magno cum conatu, ídque mirabile Naturæ donum cenſeri debet, quòd certi ſint *Canes*; qui ad *Taxos* è cavernis extrahendos ſponte Naturæ incitentur. Cùm alij canes, qui adſtant, neque quid agitur intelligant. Taxus.

Pene jurgijs Amicorum adactus, quæ ſequuntur, adjicio: ſcripſeram paulò antè Bohemiam: *Pantheram* non gignere; at quidam contra pugnant, méque ipsâ etiam nomenclaturâ refellere conantur: Lyncem eſſe **Woſtrowid**, quod acutùm tueatur, at *Pantheram* **Rys** appellari *Bohemis*, eáſque feras procul diſtare, feram verò **Rys** dictam, etſi rariùs, aliquando tamen in ſilvis noſtris hoſpitari. Narrant *Ziampachij*: Anno 1667. *Pantheram* (**Rys**) occiſam à Venatore optimo, qui bellè utrumque genus noſſet: pellem occiſæ belluæ pro vera & germana *Pantherina* agnitam ab omnibus, qui unquam *Pantheram* vidiſſent. R. P. *Danieli Krupsky* Societatis JESU Provinciali per id tempus Bohemiæ, donatam, atque illum velut rarum & pretioſum munus Illuſtriſſimo Comiti *Franciſco de Colovvrat*, ſupremo Moraviæ Capitaneo obtuliſſe. Alteram quoque *Pantheram*, ſed juvenem ad *Clatoviam* captam in ſilvis à Venatore ferarum peritiſſimo & inter feras à prima ætate verſato; cui narranti cùm *Sacerdos* noſter objiceret, *Lyncem* forſan fuiſſe, illum indignantem reſpondiſſe; *Lynces multas ſe vidiſſe*, *Pantheras pauciſſimas*; magnum eſſe inter eas diſcrimen, Pantheræ Bohemicę.

men, magnitudinis, venustatis, sævitiæ & feritatis, longitudinis & virium, quæ omnia in Pantherino genere magis elucerent. Adjecit narrationi: *Pantheram* illam cùm adolevisset, nunquam cicurari potuisse, sed in custodem facto semel impetu insiliisse, & accursu famulorum multis vulneribus esse confectam. Hæc illi. Ego perinde habeo quidquid fuerit; forsitan mixtum aliquod ex feris genus evasit: nam ejusmodi feræ, ùt *Pardi*, *Lynces*, *Tygrides*, & omne *Varium* sæpissimè conjugijs inæqualibus implicatur. Talem quoq; *Pantheram* fuisse contendunt, quæ in silvis *Waldsteiniorum Comitum ad Hradek* occisa sit; quam & capi rarissimè, & captam mali ominis esse *Venatores Patri* nostro, à quo istud accepi, confirmabant. Alterum quod suggerebant adhuc timidiùs scribo; *Ibyces* seu *Rupicapras* (Kamzyky) quales in *Tirolensibus* scopulis, aliquando ad *Tustam* in silvis stantes, fugientes, séque præcipitantes videri; adferunt testimonia *Civium Tustensium*, ac præsertim *R. P. Joannem Molitoris* è Societate nostra *Tustæ* natum, à quo istud audiverint, commemorant. Ego dum certiora adferantur, nihil affirmo. Potuit errore aliquo, vel venaturam fugiens animal, ipso propè vento rapidius, in *Bohemiam* per continentes *Bavariæ*, *Austriæ*, *Styriæq;* silvas ad nos deferri,

De Ibycibus.

& *Hercyniæ silvæ* horrorem adamare; potuerunt & observatores illi *Tustenses Capreolorum & Damularum* aspectibus decipi; viderint qui post me ista describent. Postularet hic locus, ut aliquid de *silvis* adferamus: non pauca initio libri de *Hercynia*, déque alijs *Bohemiæ* silvis, & arboribus dicta sunt, item de *Montibus*, quorum paucissimi apud nos calvescunt brevissimè expediam: communè ferè cùm cæteris *Germaniæ* silvis *Nostrarum* esse naturam, neque facilè nominari arbores, quas non gignat *Bohemia*: *Taxi*, *Fraxini* (& hæ tantâ crassitie, ut ex ijs orbes mensarum & pocula conficiantur) *Platani*, *Carpini*, *Populi albæ & nigræ*, *Acer*, aliǽque similes spontè proveniunt; *Quercu*, *Abiete*, *Piceâ*, *Pinu*, *Pinastro*, *Fago*, *Orno*, *Alno*, *Larice* (hæc tamen est rarior) *Tilijs &c.* silvæ nostræ constant. Ad silvarum fines in declivi, & propter viam crescit media inter arborem & fructicem (Střemcha dicimus, quo nomine latino, appellem nescio) odore jucundissimo, vi non nihil adstringente prædita, vere adulto plena albis floribus instar botrorum sed paululum longioribus & subtilioribus; negant eam extra *Bohemiam* & vicinam nobis *Moraviam & Silesiam* reperiri; diligèntius res examinanda erit, nam mihi non vacabat, cùm ad Typum properaret liber, his diutiùs immorari.

Arbores silvis nostris.

Strzemcl.

CAPUT LXII.

Canum brevis commendatio; mira in ijs naturæ varietas. Venatici Canes in Bohemia laudatissimi, eorum in Venatione societas & astutia. De canum ingenio. ingeniosa cujusdam Canis furacitas.

Canes.



Axi & Sciuri, quos modò nominaveram, & certum *Canum* genus inimicum habere dixerã, historia, animalis (quanta inter feras esse potest) prudentissimi & solertissimi (*Canis* videlicet) mentionem aliquam cogit injicere, nè laude suâ & commendatione debitâ fraudentur.

Conti-

Continua illa cum hominibus *Canum* familiaritas, penes nos educatio, nostrî amor, disciplina, affectus, & quædam virtutes canino illi generi innatæ (ut invidia in æmulos, fides in heros, memoria, vigilantia, obsequij studium singulare, aliquis humanæ voluntatis intellectus, stimulante præsertim fame, & inimici præsentiâ, & quòd sine nobis esse non possunt) ingenium illis exacuunt: ut meritò *Aristoteles* omnium animalium quadrupedum ingeniosissimum esse *Canem*, in divinis suis de *Historia Animalium libris* posuerit, nè elephanto quidem excepto; sola fortasse *Simia* dubiam ingenij, memoriæ, & prudentiæ palmam, ùt ego existimo, facere posset. Sed mihi in hac tractatione laudationem *Canum* persequi otium non est; quod ad rem nostram facit, aio: nullam esse *Canum* speciem, quam *Bohemia* desideret. Vidi *Anglicanos Molossos* à Nostris canibus grandibus apud nos natis (qui laniones comitantur) superatos; ijdem *Tauros, & Boves, & Apros* retinent, si auriculam (Aussko) patriâ voce Lanio inclamârit; apprehensum enim Aure *Bovem*, aut *Aprum* mordicus, deducunt in terram. Vidi *Canis* cum *Urso* certamen utroque pereunte, cùm *Canis Ursum* naribus prehensum quodammodo strangularet, & *Ursus* extremo in periculo ventrem *Canis* compressisset; priùs tamen Ursus in Canis solatium expiravit. Sunt ex *Canum* genere, qui se mulceri nullâ manu patiantur, & si quis attentet pro summa injuria accipiant, & insiliant in mulcentes implacabiliter irati. Nascuntur apud nos *Canes* ad *Sciuros*, ad *Taxos* (ut antè dixi) ad *Aves*, ùt *Alaudas*, *Perdices* &c. cujus rei in *Canibus* ingenium ex oculis petitur, qui *perdicum*, aut aliarum volucrum, ad quas nascuntur, simillimi sunt. qui ad *Taxos* maximè idonei sunt, vix ullâ aliâ dote commendantur, obesi, informes, ventre pigri, sed ijdem ungvibus primorum pedum validi; fossionibus scilicet â natura destinati.

Canis inter quadrupedia ingeniosissimus.

Ursi & Canis certamen.

Canis natura plerumque ex oculis noscitur.

Docilitas omnibus in suo genere summa: in paterna domo habuisse nos *Canem* recordor, qui *Perdices* in milio sedentes in retia impelleret, cui fasciculum clavium inserebamus in os, quas ille identidem concutiebat, per milij agrum incedens lenissimè, nè obturbaret aliquid, & tamen currentes temere *Perdices* retibus illigaret. *Venatici Canes*, me puero, *in Reginohradecensi Provincia* commendabantur, maximè qui ex *Trczkarum Canibus* genus ducebant (*Lipnicio, Smirzicio, Svvietlâ &c.*) ante paucos annos audivi sese jactantem Illustrissimum ex Bohemiæ Proceribus, qui suorum *Vertagorum* genus ex *Trczkianis* descendere gloriabatur; idem ille *Viennam* misisse ex Canibus suis mihi narrabat, qui summam ibi commendationem ex pernicitate in leporum venatione retulerint. *Chlumecij*, ubi venaticorum ingens ob ferarum multitudinem numerus alitur, bini semper (hujus & illius sexûs) *Vertagi* loris illigantur, qui excitato *lepore* dimissi (quod ipse non semel observavi jucundissimo spectaculo) sibi mutuò, sociali quadam charitate, prædam impellunt: alter enim rectâ in *leporem*, aut *vulpem* fertur; alter qui *Leporem* in fuga declinaturum suspicatur, summâ pernicitate contendit, nè *Lepus*, maximè in silvas, receptum habere possit. Satis de venaticis. Domesticos canes ad aspectum viles aliquot novi apud nos, qui *Equestrem Scholam* totam, id est Equorum gyros, & artificia omnia memoriter didicerant, & terminis (ut sic dicam) & vocabulis artis Equestris admoniti, repræsentabant strenuè. Pauci anni sunt, *Pragæ* insignis Equorum agitator, & totâ Urbe veteri notissimus, *Caniculum* habebat, *Equos* qui in scholæ pulvere exercebantur quotidie sequentem, & cùm *Equi* modò in gyrum flecterentur, modò quadrupedante pedum sonitu terram quaterent, modò elatis ante-

Canis ad perdices.

Canes venatici optimi unde petebantur.

Canes de Schola.

anterioribus pedibus saltuatim ire juberentur, modò excussis ultimis pedibus, vel toto corpore in auras sublato incitarentur, aliásque docerentur artes, sequebatur, ùt dixi, *Caniculus*, eadémque omnia, quæ ante se ab *Equis* fieri videbat, præstabat fæliciter, neque sibi minùs quàm *Equis* monita & imperia dari credebat, toto Spectatorum choro laudante & plaudente. Sed jucundiùs erat fessum *Canem* aspicere: tum enim peragebat ille quidem quod monebatur, at caudâ sub clunes dejectâ, velut ad laborem *Rustici*, tristi vultu, nonnunquam subclaudicando, trahebatur invitus. Novi Canem *Samuram* nomine, qui cùm in obsequium cujusdam Sacerdotis venisset, præter alia ingenij sui documenta, omnes Amicos heri sui in communitate maxima sagacissimè internoscebat, & quos Domino suo adversari (nescio unde) collegerat, allatrabat, mordebat, alios amicos Domini salutabat, allambebat, & dum aliquid jacerent, referebat, cùm alteros nec dignaretur audire.

Canes rotâ in culinam versantes.

In Collegio Crumloviensi Anno 1650. Canes duos habebat *Culina*, qui rotis quibusdam inclusi carnes assandas versabant. difficile id opus illis calor vicinus faciebat; dici non potest, quas illi latebras, & diverticula post meridiem quærerent, quàm furtivè eo tempore ex Collegio evaderent, maximè *die Dominico* post esuriales duos dies; cùm tamen extra periculum, pedibus omnibus extensis jacêrent in via. Sed nihil istorum astutia ad nequitiam alterius Canis,

Canis singulari nequitiâ.

quem in eodem *Collegio Crumloviensi* postea Anno 1663. cum summa admiratione mea & omnium Nostrorum spectavi, & furtis sese & artibus alentem sæpius deprehendi. Coloris erat (quod in Canibus perrarum) grisei, maculosus tamen, rufis maculis quasi à Natura ipsa signatus, pilo vix ullo, præsertim in capite notabili calvitie (unde & *Poëtæ fraudes calvorum* meritò insectantur) vultus ad quandam gravitatem compositus, nulla cum cæteris canibus familiaritas, hominum oculos intueri solebat plerumque, voracitatis nomen maximè vitabat, adeò ut etiam quæ offerebat *Cocus*, quasi cum quodam fastidio gustaret; interim aliud ipse quærebat nihil, quàm *Coci* à culina absentiam, ut in ollas, & vascula carnium dominari posset; quod sæpissime fæliciter est adeptus. Sed (ùt furibus nonnunquam contingit) malè ipsi negotium memini processisse: nam aliquando cùm *Cocus* abiisset, & *Canis* properans in focum insiliisset, gustatis quibusdam quæ jacebant obvia, ad ollam angustam & longo collo, jure ferventi plenissimam caput immisit. At ecce subitò *Cocus* adest: *Canis* timore, qui rationem etiam humanam pervertit, oblitus caput rectâ ex olla extrahere, ollam ipsam elevat, totúmque sibi caput, & pectus, & primos pedes jure fervidissimo perfundit. Quid *Cocus* ageret? rapto, quod temere jacebat, ligni fragmento, *Canem* probè dedolat, & depectit, atque illam in capite *Canis ollam* confringit. Tum iste deprehensus, capto in area consilio, ex foco desilit in solum, & quantum potuit terræ sese affigit, & quasi pœnam ultro deposceret, mirabili & Spartanâ patientiâ, omnia irati *Coci* verbera æquissimè, exiguo tantùm subinde edito gemitu, toleravit, donec ipsemet *Cocus*, viso tam raro tolerantiæ exemplo, finem faceret verberandi; tum *Canis* consurgens, manus *Coci* lingere, blandiri, & miris gestibus quodammodo Misericordiam, & pacem orare, ut denique exoratus, demulso capite, & derterso ferventi jusculo, pacem dederit. Nec tamen *Canis* postea desijt furari, sed cautiùs agebat, maximè nè in ollam ferventem unquam caput insereret, cavebat. Quod sequitur prorsus ridiculum est, & à me & à millibus hominum visum: solebat idem *Canis*, jam à furtis toto *Crumlovio* notissimus, observare tempora,

pora, ac præcipuè diebus Dominicis, & festis, cùm Cives & domestici relictâ domi fortassis unâ aliquâ ancillulâ, ad audienda Sacra & Conciones ad *Ecclesias* se conferrent, domos Civium semiclausas obire, & pertentare, si quod furtum ligurire posset. Ergo die quadam *SS. Corporis Christi*, quâ Populus omnis in fora & compita effusus solennem supplicationem celebrat, in domo Judicis (Sporeigl nomine) solitudine animadversâ, *cocâ* tantulo intervallo abeunte, *Culinam* ingreditur; & quia assam carnem veru transfixam & ad ignem applicatam invenerat, desperans tantum se otij habiturum, ut securè vesci posset, & quod *assum* erat detruncare, nihil cunctatus, ipso *Veru* cum carne affixa rapto, furtum suum ferens, domo effugit, & *Processioni*, quæ ducebatur, in foro occurrit. risus, indignatio, clamor in Populo; *Canis* nihil conterritus, & veru mordicus apprehensum post se trahens, rectà in *Collegium* properans, velut ad asylum effugit, & assariâ dape refectus, opiparè pransus, *veru* humi jacens reliquit. Hæc de *Cane Crumloviensi*, qui sæpe domi malè multatus, modò ferventi aquâ perfusus, modò pede claudus, modò vulnerato capite redibat; donec plurimis accusantibus, & furtorum plurimorum convictus, *Carnifici* ad supplicium omnibus sententijs (cùm nullam emendationem malefica natura promitteret) dederetur. Plura de *Canum* ingenijs adducere possem, si id ageretur; hæc paucula adduxi, nè memoria facti tam nobilis interiret.

Aliud perfectissimæ nequitiæ exemplum.

***

CAPUT LXIII.

De Lassicio, & Mure Pontico. Mures nucilegi. Mus araneus quid sit. Mustelarum varia genera. De Marte vel Martalo; Martali ingenio quàm bene sciverit uti quidam OEconomus.



Mures.

Murium genera enumerare piget; omnia apud nos inveniri, ex *Agricola de animantibus subterraneis* scribente, facilè datur intelligi. *Murem*, quem ille vocat *Lassicium* (sed *Mustelæ* species est, Lasÿcka nobis) sæpe in domibus fugientem vidi. Vidi & aliud animal *Giczinÿ* sub fenestris cubiculi mei, *sciuri* magnitudine, quod nivis instar candebat, exceptâ caudulâ digitum longâ, cujus inferior pars erat nigerrima; hoc animalculum sæpe vidi, dum & hortum subiret, & in horto avibus, ùt reor, insidiaretur; crederem *Murem Ponticum*, quem vocant *Hermelam*, fuisse, cùm ei omnis *Hermelæ* descriptio, quam adducit *Agricola*, conveniat.

Lassicij.

Hermelæ.

Mus silvestris, & *Sorex* mure isto longior, res est omnibus nota; magno puerorum villaticorum studio cubilia *Soricum* & *Murium* in Autumno quæruntur; omnes nidi avellanis nucibus referti sunt, & quidem nulla cassa nux est, ut liquidò jurare quodammodo possis, probas esse omnes.

Mus silvestris.

Sorex.

Memini, dum in *Missionibus Apostolicis* per *Bohemiam*, ante annos propè tricenos, huc atque illuc commearem, oblatos mihi à pueris grandes *Nucum* hujusmodi saccos, oppido ponderosos, quos illi periti rerum hujusmodi ex nidis *Sciurorum*, *murium*, *soricúmque* collegerant; eam nucum mul-

Nuces probatissimæ in Sciurorũ Murium, & Soricum cavis.

multitudinem sæpe pueris reddidi, sæpe præsente pretio emi, sæpe ad Amicos & vicina Societatis nostræ *Collegia* misi, gratum utique munus.

Mus araneus.

De Mure araneo Nostri Scriptores disputant: *Weleslavinus* existimat esse *Lassicium*, aut *Mustelam* (Kolčawa/Lasyce) *Agricola* ait esse murem domesticum (Spitzmaus) muri æqualem, sed colore mustelino, id est, in fusco subruffo, excepto ventre, qui ex cinereo albicet; *rostellum* habere longiusculum, in utraque maxilla *dentes*, qui in bifidos mucrones desinant, unde animantes ab eo morsas quadrifida vulnera accipere; ocellos habere minutulos, & nigros; caudam brevem; ejus morsum in calidis regionibus plerumque esse pestiferum, in frigidis non esse. Infinitus forem, si describere velim omnia; legatur *Plinius*, legatur *Agricola*, *&c.* utut sit, utrumque in *Bohemia Muris* hujusce genus reperitur.

Agricola l. de subterraneis animantibus. Idem sentit Mathiolus in Dioscoridem.

Mustelæ, & earum genera.

Mustelarum genera aliquot nobis sunt: domesticum (Kolčawa, Wisel) silvestre (Thor Bohemis, Iltiß Germanis, Latinis Ictis, viverra, aut putorius, quanquam *Agricola* Putorios à Viverris distingvit) olidum animal, sic ut fætentem instar Ictidis fætere dicamus. Tertium genus, *Martes* vel *Martalus* (à Germanis Marder nominatur, Kuna Bohemis) hujus totum corpus pilis in fulvo subnigris vestitur, excepto gutture quod candidum est. Si *martes* cicuratur, nihil illâ jucundius esse potest: saccum, & sinum subit, per capita sedentium salit, & super mensas vitrorum plenissimas innoxiè ludit; in *Novodomensi & Crumloviensi Collegio* Martes alebamus, quibus nihil astutius, ac simul lætius vidisses: condus promus noster in *Collegio Crumloviensi*, quoties ova emeret (quod hisce oculis vidi) *Marti* singula ovorum paria offerebat, primo aspectu quæ proba essent, aut quæ vetera & malè olentia, deprehendebat *Martes*, rejiciebat antiqua, proba servabat; rursus œconomus aliud par ovorum objiciebat; quæ *Martes* accumulabat suis, omnia plena erant, & recentia, sic ut nè in uno quidem falleretur; omnibus objectis, & examinatis, *Ova proba* emebat, altera, quæ reprobârat, reddebat venditori. Aliud quoque spectaculum mihi videre contigit: in *Collegio S. JESU Pragensi*, medio Autumno, vespere, & Sole cadente, quinq; *Martes* per summum *Ecclesiæ S. Clementis* tectum procedebant, quarum singulæ ovum ore tenebant; mirificè nos omnes exhilaravit hic *Martium*, ova tam innoxiè ore prementium aspectus. id circa Annum 1644. contigisse reor, si bene memini.

Martes.

CAPUT LXIV.

De Salamandra, & quibusdam insectis. Scorpiones in Bohemia reperiri; item Serpentes coronatos. Aliquando & Draconem apud nos repertum. Cicindelæ.

Salamādra.



Alamandram animal quadrupes lacertæ figurâ, quod propter frigus, ignem non aliter, ac glacies extingvit (quomodo etiam ova serpentûm in ignem camini injecta, flammam solent extingvere) in fodinis ad *Vallem Joachimicam* reperiri, testatur *Agricola*, *& Schnebergæ* maximâ *Salamandrarum* vim agglomeratâ repertâ narrat A. 1556. ac nè quid fabulosi in *Salamandra* suspicère, totam ejus effigiē diligenter, accuratéq; describit.

Agric: lib. de subterraneis animalib.

Inse-

Insecta. *Insectorum* inter animantia ultima mentio fieri solet; estque memorabile satis, *Bohemis* propè omnia, quæ in *Europa* nominari solent (*Tarantulis* aliisque hujusmodi insectis, quæ propriæ Regionum sunt, ùt illæ *Apuliæ*) nota esse: *Scorpiones* etsi neque tanto numero, neque præstantiâ veneni pares, habemus, ùt affirmant Scriptores; in magnis tamen æstatis ardoribus *Pragæ* A. 1644. memini me vidisse *Scorpiones* modò natos *Pragæ*, & ad *Collegium* allatos, quos maximus Medicus Marcus pro legitimis & venenatissimis me præsente probavit.

Serpentes. *Serpentes*, etiam coronatos, & diadematos in *Bohemia* vidère permulti; cristam ejusmodi vel diadema de serpente apud se esse gloriatur *Tannerus*. Not. Vestig. ... h. Pæ. Draco Brunensis ex Bohemia. *Brunæ* in primo Curiæ aditu sub fornice suspensus *Draco* monstratur, horridus squammis, maculis tristè lucentibus, longus (si post tot annos meminisse possum) facilè senos cubitos; eum ex *Bohemia* allatum, & civitati donatum raro munere, vetera monimenta testantur; ac nominatim in *Jaromirensi Curia* servatur liber vetustissimo scripturæ genere, qui *Schatzlerianæ* Arcis historiam continet, ubi illud disertè legitur, anno, locísque signatis, ubi is *Draco*, ad Arcem *Schatzler*, ùt dicebam, eductus, ubi & à quibus necatus sit, ut derogare fidem, nisi quis quid fides humana sit nesciat, nemo possit.

An sit Crocodilus. Sunt tamen, qui *Draconem* hunc *Brunensem* ex proximo contemplati, *Crocodilum* esse existiment, quòd caudatus, & cataphractus tergore videatur. Ego crediderim in hujusmodi venenatis, quæ plerumque ex putri nascuntur, naturam varietate ludere, neque semper gignendo terère constantiam. Quàm multa *Serpentum* & *Draconum* discrimina videmus depicta ad vivum, vel descripta legimus! consule quæ in *Mundo subterraneo de Serpentibus accipitrino vel Aquilino capite* disputat *Kircherus*. Potuit igitur *Draco* ille *Brunensis* tergore loricato nasci, potuit antiquitate tot sæculorum, ab Anno 1100. perire; cui postea *Brunenses Crocodilum* aliunde acceptum substituerint.

Agric. lib. ... subterran. animalib.

Cicindelæ muscarum genus est, *Noctilucas* possemus dicere; nocte lucent, in silvis circumvolitant, modò conquiescunt, semper hilari voce. Credo eas in plerisque silvosis Regionibus reperiri, ideóque descriptione supersedendum est. Cicindelæ.

Rarum istud, & nulli satis cognitum, quod Vir Religiosus testis oculatus, atque omni exceptione major, P. *Joannes Tanner* è Societate nostra mihi nuper adeò narravit: *Cenchrides*, quæ magno numero in turribus Arcis *Carlsteinensis* nidificant, & congerunt, ex vicinis montibus & cavernis ad nidos adferre sibi ac suis quoddam grande *Insectorum* genus, nunquam alibi locorum visum ab ullo (incolæ gravi errore, & inscitiâ (Stjr) *Scorpionem* appellant) *Caput* habet testudinis instar, nudum, reliqvum *corpus* oblongum, nullâ crustâ, nullâ cochleâ contectum; flavescit lurido colore totum hujus Insecti vel animalis corpus; *pedes* sunt quaterni; cauda non qualis testudini, sed ingens porrigitur, ad latitudinem facilè trium digitorum, crassa & informis; totius corporis à capite usque ad extremam caudam longitudo *mediam ulnam Pragensem* & ampliùs æquat. Optarem videre eos, qui hæc intelligunt, ut aliquid certi de natura hujus *Insecti* posset constitui; mihi testudineum hoc genus peregrinum & suâ domo carens, videre nunquam contigit. Insectū Carlsteinense.

(+)

CAPUT LXV.

Ingressus in historiam Avium. Aquilarum captura in Monte Zrzit; quà ratione peragatur. Falcones Bohemici generosi. Trappi seu Otides in Bohemia capiuntur.

Maximæ inter Ornithologos quæstiones de Nominibus Avium moventur.



Video quàm difficilem Provinciam ingredior, & quàm in lubrico & periculoso gradu Historia mea consistit; tantæ enim in *Avibus* percensendis controversiæ à scriptoribus excitantur, ut media earum pars dubijs nominibus appelletur, ac fortè cùm *Graculum* vocavero, *Monedulam* mihi quispiam supponet, pro *Tinunculo Galgulum*, pro *Garrulo Ampelidem*. Facilè his Avium curis prævertí, & in ipso dissertationis principio finem facere possem, si Lectorem meum frustrari, & aliò mittere vellem: *Georgius Gallus* Poëta Bohemus, Anno 1614. libello edito, quasdam Aves, quæ aëre nostro vivunt, & volaticâ illâ voluptate motantur, & pendent, versibus oppidò elegantibus vario insuper carminum & Poëseos genere celebravit; eum igitur sibi comparent, qui *Aves* nostras scire, & nosse voluerint. At neque *Gallus* complexus est omnes, neque ego deserere Legentes honestum mihi fore crederem: mâlo, ut me minus peritum & cum multis errantem, quàm infidum & prævaricatorem *Lector* existimet. jacta est alea.

Aquilarum captura.

Ab *Aquilis* regium capiatur auspicium: Est *Mons*, ut ita dicam, Mediterraneus ad *Raudnicium* (quem jam sæpius nominavi, & quia memoranda quædam continet, sæpius nominabo) *Zrzit* aut *Zrzip*, vulgus ob Sacellum, quod in vertice Montis sedet, *S. Georgij montem* appellant; circum eum Montem plana omnia ad milliaria non pauca, agri consiti hortulorum & pulvillorum hortensium instar ex monte spectantur, mons æmulus nullus, denique aptissimus avibus prædatricibus, omni generi *Accipitrum & Aquilis*, quæ ibi in dorsis saxorum confidentes, & ex alto speculantes, in prædam sese dejiciunt; & quia silvæ absunt & nemora, quibus se aves timidæ contegant, impunè & securè grassantur in minores. Accedit, quòd calvis *Montibus*, & rupibus, & incultis locis *Aquilæ* oblectari ferantur; tandem, cùm per *Bohemicum* Cœlum sæpe illis iter sit, & quietem aliquando capere oporteat, in hoc monte saxeo nullis arbitris, qui interturbarent, sedentes conquiescunt.

Descriptio Aucupij Aquilini in Monte Zrzip.

Audieram pridem in eo *Monte Burgundum* quendam Casam sibi struxisse capiendis majorum gentium *Avibus*, itaque nullo comite (nè quid turbarum in aucupio darem) ex villa *Ctinovves*, quam tum *Collegium Pragense* ditione tenebat, montem conscendo; ubi ad meridionalem plagam vertiiter, etsi labyrinthus fuisset, errare non poteram; tot fila per terram, & per dorsa saxorum hinc inde repentia ad *Aucupem* me duxêre; ille casâ egreditur; appello hominem comiter, & humanissimam refero salutem; jubet continuò subire latebras, esse spem maximam fœlicis aucupij; vix casam intraveram, jam illecebræ, & aves illices, quas in diversis scopulis disposuerat, stridorem tollunt, nunciántque *Aucupi* prædam adesse. Erat *Aquila* medij generis, quæ cùm subjectas Aves vescentes videret, & ipsa fameret, eripere cibum *Avi* illigatæ statuerat; itaque post multos orbes & rotatus in aëre confectos (quod me ut spectarem, *Burgundus* digitorum silentio monebat) repentè summo impe-

impetu in minimum Accipitris genus (Woſtřjžek noſtri vocant) cadens ex alto devehitur; vidit hoc *Auceps*, & momentò, tracto fune, *Aquilam*, cùm jam propter impetum, arbitrium ſui non haberet, retibus involvit. Læti uterque excurrimus, ego ob novitatem ſpectaculi, ille ob prædam: apparuit *Aquila*, quam evolutam retibus, rurſúsque aptatis ad inſidias rebus omnibus, quòd eſſe nimis ſenem diceret, *Auceps* infixâ in caput plumulâ mactavit; aperto deinde pectore, & extractis interaneis, in partes tribuit, alióque in loco *Cor*, alio *Stomachum*, alio alia, & quod pingve foret, ſepoſuit, ſingula cui bono ſervata forent explicans latiſſimè. Tum commodum tempus mihi viſum eſt quærendi; quæro unde eſſet, quid veniſſet? reſpondit ſe *Burgundum* eſſe, *Patrem* quoque ſuum hîc loci *Aucupium* habuiſſe; fratrem ſibi eſſe, qui itidem in *Bohemia* ad *Launam* Civitatem in alto monte, ſimilem huic exerceret capturam; jam ſexdecim & pluribus annis omni vere & æſtate aucupamur, autumno adulto in *Burgundiam* redimus, hiemem domi exigimus, rurſúsque vere *Bohemiam* repetimus; ego diebus totis in monte hoc verſor, veſpere & nocte in vicino pago (quem digito indicabat) quieſco. Quæro iterum: quid *Aucupium* illud utilitatis haberet, cui Aquilas ſervaret? mihi reſpondet: nec *Accipiter*, nec *Aquila*, nec *milvi* cari ſunt, ſed neceſſariò conſilio capere cogor, propterea quòd *aves* meas tundunt, & mactant; votum unicum mihi, & fratri ſunt, *Falcones cæruleis pedibus*, maximè juvenculi, quos erudimus, & jam eruditos *Regibus* ac ſummis *Principibus* vendimus: plerique, inquit, meliores *Falcones*, quos nunc habet *Rex Galliæ*, *Rex Hiſpaniæ*, *& Imperator*, *tum Italiæ Principes*, ex noſtra diſciplina prodierunt; *Falco Bohemicus*, maximè docilis eſt, ſummus amator hominum, generoſus & audax, qui neque morte abſterreatur, & æmulas etiam maximas aves aggredi non timeat. At frater meus ad *Launam* non tantùm prædatrices (Blauſiſch ille generali nomine ſemper appellabat) capit, ſed etiam *Trappen* Aves omnium maximas, unde etiam ad eas capiendas ſocios alit. Hîc ego interfatus, negavi me ſcire quid *Trappen* ſint; repoſuit: Aves eſſe omni *Urogallo*, *Ciconiâ*, *Aquilâ*, *&* *Anſere* majores; ſine æſtatis aut primo autumno, ex Barbaria in *Bohemiam* advolare, cùm reliqua ſata demeſſa ſunt, & *Avena* maturuit; plumis eſſe verſicoloribus (deſcribebat avim totam, nec omnium meminiſſe poſſum) parvos habere pedes, & ventre, & pingvi omaſo propè humum verrere, contrà alas habere longiſſimas: ergo inquit, cùm in agro conſederint, inter dumeta propinqua latemus, dum paſcendo pigriores & graviores fiant, tum quisque ſibi unam hujusmodi *Avim* deſignamus, & unâ omnes exilimus, & curſu quàm rapido poſſumus, quiſque ad ſuam, & ſibi deſtinatam *Avim* contendimus; illæ, re animadverſâ, ſtatim tentant volatum, ſed quia graviores paſtu ſunt redditæ, & longioribus alis præditæ, timore ipſas alas quaſi implicante, quædam librare ſe tam citò in auras non poſſunt, & hæ à nobis capiuntur; quæ citiùs expedire volatum potuerint, evadunt. Caro ad eſú optimi ſaporis; at plumæ quibus avis gratioſiſſimè depingitur, decerptæ, maximè in uropygio & alis, pretium aucupi grande parant; ſiquidem eæ ſunt, quas in pileis & mitris *Poloni*, *Ungari*, tum *Aſiæ* populi univerſi imponunt, & ſæpe gemmâ aliquâ lucidâ coërcent. Rem ipſam ego intellexi, ſed latinum nomen *Avis*, antè quàm *Aldrovandum* inſpicerem, invenire non potui. De his *Trappis* (quas Illyricè *Droſas* ait vocari) latè agit *Aldrovandus* l. 13. c. 12. *& tardas otides* appellat. Dum ergo in hunc modum ſermones cædimus, & de *Avibus* primùm, mox de rebus *Burgundicis*

Deſcrip. Aucupii Aquilini in Monte Zrzip.

Falconum captura.

Falcones Bohemici præſtantes.

Quid ſint Trappen, quæ ad nos advolant.

In Ornithologia.

dicis confabulamur, rurſus *Aves* indicium faciunt, hoſpites adeſſe; ad caſulæ feneſtram ramis undique contectam *Burgundus* accurrit, mihíque inſibilat. *Falco* circinabat aërem ſolitis ambagibus, ſed cùm unam avium ſcopulo affixam impetit, elevatis ùt antè retibus excipitur; *Falconem* viventem, integrum, vividum, juvenem, virium robuſtarum (quod *Burgundus* ex laterum firmitate, & alis mihi probabat) cepimus, quem ille ſtatim obnupto capite in caveam ad hoc paratam viventem inſeruit; tum capturæ modum explicare aggreſſus ſcopulos & aves oſtendit. Eſt autem hæc ratio, quam breviſſimè exponam: In multis montis illius ſcopulis & rupibus quæ humo extant, parte orientali, & Meridionali, *Aves* impoſuerat minimi accipitris genus, ùt antè dixi **Woſtřjžek**/ quod alaudis maximè imminet, tum etiam *Picos* parvulos (**Strakoſs**/ **Strakopaud** *Bohemi* dicimus) ante ſingulos carnes crudas, aut avim, aliámve eſcam alligat ſaxo; avis ipſa pedibus furculæ illigatur, quam auceps ex caſa per funem, quoties lubet, movere poteſt ſic, ut elevetur avis, atque iterum in eundem locum decidat in rupem; nam ex omnibus illis ſcopulis ad caſam uſquè ſuam deductos funes traxerat binos: alterű, quo furca cum avi elevabatur; alterum, quo retia tollebat, totúmque ſcopulum retibus integebat. Igitur cùm *Aquila* aut *Falco* ſupernè conſpicitur, cùm appeti timeant qui ſedent in rupe parvi accipitres & pici, aut ſtridore, aut jactatione hoſtem adeſſe ſignificant; hoſtis cùm illos habet ſub ictu, & veſci ac ungvibus tenere putat (quod invidiæ maximum ſupplicium) ut ei prædam eripiat, deſcendit; at deſcendentem *Auceps* altero elato fune contegit retibus, implicátque, ita miſer *ſuo ſibi jumento malum*, ùt ait Plautus, *arceſſit*, & dum capere ſe putat, capitur. Hæc cùm ab *Aucupe Burgundo* audiviſſem, ac tempus prandij inſtaret, bene homini precatus, diſceſſi, ac in villam ad ſocios reverti.

CAPUT LXVI.

De Ligurinorum ſeu Luteolarum migrationibus per Bohemiam. De Ficedulis ac Turdis, & de quodam alio avicularum genere, quod intra triennium, & ſeptennium Bohemiam inviſit. De Migrationibus noſtrarum Avium generatim & universè.



Lteri quoque ſpectaculo gratiſſimo mea me admovit fœlicitas, an curioſitas? *Chlumecij* Excellentiſſimi Comitis *Franciſci Udalrici Khinsky* ad pacem procurandam Ablegati ditione. Multiplex ibi Aucupium in ſilvis denſiſſimis aperitur; elegantiſſimum & amœniſſimum, quà in *Wlkov* (villam) iter eſt, dextro ſilvæ latere; acceſſi locum primo mane non ſemel, & innocentiſſimâ illâ voluptate delinitus damnabam vota Urbium, & mutam illam ſolitudinem velut humanam quandam beatitudinem exoſculabar; multa ibi jucunda vidi, & riſi, quæ referre nullum eſt operæ pretium. Ut veniam ad id quod volo: invitat me *Auceps* ad alteram hebdomadam, viſurum me tantam multitudinem avium, quantam nunquam ſimul vidiſſem, venturos enim cum hoc vento *Ligurinos*. *Ligurinus* avicula eſt paſſere minor (Bohemi à cantu czi czi **Čžjžek** dicunt) viridi & flavo colore

Ligurini cantus, migratio, ſimplicitas.

lore tinctas habet pennulas, tenera & simplicis ingenij, acanthidi familiaris, cum qua cantando mirificè concordat; & quia superare acanthin nititur, qui in caveis volucres alunt cantantes, uni acanthidi, utpote fortiori, duos *Ligurinos* opponunt, unus alioqui solus si foret, ùt constat exemplis, cantandi certamine & conatu vincendi indubiè rumperetur. Ergo ubi illi dies, quibus *Ligurini* ab oriente in occidentem transeunt (quod fit in autumno, certis, & Aucupibus notis, & notatis diebus) advenêre, tantus repentè in silvis eorum numerus apparuit, ut crederem, toto orbe congregatas unum in locum advenisse. Gravabant minorum arborum ramos, & numero (religiosâ fide scribo) folia arborum superabant, pleræq; omnes in occidentem, quod illis propositum est iter, obversæ, osculis hiabant, nihilque tum aliud ex cantibus, quàm illud czy czy ingeminabant. *Auceps* interea aream suam obsipabat seminibus, quibus libenter vescuntur. ac vide simplicitatem aviculæ! videbant aucupem, observabant spargentem, & insidias apparantem, nihil tamen movebantur; ùt primùm caveam ad me intravit *Auceps*, statim illæ turmatim arboribus proximis devolabant, quas ille retibus operiebat, egressique omni rursus celeritate mactatas evolvebamus retibus, & rursus retia parabamus. Spectabant hæc ex vicinis arboribus *Ligurini*, quasi ad eas nihil apparatus ille pertineret; nobis abeuntibus, novi succedebant, complebant aream, atque iterum novis ac novis sibi succedentibus irretiabantur, sic ut per eos dies *Luteolarum* millia millia caperentur. Solenne hoc, & anniversarium illis iter est, teritúrque quotannis via illa & aëris regio, nec unquam *Aucupes* falluntur, sed silvas omnes, quà iter illis futurum est, pedicis, laqueis, visco, retibus, aliisque fraudibus impediunt.

Eadem propè est in autumno & prima hieme ratio *ficedularum*, *turdorum*, *&c.* suáque habent & ipsi migrandi tempora, sed longiora, magisque aberrant, ac sæpe à septentrione (inde enim plerumque turdos, & ficedulas advenire ex Moscovitarum silvis, quas æstate coluerant, traditum est) ad Orientem, mox ad Occidentem, non paucæ etiam in meridiem deflectunt, & à nobis in *Austriam* feruntur; quædam locorum amœnitate & silvarum calore captæ, per hiemem (cùm autumno advenerint) remanent, maximè ubi juniperorum suppetit copia, quorum granis ingurgitant sese, ac sorbis minoribus infarciunt, quod stomachi illorum pleni granis illis ostendunt. Migrationes illæ avium noctu maximè peraguntur, die quiescunt in silvis, & vescuntur, sempérque eandem viam quotannis tenent (paucis qui aberrant, utì antè dixi, exceptis) ab oriente in occidentem, quod ut mihi *Auceps* probaret, ad Cœlum nocturnum Lunâ lucente spectandum adduxit: tantam volitantium volucrum à terra usquè ad summam aëris regionem multitudinem vidi, ut myriades myriadum superarent. Hæc ab illo aucupe & aucupio id temporis didici; illud etiam notandum, *Aviculas* quasdam ad nos, non nisi tertio & septimo anno advenire, quales Čžečetky dicuntur, magnitudine *merulis* propè suppares. Sed ubi semel per *Bohemiæ* Districtus ire cæperint, tantâ eunt copiâ, ut ijs capiendis omnes Aucupes occupentur. Porrò ut redeam ad caput, de *Ligurinis* magnâ fabulositate quædam narrari audivi: si quis eorum *nidum* (quem tamen negant nisi à fortunatissimo inveniri, imò neque videri posse) circumferat, & anteriorem partem obvertat corpori, eum ùt olim *Gygem* invisibilem reddi, aliáq; similia plenissima vanitatis, quæ tamen magnorũ Principũ exemplis confirmant. Apud me fides, perinde ac pecunia, nunquam temere, & gratìs exponitur.

Ficedulæ, & turdi per Boh: migrantes.

Innumera vis Avium ad Lunæ lumen migrãtium.

Vide-

De Avium migrationibus ad hiemem.

Videretur hoc loco operæ pretium, *Avium hibernarum & æstivarum* ad nos, & à nobis *commigrationes* describere, ipsásque aves commeantes nominare. sed quia id nobis cum tota *Germania* commune est, neque diversum quidquam continet, ad *Ornithologos Lectorem* remitto; sufficiat dicere: *si passeres, Emberizas seu luteas, loxias, picas, cornices, corvos, perdices*, tum quædam *turdorum* genera, & pauculas alias, ac denique *aves nocturnas* exceperis, omnes cæteras, aut abire prorsus, aut sese in altissimas abdere silvas; *Alaudas* non procul à regione aperta hieme hospitari, illud satis ostendit: quòd si vel *Januario*, aut *Februario* minimùm intepuerit aër, & pauculis continuis diebus Ver assimulet, statim advolent, & cantus ordiantur; malo utique suo, nam hieme ventorum rursus præcipitante, procellis & gelidis nivibus obrutæ pereunt, & frigore enectæ reperiuntur in agris, ùt Anno 1674. factum vidimus. In quas verò regiones ingruente hieme *Aves æstivæ* à nobis, & ex universa *Germania* discedant, pridem *Ornithologi* docuêre: nota sunt per mare *Ciconiarum, Hirundinum, Apodum, Coturnicum*, & si quæ aliæ sunt, itinera; audiamus Aristotelem: *Hieme multæ aves latent. Hirundines multæ visæ sunt in angustijs convallium, nudæ, atq; omnino deplumes. Ciconia latet, merula, turtur, alauda; nemo per hiemem Turturem vidit; latet præpinguis, & pennas in latebra dimittit, non tamen pingvedinem. Turdus etiam latet & sturnus.* Hæc ille. Sed de *Turdo* certum est apud nos capi vel hieme non raro. Novum est illud, quod habet Sennertus: *Hirundines post finem æstatis, ex Germania & Gallia, ad oras Maris Balthici avolant, & sub altissimis rupibus mari imminentibus mutuis complexibus hærentes, ad Æquinoctium vernum usque delitescunt, ac ventis aviarijs* (res observatione digna) *flare incipientibus suam quæque Patriam repetunt. Anates* nostras, (quas *silvestres* dicimus) ultra *Italiam* non contendere, & omnes *Italiæ lacus*, qui non congelantur, implere hieme, constans omnium sententia est. In lacu *Vulsinio* (vulgò *Lago di Bolsena*) quà *Senis* ad *Montem Faliscum* iter est, hieme *Anatum* tanta multitudo colligitur, ut omnis ille locus nigrescat, & myriades exsuperet numerus. Existimant accolæ ex *Germania* illas venire, & disertè *Bohemiæ* piscinas periti nominant, unde advolent; itaque utuntur tempore, & plurimas sclopis occidunt, alijs vix sese commoventibus. Ab oculato teste Viro religioso, qui illac iter habebat, accepi: unâ hebdomade *trecentas anates* occisas esse abs se, gloriatum ex accolis quendam; à quo cùm quæreret, quid cum ijs faceret? respondit: se *vento*, vel *fumo* duratas ad *aulas Principum* venales ferre, imò adeò in ipsam *Germaniam*, unde primùm venissent, remittere. Jam redeamus in viam.

Alaudæ nō procul hieme latent.

Aristot. l. 8. de histor. animal. C. 16.

Sennert. in Epitome scientiæ naturalis l. 7. C. 10.

Anates silvestres quorsum hiem avolent.

Cur Aves ad ventum advertant se.

CAPUT LXVII.

De Alaudarum apud nos captura. Octingentas & nongentas etiam Alaudas capi posse uno tractu & indagine. Eadem de Perdicibus ratio.

Alaudarū variæ captiones.



Jam ad *Alaudas* veniamus: eas nocte capi usitatum est omnibus, tum enim saginæ indormiunt; sic ut noctu captæ, ab ijs quæ die capiuntur, ipsa saporis svavitate dignosci possint; diurnæ macriores, nocturnæ pingviores

res & prorſus cereæ. Qui nocte capiunt, per agros ubi illæ compoſuêre ſeſe, ambulant, & amplum rete tendunt; illæ è primo ſomno excitatæ, in altum evolare conantur, ſed in rete impingunt, quo demiſſo intricantur, & capiuntur. Qui die capiunt, minimum *Accipitris* genus, Woſtrzſek, in manu tenent, aut fictum & pictum in pertica ex fune pendentem rotant, ut volare videatur. Res mira, quid timor poſſit! ſtatim *Alaudæ* palpitantes viſo illo hoſte armato eunte in ſe, humi extenſis timore alis porriguntur, & mortem expectant; quas puer alter, qui retia tenet, jacentes retibus contegit, & capit. Sed *Alaudarum* hæc, quam ſubjicio, captura, etſi rarior, pretioſior, laborioſior, lætior tamen, multóque jucundior, ac copioſior eſt, quam in *S. Cruce* in ditione Patroni amantiſſimi *Maximiliani Baronis de Lammingen* non ſemel jucundè ſpectavi. Ante omnia, finitis jam meſſibus, latiſſima aliqua camporum planities quæritur ex agris plurimis conſtans, maximè ſi nuper in ijs triticum, aut ſiligo ſteterat, multa enim neceſſariò decidunt grana, quæ *alaudis* cedant in cibum; in his agris *alaudæ* jam cantuum immemores, uni ſaginæ deditæ, gregatim ferè ſpatiantur, vento ſemper obverſæ (nam vento elevari plumas ferunt ægerrimè) veſpere igitur paulò ante crepuſculum, dum quieſcere cæperint, & paſtæ in dulcem declinant ſomnum; in agro ultimo, ubi planities illa agrorum ſeſe aperit, ſine ſtrepitu duo pali (quorum utrique vertebra ineſt cum funium ingenti glomere) humi figuntur; pali à ſe longitudine unius jugeri diſtant, in palorum æquore medio ordines retium quàm plurimi, in latum magis quàm longum diſponuntur, in filis & furcis pendentes, ut aciei cujuſdam retiariæ ſpeciem ex propinquo referre videantur; retia ipſa terram minimè verrunt, ſed duobus facilè cubitis à terra ultra altitudinem proceriſſimi hominis elata fluctuantur; ſunt verò retia Veneti coloris pertenui filo confecta, ut, niſi ſummâ luce, perſpici non poſſint; dum nos inter retia ſuſpendenda verſamur occupati, pueri, cæterique famuli, ultra ſexagenos, alij in occidentem, alij in orientem funem ducunt, & per terram quantum poſſunt repere ſinunt, donec vertebras funium exhauſerint; exhauſtis funibus, orientales pueri ad Occidentem, occidentales ad orientem leni paſſu procedunt, ſéque conjungunt; rurſus igitur funiculi per vertebras ſuas retrahuntur, & area ſeu campus in medio paulatim arctatur; eò fit, ut *Alaudæ* funiculis lentiſſimè per terram euntibus ſilentio admonitæ, paulatim aggregentur, donec denique, ſine omni violentia, unum in agrum (poſt quem collocata retia diximus) compellantur; ubi id factum eſt, & nox jam eſt in foribus, urgentur ſtrepitu, clamoribus, & ipſis puerorum paſſibus; & quò aliò, niſi præ ſe volent, cibo ſomnóque ſopitæ? poſt hæc nihil niſi cædes & mortes; in altũ ex millenis vix ſex quatuórve evadunt, cæteræ omnes, ùt ſaginâ & ſomno impediuntur, in retia, quæ ob tenuitatem vix videri poſſunt, impingunt, ipſum impingere mors eſt; illud enim ſæpe miratus ſum, atque etiamnum miror, ſi vel uno ungviculo hæreant, eſſe hoc illis mortale, calent adhuc & non ſpirant; an hoc timor facit? an ſomnus ſorori morti tam facilè ſociatur? religioſâ fide ſcribo: unâ illâ, ut ſic dicam, indagine, hiſce oculis vidi, ſeptingentas, octingentas, aliquando nongentas *alaudas* captas eſſe, & coram me numeratas. Oblectabant me præcipuè innocentium mortes: alia roſtello videbatur mortem arcere voluiſſe; alia pedunculo, alia pedunculi extremo filo, alia plumulâ ultimâ quam extenderat, illigata pendebat, omnes aliâ aliâque morte totius anni furta luebant. Sed & illud mirum: in eodem rurſus campo

[Cur Aves ad ventum obvertant ſeſe.]

Unâ indagine octingẽtas & plures Alaudas capi contigit.

die ſequenti, tertio, & quarto (quamdiu aſpiravit aura) capturam nos feciſſe, neque unquam multò pauciores retuliſſe.

Non abſimile in perdicibus, quæ gregatim volant, ſpectaculũ in alia *Bohemiæ* regione prope *Reginohradecium* in *Kratonoh* ditione Generoſi Equitis de Briſſel, mihi olim exhibuit generoſâ & ipſe editus ſtirpe *Rudolphus de Wiſnorze* fraterno mihi ſemper amore conjunctus, *Collegij noſtri Reginohradecenſis* divite legato ſummus, & beneficus amator: primùm ipſe *venationis Præſes* omnium in vicinia illa perdicum ſtationes nocturnas exploravit, habent enim alia loca ad paſtum, alia ad capiendam quietem, & ex illis paſcuis nocte imminente ſemper eodem itinere revolant ad dormiendum. His rebus ſatis exploratis, in declivi quodam prato, quâ quotidianum perdicibus iter erat, furcas ſtatuimus & retia extendimus infernè duplicata: nam cùm in retia *Perdices* impegerint, deorſum devectæ, ubi duplicata retia eſſe dixi, devehuntur, nec jam ampliùs (ſponte ſeſe retibus claudentibus, quæ jam ſerò veſpere viſum fugiunt) poſſunt eniti. Ita grex univerſus momentò captus eſt: ſex, ſeptémve gallinulæ cum uno gallo rurſus emittebantur, galli cæteri, ſeu perdices maſculæ menſis deſtinabantur. Altero die ad alterum capiendum gregem evectis rurſus retibus ibatur, nec unquam *Venationis* noſtræ *Principem* ſpes fefellit. Hieme imminente unum gallulum cum fœmellis duabus relinquebat: monebat enim (quod ſæpius ab alijs quoque primæ notæ *Aucupibus* audieram) Tyrannicum eſſe, & neque ſatis *Aucupi* honeſtum, gentem univerſam excindere, ſed in futurum ſervari oportere, & poſteritati providendum eſſe; quod etiam Majores noſtri in Leporibus obſervabant, ùt ſuo loco monuiſſe me recordor.

Perdicum captura.

(+)

CAPUT LXVIII.

Albi Paſſeres, Alaudæ, Hirundines, Monedulæ. De Avibus quibuſdam peregrinis. Pumila Ciconia viſa apud nos. Corvi aquatici.



Varundam *Avium* quæ in ſilvis degunt, & nunquam miteſcunt, tam certa eſt, támque ſibi ſemper conſtans generatio, ut pro miraculo habeatur, ſi vel unam plumulam differentem, aut alio coloris punctulo, aut lineolâ pictam & maculatam repereris. Vidiſſe tamen memini *albos paſſeres* in grege cæterorum; inter *Alaudas* quoque octingentas retibus captas ad S. *Crucem*, duas trésve candidas totas, quaſdam medias tantùm albentes deprehendi; *Hirundines albis* pennis non ſemel conſpexi. Nuper & *monedulam* capite albo mihi monſtravit *Illuſtriſſimus Comes Henricus Guttenſteinius*. Illud rarius, & majori admiratione ſemper exceptum, cùm nova avium ſpecies apparuerit. *Liticzkÿ*, Equeſtris apud nos familia, *Avim*, aut Avis miraculum geſtat in Clypeo: eſt *Avis* graculo, ùt apparet, non minor, virgineâ hominis facie, prorſus ut etiam capillos in nodum ligatos in occipitio gerat, cætera omnia ſunt avium, pectus plumis argenteis collucet, dorſum cinerei, aut potiùs murini eſt coloris, alæ ejuſdem coloris, ſed interſtinctæ auro, uropygium quoque murinum, ſed tractu

Albi paſſeres & hirũdines.

Avis Equitum Litizkiorum

ctu argenteo signatum, pedes querci- no trunco insistunt. illud mirum: sinistrum avis pedem nolam gerere affixam, ùt *Falcones* vel *Accipitres Aucupum* solent. Hæc Avis ad *Regem*, aut vetustum aliquem *Bohemiæ Principem* allata (ùt habet vetusta stirpis traditio) tantum placuit, ut hominem Nobilium numero adscriptum, hanc *Avim* depictam Clypeo deferre jusserit, ùt hodiéque videmus, & apud se retinuerit; qui postea alijs militiæ factis illustribus, bene in se collocatam *Principis* sui gratiam fuisse monstravit.

...t Donikio...um in Co...nitatu Gla...ensi.

Donikiorum de Danitz generosa stirps, quæ à nobis orta, nunc in *Comitatu Bohemiæ Glacensi* considet (ex qua ortus est *Maximilianus Wilhelmus Donik* discipulus in Rhetoricis meus) *peregrinam avim* gestat, vetustæ Nobilitatis insigne: *Gallus montanus* capite niger esse videtur; at duplex uropygium, & duplex caudulæ suggestus, exoticum aliquid esse demonstrat. Ejusmodi *Avium* monstra, aut novas etiam species, ex alijs terrarum partibus in alias aliásque terras per errorem advolâsse in historijs legimus, idque etiam in *Bohemia*, ùt modò dicebam, potuit accidisse.

Pumila Ciconia.

Litomericij allata est nobis ad *Collegium* ante aliquot annos *Avis*, *Ciconiæ* persimilis, sed magnitudine gallinam non æquabat, rostrum prorsus *Ciconiæ* simile, sed nigrum, pedes quoque nigri, plumæ candidæ, alarum extrema nigro & cæruleo sed lucido, quem *cælestem* dicunt, colore pingebantur; *avim rapacem* fuisse, & ungves paulùm adunci, & rostrum intus serratum arguebat; pisces prædari solitam odor gravis piscium & piscinarum, & *stomachus* (in quo *pisciculi* reperti sunt) & ipsa *Avis* hujus caro (qualis avium in piscinis degentium) ac denique piscina, in qua eam prædantem *Venator* occiderat, confirmabat; nisi, ùt dicebam, color aliud svasisset, *nanam* aliquam & *pumilam Ciconiam* quisque dixisset.

Ciconiæ monstrum.

Aliud in *Ciconiarum* genere miraculum, aut veriùs *monstrum* vidimus apud Illustrissimam Comitem Slavatinam *Franciscam*, quæ *Ciconiam* alebat inverso prorsus colorum ordine: nam ubi alijs albus inest in pennis color, nigrum ista habebat, & album contrà, ubi aliæ nigrescunt, in cæteris à communi sorte differebat nihil.

Corvi aquatiles.

Litomericij (quos antè nunquam videram) *Corvos aquaticos* in *Albi* flumine natantes, crebróque ad minimum hominis motum sese mergentes, emergentésque spectavi. Genus avium est, ut cum *Catone* loquar, *noxiosissimum*: pisces maximâ ingluvie vorat, & fugientes celeritate mirabili in aqua consequitur. Sunt in conspectu *Litomericensis* Urbis prono *Albi* Insulæ quædam parvæ, pone quas *Corvi* illi quotannis advenientes hospitantur, ac modò in *Aquis* capturam piscium exercent, & lavant, modò, ut sese etiam terrenum genus esse monstrent, in altissimis Arboribus residentes exsiccant pennas & reparant. Nihil astutius avibus illis; & per æstatem & autumnum, si duæ trésve occidantur, habetur pro miraculo. Vidi tamen occisas duas pingvissimas, sed à piscibus voratis olidissimas, prorsus *Corvis* simillimas (quorum etiam vocem imitantur in *Aquis*) peculiare habent rostrũ & pedes: hos ad natatum cute, ùt cæteræ natantes aves, superinductos; rostrum aduncum, non quidem, ùt est Corvorum cæterorum, sed velut *Accipitris*, incurvum, ut acutissimè, quidquid placuerit, arripere & vellere possint; oculi gemmarum instar lucentes & perspicui; Color omnibus unus, niger, tam plenus, ut ad minimam solis lucem cærulei potiùs, quàm nigri viderentur. *Litomericensium* Civium filij, cùm jaculandi voluptas subit, arbores illas grandes conscendunt, ac multis horis occultati ramis consident, dum mane corvorum aquatilium grex advenerit, & prædari cœperit, tum natantes in aqua & prædæ suæ intentos occupant, bom-

bombardæ globis appetunt, ac neque tum satis ictu certo, siquidem (tanta est in mergendo sese celeritas!) si ignem emicantem bombardâ viderint, jam nusquam sunt, irrito venatoris conatu; faciléque mihi persvadeo (quod & ipsi jaculatores confirmant) eos globi celeritatem superare, & spatium ac punctum, quod inter pulveris pyrij accensionem, & globum est, antevenire posse. Hæc de *Corvis Albensibus*, *aut Aquaticis*; de quibus in alia *Bohemiæ* parte nunquam audivi, nec quò nocte recipiant sese, aut unde adveniant, Lectoribus possum dicere.

CAPUT LXIX.

Avium quæ apud nos nascuntur, aut vivunt, enumeratio. Pavo candidus. Urogalli. Psittacus. Attagena. Turdus. Sturnus. Cygnus. Anser. Alcyone. Avis caprina. Loxia, &c.



Vium genera quàm plurima in *Bohemia* reperiri pro confesso habetur; referam eo ordine, quem *Ulyssis Aldrovandi* nobilissimi & clarissimi in literis Viri *Ornithologia* suppeditat. De *Aquilis* jam dictum est, omnis generis *Aquilas*, *& fulvas*, *& nigras* habemus; *Vulturum* varia genera, etiam *Leporarios Vultures* ipse vidi, leporibus à se captis insidentes; *Accipitrum* (Gestřáb) ùt in cætera *Germania* (quod observat idem *Ulysses*) ex omni genere, maximus est apud nos numerus: *Astures*, *Falcones* omnes, etiam illi cæruleis pedibus (quos Blaufüß appellat *Germania*) *Tinunculi*, *Milvi*, *Cuculi*, tum nocturnæ aves omnes, deinde *Corvi* (de quorum ingenio mira possent adferri, sed hoc loco, nè actum agamus, omittuntur) *Graculi*, *Monedulæ*, *Picæ*, *Pici*, *Galbulæ*, *Chloriones*, *Jynges*, seu *Torquillæ*, *Certhiæ*, *Meropes*, *Loxiæ* seu *Curvirostriæ* (Křiwonosky) *Pavones* passim in villis nostris reperias, non modò varios, sed etiam prorsus toto corpore candidos. In *Cœnobio Ossecensi* spectaculum nobis præbuit *Pavo* candidissimus, nè unicâ plumulâ alterius coloris usq; ad uropygium extante; at syrmate nihil à cæteris differebat pavonibus: unde cùm opes suas & oculos ad Solem expanderet, in illo corporis candore pulcerrimè efflorescebat. *Gallo-pavones*, seu *Gallos Indicos* in omni villa reperias; *Urogalli* seu *Tetraones* trium generum: *Maximi* Gallis Indicis suppares, tum medij, & minimi *Corvis* paulò minores, in silvis montanis ubique per *Bohemiam* capiuntur; multis in locis, ùt postea dicam, agmina *Phasianorum* ab ijsdem ducuntur. *Psittaco*, avibúsq; cæteris, quibus *Europa* caret, destituitur; alias omnes, quæ in cætera *Germania* reperiuntur, habere se *Bohemia* gratulatur; illatos ad nos *Psittacos* patrum memoriâ plurimos videbamus. Vidi *Rudolphi Cæsaris Psittacum* apud seniorem Ducem *Lavenburgicum*, sanè elegantem, *Gallinæ* magnitudine, album totum, quem jam antè Capite LVII. descripsi; prorsus geminus illi erat toto corporis habitu, qualem *Aldrovandus* C. 4. l. 11. *Ornithologiæ* depinxit; multa mihi cum eo & cum cæteris *Psittacis*, quos *Hispanus Comes Verdugo* alebat, olim familiaritas intercessit, multisque documentis amorem illi suum comprobârunt, quibus hîc recensendis

Aldrovand. l. 4. Ornitholog.

Pavo candidissimus.

Urogalli triplices.

Psittaci validè amicitias appetunt.

dis locus non eſt; hoc unicum dicam: cùm alius quidam me luſitantem, & ſupinum *Pſittacum* mulcentem videret, ratus id etiam ſibi licere, tantum in digito indice, quem admoverat, ab irato vulnus accepit, ut in ipſum os acumen roſtri infixiſſe videretur, ac dimittere nolebat, niſi ego blandè allocutus demulſiſſem, illo (tantus eſt humanitatis in Ave illa & amoris ſenſus!) continuò digitum dimittente, & effuſiſſimè cachinnante. *Hoc habet*, qui ignotæ fidei ſe committit! Idem ille *Pſittacus viridis*, ſi quam injuriam perpeſſus fuiſſet, mihi amicè queri ſolebat, atque ut famulos hoſtes ſuos verberarem, rogare videbatur; id cùm fictis verberibus agerem, plaudebat, ſubſultabat, famulos verberatos irridebat, tum mihi advenienti totum ſe dabat, ſupino etiam corpore componebat ſeſe, quòdque rarum in avibus, pedunculis micans captabat. Sed hæc quia de peregrina *Avi*, ſi ad hunc locum non facere quiſpiam dixerit, ego me *Aldrovandi* authoritate defendam, oſtendámque etiam ad *Bohemiam* quadantenus *Pſittacos* pertinere. nam ultimo Capite Libri undecimi de Pſittacis agens, hæc adjicit: *Bohemicum Pſittacum in Germania appellant eum, qui viridi, luteo, roſeóque coloribus in cinereo depictus eſt.* Sequitur deinde apud *Aldrovandum*, aviculæ incognitæ in *Hiſpania* captæ, quæ *criſtâ Garrulum Bohemicum* referret, narratio. Non igitur, cùm de *avibus Bohemiæ* tractamus, otioſa & ſupervacua *Pſittaci* mentio debet exiſtimari. Porrò, cur *Bohemicus* ille *Pſittacus* appelletur, cùm apud nos, quod ſciam, nihil *Pſittaci* ſimile reperiatur, viderint curioſi. *Attagenas in Bohemia* tantâ abundantiâ, & copiâ reperias, ut olim Nobiles familiæ, non ſe *Paſchatis feſtum* rite celebrâſſe autumarent, niſi attagenam *primo Paſchatis die* guſtâſſent. In *Perdicum* hiſtoria iniquior nobis viſus eſt *Aldrovandus*, cùm ait, *Bohemiæ* illatas *Perdices* rufas rigidioris cœli impatientiâ durare non potuiſſe; ubi enim amabò, lætiùs *Perdices* etiam rufæ proveniunt? aut quod unquam apud noſtros Proceres dives convivium ſine perdicibus celebratur? *Coturnices*, *Ortygometræ*, *Columbarum*, *Palumborúmq;* varia genera, uti & *Paſſerum*, ac præcipuè *Turdorum* (ſic ut unum eorum genus *Turdulos Bohemicos* appellent, quòd ex *Bohemia* initio hiemis per quatuordecim ferè dies ante alios Turdos advolent, atque etiam circa Paſcha accedant) *Merularum*, *Sturnorum*, paſſim apud nos paſci, nidificare, & capi videbis. *Sturnis* in arboribus ante domos ſuas *Ruſtici* vaſcula quædam lignea ſuſpendunt, in quibus illi nidificant; unus aut duo pulli relinqvuntur, cæteri in cibum cedunt; alioqui *Sturnus*, ſi amittat omnes, non ampliùs nidificabit. In Cœnobio *Svvietſenſi ad Bilinam Sturni* miraculum ante quadraginta annos vidi: liber volabat per hypocauſtum *Sturnus*, ac ſi vel feneſtræ paterent, evolabat nunquam; latinè doctus cum ſumma gravitate & vocis claritate, humi, aut ſuper menſam incedens, pronunciabat illud *Salomonis*: *Vanitas Vanitatum & omnia vanitas!* ſed mirabilius, quòd ſtrepitus omnes, qui in cubiculo fierent, ſcientiſſimè poſſet exprimere: Domini & Dominæ ſcreatus, canis ejulatus, calami qui ſcribendo editur ſonum, januæ & ciſtarum apertionem, & obſerationes, ambulationem Domini & Dominæ, nullo docente, meditando, tam propè ad verum aſſimulabat, ut à re ipſa non poſſes diſtingvere. Satis de ſturno. Quid *Luſcinias* commemorem? quid *Cardueles*? & *Acanthides*? quid *Fringillas*? *Linarias* multorum generum? quid *Alaudarum* ſpecies? quid *Chlorides*? *Luteolas*? *Motacillas*?

Cygnos paſſim apud nos non naſci certum eſt, in Regia tamen ditione *Pardubicenſi* illatos prolificâſſe ſæpius vidimus. Advolant etiam vere, & abeunt

[Margin notes:]
Pſittacus Bohemicus apud Aldrovandum.
Attagenæ Bohemicæ.
C. 13. de Perdicibus.
Turdi Bohemici.
Sturni cujusdam docilitas.
Cygni.

eunt hieme, in quasdam Piscinas *Districtus Bechinensis*, suntque mihi ante multos annos ostensa eorum complura paria. *Anserum, & anatum Silvestrium* variæ, variæque species in piscinis nostris vivunt, tanto numero, præcipuè ad *Pardubicium*, ut cùm die sequenti messem avenæ Paterfamilias indixisset suis, noctu adveniente *Anserum* grege, & omnia depasto, nihil postea esset quod meteretur.

Anseres silvest: quàm noxij.

Alcyone parvula.

Inter formosiores aves, & quas *Natura* artificiosiore penicillo colorârit, *Alcyones* habentur: Avis est non multò major passere; in ripis fluminum & lacuum nidos fingunt; nec *Aristotelem* latuit, ùt advertit *Agricola*, eos in fluvios ascendere, sed hieme non occultantur. Cùm autem marinæ *Alcyones* corpus totum coloribus, cæruleo, viridi, subpurpureo, sed mixtis, insigne sit, adeò ut neque collum, neque alæ aliquo ex eis careant, & rostrum habeant subviride, longum, tenue: nostræ tamen *Alcyones fluviatilis* seu ripariæ, pectus purpureum est, collum & dorsum in viridi cæruleum, alæ fuscæ, rostrum, ùt etiam pedes, cinereum. Vescitur pisciculis & vermibus. Viridis color in ea ave regnat, nec aliter pueri quàm *avem viridem* appellant; passim fluvios circumvolitantem, cum tremore quodam alarum dum volitat, spectamus.

Agricola lib. de animantib: subterraneis.

Aves caprinæ.

Rarissimum in Bohemia, ac potissimùm *Boleslaviæ Avium* reperitur genus, quod appellant Kozliky, quasi dicas *capreoli*, æstate tantùm, aut primo autumno apparens: Avis est, quantum ipsemet per noctem animadvertere potui, picâ non major, quæ cùm noctu per aërem volitat, caprinam illam & tremulam vocem (Mee Mee) emittit, ac simul incondito se saltu, & prorsus caprino ejaculatur. Spectavi ipse avim, & vocem illam caprinam non semel audivi.

Loxia.

Est avicula innumero apud nos numero, magnitudine passeris, eodémque colore, nisi quòd alicubi pennulæ evirescunt, rostro superiore incurvo (unde illi nomen Křiwonoſka, curvirostriam diceres) hanc *Gallus*, quem antè laudavi, *Loxiam* vocat; rostrum superius inferiori non congruit, istud enim rectum est, illud, ùt dixi, curvatur, & incurvum in sinistra parte inferioris rostri jacet; sunt tamen (sed inter mille vix unicam reperias) quæ rostrum superius in dextram partem incurvatum gestent. Asperrimâ hieme prolificat, nidúmq; ex pice componit, fovendis & tuendis adversùs omnem injuriam prolibus; carne est svavissimâ; quóque magis Naturæ providentiam mirère, tum maximo numero in *Bohemia*, præcipuè ad *Prachaticium*, *Lehnicium*, & *Netolicium*, capitur, cùm aliæ fœtibus alendis occupatæ Aves, *Aucupes* fallunt.

Præter *Aves* quas antè nominavimus, sunt quas per Indicem nominabo apud nos: *Ardeæ* plurium Generum, suis discretæ nominibus (Wolawka / Cepe / Wolawka ſſerá / Peřeſta) *Galgulus* vel *Galbulus*, *Mergi* multiplices, *Mergulus* (Lyſka) *Anates* diversæ, *Gavia seu Capella* (Cžeyka) *Fulicæ* albæ & cinereæ, *Onocrotalus* (Bukač) *Ceyx* (Seyč) *Alcedon* seu *Alcyon* (de quibus jam dixi) *Motacilla*, *Querquedula*, *Gallinago*, earúmq; plura genera, & hæ aquaticæ. tum aliæ rursus majores Avium, ùt *Aquilæ* (quarum genus quoddam, quod pisces capit, cur *Bohemicum* appelletur (Orel Cžeſký) nondum scire potui; *Accipitres*, *Asalones*, *Buteones*, *Fringillarij*, *stellares*, *Palumbarij*, *Qualearij*, *Rimarij*, *Nidarij*, & quis omnes enumeret? nascuntur apud nos, & sua in sermone vulgari habent nomina; tum *Musceti*, *Falcones* (Sokol) *Gyrofalcones*, gibbosi, montani, nigri, *albi* (quos Bélozor dicimus) *cærulei* (Karoh / Blaufuß / de quibus aliquid nuper diximus) *Arborarij &c.* *Otydes* tardæ, de quarum captura ad *Launam* paulò antè egimus (Drappen Germanis, Droff Bohemis) *Vultures*, *Milvi*, *Tinunculi*,

Grues

Grues & Vipiones (Kranich/ Geřáb/ Horaw) *Cornices* variæ, ùt etiam *Corvi*, *Graculi*, *Monedulæ*, *Garruli* (Sogỹka) *Tetraones* (Tetřew menſſý) *Urogallus* (Tetřew hluhý) *Picæ*, *Palumbes*, *Liviæ* (Daupnáček) *Turtures*, *Attagenes*, *Perdices*, *Meropes* (Zluwa) *Coturnices*, *Cenchrami* (Kalaus) *Turdi* (Kwjčala) *Pici* ferè quadruplices, (Strakopaud) *Verticillæ*, *Torquillæ*, *Sturni*, *Cuculi*, *Upupæ*, *Turdi viſcivori & montani*, *Turdulæ*, & omnes Aves quæ regnant in nocte: *Bubones*, *Noctuæ &c.* Jam *Aves Muſicæ*, *Luſciniæ*, *Hirundines*, *Alaudæ*, & certum earum genus *Caſſitæ*, *Culicilegæ* (Konopáſek) *Cincli*, *Fringillæ*, *Parices* trium generum, *Pari*, & ingentes ubique paſſerum exercitus, *Certhÿ*, *Calidres*, *Trochili ſeu Reguli*, *Rubeculæ*, *Atricapillæ*, *Rubicellæ*, *Curruca*. Sed hæc pauca ſunt: inveniuntur apud nos aves, quæ Latinis nominibus carent, ùt Cżečetka, aliæque complures, ùt poſtremo de *Avibus* capite dicemus. Perilluſtris *Eques Georgius Franciſcus Daudlebsky* Patronus præcipuus ſtudiorum meorum, in ſua ditione Cerhonicenſi *Avem* mihi rariſſimam dedit in manus, quam antè nunquam videram, *Pisklavvkam* ibi appellari dicebat; paricis ordinariæ magnitudine, coloris cinerei nigrioris, albis undique punctulis diſtincta, præter ventrem, qui paulò erat candidior, capitellum parvulum, ſed roſtrum longius, quale *Picorum* genus habere ſolet, non tamen robuſtum, neque ad feriendum, ſed ad intrudendum comparatum. Unde vermiculis in carie latentibus eam veſci ſuſpicio eſt.

Aves quædam latinis nominibus exprimi nō poſſunt.

CAPUT LXX.

Aliqua de Phaſianis, & Phaſianotrophijs per Bohemiam. Phaſianorum inſignis ſtupor, & Tetrai, & Urogalli, à quibus Phaſiani ſæpe ducuntur. De Canibus ad Perdices & Phaſianos. Canes qui ſponte venantur.

PHaſiani, genus avium ſtolidum illud quidem, ſed oculis gratiſſimum, ob plumarum, colli, oculorum, criſtarum, & caudæ varietates formoſiſſimum, ob jucunditatem ſaporis in omnibus majorum gentium convivijs expetitum, peculiarem tractationem poſtulare videntur. In certis Bohemiæ Regionibus, præſertim in *Reginohradecenſi*, paſſim in nemoribus ac lucis ludentes, & de ramis pendentes ſpectantur tanto numero, ut jam, quod voluptati primùm dabatur, in nundinationem verterit. Scio ex *Bohemia Viennam ad Proceres & Cæſaris Aulam* portatos, luculentè & magno operæ pretio veniſſe, viliſſimè uno aureo, ſæpius tribus, atque etiam non rarò ſex aureis conſtitiſſe. Vidi ipſe, & intravi quædam *Phaſianotrophia* per Bohemiam, trecentis & pluribus phaſianis avibus per hiemem referta, quas vere ineunte dimittunt liberas, & amare & prolificare ſinunt; augent ſeſe ipſi incredibili copiâ, non ſecus ac omne gallinacei generis, ovâque in pratis irriguis, aut ſub arbore aliqua inſigni, ad radices, inter fruteta deponunt, condunt ac fovent, & legitimo tempore exacto educunt. Incidi aliquando in ejuſmodi parvam Phaſianorum cohortem, qui nondum per ætatem volare ſciebant, & alijs quà poterant per terram fugientibus, tres ex illo numero cepi; Matre ſupra arborem vidente & gemente. Diſperſos illa,

Domus Phaſianorum.

illa, certâ quadam voce (cùm hostes abierint) ad aliam arborem vocare & congregare solet, atque iterum filios, filiásque recenset. *Phasianis* adhuc in ovo latentibus nullus major hostis quàm *Picæ*, quæ innatâ generi suo curiositate nidos indagant, & si vel minimo tempore abeat *Mater* (nam eâ præsente nihil possunt) ova rostro perfodiunt, & exsugunt; unde ijs in locis, ubi *Phasiani* degunt, pretium *Venatori*, qui *Picam* occiderit, statutum est, quale si *perdiculam* aut *attagenam* globo dejecisset. Autumno exeunte, cùm jam annona durior, & dapes vescæ difficiles fieri cæperint, ignem medijs in nemoribus excitant *Venatores*, & thus, certásque herbas urunt, quarum dulci & grato odore (maximè polentæ) *Phasiani* attrahuntur; ibi sub tecto obsipatur cibus, & cùm involârint, retibus subitò clausi, & artificio, certo nidore diffuso, consopiti excipiuntur, & ad *phasianotrophium* deferuntur per hiemem alendi; iterum insidiæ alijs, aliisque struuntur, donec omnes aut plerique capiantur; *masculi* separantur à *fæminis* (alioquin rixantes inter se nullum facerent finem pugnarum) & *masculi* quoties Domino placuerit, vel ad pretium, vel ad donum, vel ad Culinam damnati extrahuntur, *fæmellis* nisi senes sint, propagationi vernæ reservatis; eâ semper lege, ut pro octonis, aut etiam pluribus fæmellis, unum marem relinquant, ídque sufficere compertum est. Ejusmodi *Phasianorum* cortes, quæ *Phasianeta* vulgus appellat, sepibus ligneis, & supernè spinis, nè vulpes, aliáque noxia animalia ascendere tentent, muniuntur: nemus intùs esse oportet, & umbras, quò si æstus ingruat, recipere sese, & defendere possint; tum alicubi *pulverulentam tellurem* (nam *Aves* istæ inter *pulverarias*, ùt ornithologi vocant, censentur, & libenter ungviculis scalpunt) rivulum præterea illimem, & salubrem *Phasiani* desiderant; nam & sæpe bibunt, & gaudent lavare. Illud permirum: cùm bibere volunt, non ad ipsum rivum advolare, sed (quod ipsemet sæpius observavi) decem vel etiam viginti passibus ante rivum deponere volatum; tum primùm pedetentim, & pedibus ad rivulum accedunt & potant; éstque id tam certum, ut semitam alicubi tritam phasianorum pedibus notaverim, quâ illis solenne ad aquas iter fuit. Qui *Phasianis* delicias parant, & bene ijs esse volunt, *agrum* etiam, aut agri aliquam partem cum ijs includere solent, conserúntq; diversis frumentorum generibus, quibus libenter illi vescuntur, ut domi habeant quod optant, neque alibi cum periculo quærant. Jam *Phasianotrophia per Bohemiam* celebrata enumerabo: *Treboneæ* antiquissimum, illúdque lætissimum est, & omnibus phasianorum commoditatibus distinctum, à *Wilhelmo Rosensi* Anno 1565. excitatum, quod *Wenceslaus Brzezan* accuratè descripsit; *Teplicense*, *Horsso-vio-Tinense*, *Libessicense*, *in Wobrzistvvi*, *Brundusiense* regium, item aliud in *Regia Curia post Beraunam*, rursúsq; aliud Regium *Pragæ* in arcis conspectu, ad hortum sub mathematica Domo, ùt vocant; ad *Benatek* præterlabente *Iserâ* fluvio argenteis undis, spatiosum, elegans, in Arcis quæ super stat conspectu; In *Ratage Talmbergicorum*; *in Pisseli* Comitis ab Halleweil; tum *Mikovicense*, *Libiechoviense*, *Zuolenevvsiense*, commendantur; sed ea *Phasianotrophia*, quæ in *Boleslaviensi*, *Reginohradecensi*, *& Chrudimensi* Districtibus censentur, ferè meliora sunt: nescio enim quâ fælicitate, tres isti *Districtus* à feris & avibus maximè adamantur, ut cæteri Bohemiæ Districtus, his tribus, in *Aucupijs*, *piscationibus*, *& venationibus*, vix pares esse possint. Sed ad *Phasianos* redeamus: *Chlumecium*, *Smirzicium*, *Nachodium*, *Opoczna*, *Krzinecium*, *Dimokurium*, *Giczinium*, *Czaslolovicium*, *Gajersperga*, *Pardubicium*, *Reginohradecium*, *Zampachi-*

Pica Phasianorum ovis insidians.

Quæ præ[cipua] apud nos phasi[a]notrophi[a]. *M. S. Vita Wilhelmi Rosis.*

pachium, *Aurzinovesium*, *Novoduvorium Sslickiorum*, *Jaromirium*, *&c.* *Phasianorum* refertissima habent vivaria, totidémque domos hisce avibus destinatas.

In Reginohradecensi Provincia Phasiani (etiam ubi eos humana non alit industria) passim per nemora & silvas vagantur, & vigilantiam insidiantium Venatorum exercent. Tam formosæ avi (mirabile!) nullus propè est nisi in extremo periculo, insidiarum intellectus, ut eidem ingenij loco, venustatem, & colorem Natura dedisse videatur, habeátq; foris *ingenium* & in *facie*, uti de adolescentulo formoso sed hebete, olim Epigrammate lusimus, aut quod nescio quis philosophus acutè dixit: *Pavonem propter caudam esse creatum.* Multa, & varia omni ætate meâ, tam puerili & juvenili, quàm post ea virili & senectâ, *Venationum & Aucupiorum* genera spectavi, illusásque humanis artibus feras, & aves & pisces irrisi; at *Phasiano* nihil unquam stultius vidisse me puto. Puer etiamnum educabar apud Illustrissimum *Baronem Ottonem ab Oppersdorff*, Virû, cui post pietatem & virtutes maximas & Deo dignas (ut omnibus, qui unâ vivebant ætate, constabat) cui, inquam, post pietatem & virtutem nihil erat unquam carius, quàm *venari*, *piscari*, *aucupari*; hæc erat ejus Vita, in his studijs tota dies, sæpe etiam nox exigebatur, me, quem charissimum habebat, & ferebat in oculis, sæpenumero comitante. Memini puer, humeros meos pueriles (quos Illustrissimus Heros *fælices* appellare solitus est) id est, bombardâ humeris meis dum jacularetur impositâ, aliàs *Cervos* pascentes, aliàs *hinnulos* silvestrium caprarum, rerum cæterarum omnium immemores, & solam Matrem capite elato quærentes, tum alias quoque feras, sed *aves* potissimùm, *perdiculas*, *phasianos*, ac cæteras, per humeros meos, ùt dixi, quàm plurimas globis esse mactatas. Ut perveniam ad id quod volo: Vidi non semel *Phasianorum* greges, nobis inter fruteta vicina latentibus, in agris gallinarum more scalpentes & pabulantes: ijs *Tetraus* grandior (Tetřew hlúchý) vel potiùs *Urogallus*, velut Præceptor erecto collo oculos vigiles quaquaversum circumferens, præsidebat; *Tetrai* enim id sibi magnificum ducunt, *Phasianos* comitari, ducere, & adversùs vim omnem tueri; qua in re duplex apparet stultitia: *tetrai*, quòd cùm surdus, & insuper stupidus, & hebes sit, tutelam sine omni lucro suo, imò & famis pretio, *avium* non sui generis (etsi non procùl color pennarum *tetrai* à *Phasianis* abludat) tutelam, inquam, gerere, talis stipes præsumat: tum & *Phasianorum*, qui tam *stupidum*, *& surdum* ducem sequantur, & sub eo se tutos fore existiment, cùm plurimis exemplis constet, nihil in illo esse præsidij, & *ficulnea*, ut ita dicam, auxilia & consilia præstare. Cùm igitur eam universi gregis *phasianorum* securitatem videt *Venator*, non continuò bombardam solvit, sed expectat, dum tetraus, aut *Phasianus*, ductor gregis, cucurire cœperit; id fit, vel prætervolante aliâ avi, cui indignatur *Tetraus*, vel legitimo tempore canendi (omne quippe hoc genus, velut *gallinaceus* cantum habet) veniente; tum enim superbè inflato gutture ex imo, magno cum apparatu, térque quatérque, ac sæpius cucùrit; id verò jam tempus est in *phasianos* jaculandi, *tetrao* ob cucuritionem, cùm alioqui propè surdus sit, minùs audiente; at *phasiani* ictum audiunt, & colla levant in unum *tetraum* omnes intenti, qui cùm se nihil commoveat, etiamsi unum, alterúmve funus suorum ante se videant, paulatim ex terrore componuntur, rursúsque se pascunt. Ibi *Venator* inter vepres latens, retractam summo silentio bombardam rursus globis onerat, ac, quod antè dixi, novum jaculandi tempus expectat. Vidi ipse in eundem gregem phasianorum in eodem

Tetraus stolidissimus phasianorũ ductor.

eodem agro pascentem (tantus eorum stupor est!) *Illustrissimum*, quem dixi, virum ter exonerâsse bombardam, & tribus illis ictibus quinque occidisse. ac forsitan stetissent adhuc, nisi tertio ictu globus, aut segmenta quædam plumbi, in glebas & terram incidissent, cujus glebæ particulis conspergi, & verberari contigit cæteros, qui contactu illo exterriti unà omnes avolârunt, cadaveribus cæsorum relictis. Fortè Venationum inexperti, hanc narrationem pro fabulis accipient, sed ego meos oculos testes, & quidquid est per eam viciniam *Venatorum*, maximè senum, contestor; id enim & sæpius ipse vidi, & sæpius contingere à fide dignis accepi, licèt id arti Magicæ, & venatorijs artificijs ignari quidam attribuant, sed res est naturalis, & certa. Aliam quoq; stuporis & dementiæ satis claram significationem *Phasianus* ostendit: est certum genus *Canum* (albi & in albo maculosâ pelle laudantur, oculis venustulis, & *Perdicum* oculis simillimis præditi, ut facilè ea dos *Canum* ex oculis possit agnosci) hoc, inquam, Canum genus, à Natura *Perdicibus* decipiendis comparatum est, accedente modicâ Venatoris instructione, ut cùm ad *perdicum gregem* accesserit, blandè & cum silentio eas aspiciat, & significationem præbeat Venatori: quò enim rigidiùs, & immobiliùs *Canis* jacet, eò securiùs Venator accedit; si *Canis* movetur aliquantùm, aut caudam surrigit, signum est *Aves* non diu staturas in loco, adeóque properandum. *Illustrissimus Baro Nicolaus senior de Schönfeldt*, Patronus meus singularis (cum quo autumnales studiorum ferias non semel in Aucupijs, & venatu consumsi) ejusmodi canem habebat Laranzze dictum, quem curru vehebamus; is tam sagaces nares habebat, ut ab uno facilè jugero *perdicum* odorem sentiret; itaque confestim præcipitabat se de curru, Domino aliâ parte eunte, donec *Canis* (quæ candidissima, & miræ venustatis fuit) consisteret, & Domino *perdices* ostenderet; mirè enim usquè ad perditionem suam *formosi canis* spectaculo capiuntur *perdices*, & cùm (ùt ipse spectavi) modò *Canis* caput, modò candorem & pellis maculas, & alia quæ insunt, contemplantur in *Cane*, quid à latere geratur incuriosæ, spatium præbent *Venatori*, ut tres ex ijs, aut etiam aliquando plures, æneâ fistulâ, quam segmentis plumbeis impleverat, exoneratâ perimantur. Hæc igitur *Canum* species, quæ ad *Perdices* adhibetur, etiam ad *Phasianos* adhiberi solet, idque eò faciliùs, quòd *Phasianus* in arboris ramo sedens, inde *Canem* despicit, & miratur, deinde (quæ jam summa dementia est) etiam *Canem latrantem* (modò nè horridior latratus sit) tolerat, atque interim *Venator* incautum dejicit. Sed hæc simplicitas, *perdicibus* etiam communis; illud excusari, nisi stupiditate non potest: Vidi, cùm *Canis* instructus ad *Phasianum* sub arbore pascentem accessisset; hunc territum, cùm avolare & *canem* frustrari posset, pedibus fugere cœpisse; cúmque circa frutetum fugeret, *Canem* celeritate assecutum, caudam extremam *phasiano* amordisse; tum primùm ille, relictâ in Canis ore caudâ, vix salvo reliquo corpore avolavit. Aliud quoque stuporis exemplum spectavi (quod sæpissime fieri *Venatores* affirmant) videlicet, cùm circa dumeta *Canem* fugiunt *Phasiani*, ut jam nihil nisi capi restet, subitò perturbatos, & obcæcatos periculo, tollere se in altum, nec videre, quò aut quà evadant; itaque plerumque accidere, ut in ramos impingant tanto impetu, ut sibi ipsis illatâ per imprudentiam & stultitiam morte, rursus decidant in solum, & præda fiant. Hæc de *Phasiani* tam formosæ volucris hebetudine, & stupore; quâ quidem in re nihil illi concedit *tetraus* seu *urogallus*: sed quia & rarior est avis, licèt multa eorum sint genera, & quia vix un-

Canis formositas Perdicum grege decipit.

Phasian[us] canis fo[rmositate] admirar[i] præbet[ur] Venato[ri].

Nova e[xem]pla stup[oris] in avib[us] phasia[nis].

unquam gregatim volat, ideo multa stuporis sui latent documenta. Duas de *Tetrais*, seu de *Urogallis* parœmias habet sermo *Bohemus*: alteram, quâ surdiores *Urogallo* vocamus eos, qui verba nostra non audiunt; alteram, quâ *stupidum*, *grandem* aliquem *tetraum* esse dicere solemus; utraque parœmia profectò parum continet laudis. Circumfertur & alia apud *Bohemos* historia de errore cujusdam nuncij, per quem Vir nobilis *Urogallum Abbati* miserat, qui oblitus verborum, *Domine*, inquit, *Urogalle*, *mittit vobis Dominus meus Abbatem*; res est omnibus nota, quam ob certas causas hoc loco commemorare nolo. Illud in historia *phasianorum* pro coronide narrabo: Illustrissimum Baronem quem dixi, *Ottonem ab Oppersdorff*, *Czastolovicij* inter multa & diversa *Canum* genera (nam alij ad *perdices*, alij ad explorandas feras, alij ad tenendos *lepores*, alij ad *sciuros*, alij ad *apros*, alij ad silvestres *hinnulos*, alij ad natatum, & ad Aves occisas è piscinis efferendas, alij ad *Putorios* & cœtera subterranea animantia effodienda, alij ad erinaceos servabantur) tres *Canes* habuisse; duo erant *venatici*, sed *hybridæ*, ij duo (quòd non placebant Domino, ideóque conclusos jubebat servari) quotiescunque licebat, mane vel vespere, unà in campos & silvas properabant, & venationem in lepores exercebant; redibant plerumque domum cum præda, sed ipsi cruenti, quòd aliquos (minores præsertim lepusculos) devorâssent, & quem ferebant plerumque integer non esset, cùm dentes avidos continere non possent, quin aliquid degustarent; tertius *Canis*, & ipse proprijs auspicijs in nemora, & silvas abdebat sese, ac si decipere phasianum, attagenam, aut perdicem venari posset, domum innoxiè deferebat: hoc enim *Canum* genus, quod ad *Aves* destinavit Natura, feris & avibus abstinet, neque induci ad avium carnes gustandas potest. Sed hos *Canes* oderant *Venatores*, quòd & turbarent in silvis, & nullam neque ipsis utilitatem, neque Domino voluptatem adferrent.

Boni Canis prima nota est: aves & ferinam nō gustare.

Unum adhuc succurrit, quod negligi non debet: *Phasianum* marem supervenire aliquando *Urogallinæ*, & vicissim *Phasianam* iniri ab *Urogallo* minimi generis, hinc gignitur (quo nomine appellem nescio) tertia species phasianorum, quæ & Patris & Matris nequitiam, salacitatem & audaciam longè exsuperat, etiam saporis exquisitâ bonitate. Idem accidit in cæteris Avium amoribus extraordinarijs, & in errore, ut alios taceam, in *Canaria & Carduele*: firmius enim evadit compositum & commixtum hoc genus, lateribus, voce, constantiâ, & assiduitate canendi, *bastardos* Italicâ voce appellant, idémque est in *Villaticis & Vertagis Canibus*; nec absunt majora & certiora exempla, quæ non decet adducere.

Aves hybridæ, & generis mixti.



CAPUT LXXI.

De Avi Bohemica, quam Germani Behemle, vel Behmrle, Gesnerus Garrulum Bohemicum, Nos Brkoslaw appellamus; Aldrovandus novum ei nomen imposuit Ampelidis.



PEculiare, & soli propè *Bohemiæ* nativitate & educatione notū, licèt aliquando, sed rariùs, apud *Moravos* etiam videatur, & nonnunquam multitudine prævalente magni instar Exercitûs, vicinas, & remotas longè Regiones inundet) peculiare, inquam, genus Avium adducemus

Avis Bohemicæ venustas insignis.

mus hoc loco. Est avis Merulâ non major, quamvis ùt puto, carnosior: tanta in hac ave colorum gratia, & mixtura, tanta alarum & caudæ dum expanditur, elegantia, ut de principatu formæ cum alia quacunque ave possit contendere, nè *Psittacum* quidem exceperim; illud tamen singulare *Psittacus* habet in genere, quòd non uno pennarum colore induitur, nostra verò Avis easdem semper vestes induatur, nec commutare habitum, séque aliter adornare possit. Ob hanc alarum & sterni venustatem à *Bohemis* Brkoslaw, vel à casside Chocholausse appellatur; *Germani* apud nos nati Seidenschwantz vocaverunt; reliqui *Avim Bohemicam* appellant, ùt dixi. Quidquid de hac Ave dici quodammodo potuit, *Aldrovandus* summâ diligentiâ tractavit, admiratione pulchritudinis captus, multis in locis Avim pulcherrimam appellans, quem ad verbum exscribi jussi; quid ipse sentiam, dicam in *Notis*.

De Garrulo Bohemico. Ex Ulysse Aldrovando. Tomo I. Ornithologiæ lib. 12. C. 13.

Historiam hujusce Avis ante aliquot annos, cùm, velut pestilentiæ quoddam præsagium, in Italiam maximâ copiâ advolâsset, copiosè conscripsi. Quam, cùm seorsim in lucem aliquando edere constituissem, sed nunquam mihi data esset satis commoda occasio, itaque non abs re me facturū arbitratus sum, si hìc & nunc illam, velut in compendium redactam, loco insererem, licèt tamen cum *Picarum* genere nihil præter nomen commune obtineat, secùs atque *Ornithologus* existimat, qui tertium earum genus eam constituit. *Pulcherrimæ* ergo hujus *avis*, à tam varijs mihi Viris, iisque doctissimis, atque ex totius ferme *Italiæ* partibus sub varijs nomenclaturis missæ Amphibologiam explicaturus, singulorum primùm de illa judicium, ac opinionem adducam, deinde quid ego sentiam breviter adferam.

Ornithologi error.

Variorum de hac Avicula sententiæ.

Fabricius Paduanus Foroliviensis clarissimus Medicus, magni illius *Elidei* filius, qui inter alia naturæ dona, quibus Musæum nostrum quàm pluries locupletavit, hanc quoque volucrem mihi transmisit, *galeritam variam*, & *Microphœnicem*, propter cristatum capitis verticem, & totius corporis colorum eximiam venustatem appellabat. *Cæsar Odonus* magni nominis pariter Medicus, simpliciúmque, nec non Medicinæ practicæ in almo Bononiensium Archi-gymnasio publicus professor, *Meropem Aristotelis* esse ex pinnulis illis, quas in alis habet, judicabat. Alij *novam Avem Plinio* dictam credebant, de qua hunc in modum ille scripsit: *Venêre in Italiam Bebriacensibus bellis civilibus trans Padum & novæ aves (ità nunc vocantur) Turdorum specie, paulò infra columbas magnitudine, sapore gratæ.* Alij rursus, quoniam conspectu insolens esset, ac ex *Germania* ad nos transvolâsset, *aves Hercyniæ* sylvæ nuncupabant, cujus item *Plinius* his verbis meminit: *in Hercynia, Germaniæ tractu, inusitata genera Alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant.* Et *Solinus*, etsi à *Plinio* tamen, ùt solet, mutuatus videatur, non luxisse tantùm noctu scripsit, verùm homines etiam illius loci (mirum dictu) nocturnos plerumque excursus harum avium operâ destinâsse, & ad itineris dirigendi præsidium usos fuisse. Meminit earundem Albertus, & à tali luce, *Lucidias* nuncupabat. *Alphonsus* Panza Ferrariensis, Philosophus ac Medicus Eximius, & naturalium rerum insignis indagator, nec non & in cele-

Galerita. Microphœnix.

Merops.

Plin. l. 10. c. 49. hist. Nat.

Novæ aves.

Lucidiæ.

celeberrimo Ferrarienſium gymnaſio publicus Profeſſor, in Epiſtola ſua, quam ſuper hac ave mihi ſcripſit, *incendiariam Plinij* eſſe exiſtimabat. A *Saxoli* (pagus eſt in agro Mutinenſi ſatis inſignis) incolis, ubi maxima erat copia, vulgò *Beccofriſone* dicebatur, quoniam quodammodo Coccothrauſto, quem *Friſone* vocant, ſimilis eſſet: Alij *Galletto del boſco*, quaſi gallulum ſylveſtrem, propter capitis criſtam: noſtri aucupes *Uccello del mondo novo*, hoc eſt, avem ex novo orbe indigitabant: Flandri, ùt audio, *Incinerariam*, quam vocem pro incendiaria corruptam crediderim, atque eò maximè, cùm & alij incendiariam, ùt dixi, vocarent. Ornithologus *garrulum Bohemicum* appellat; verùm quo jure, non video, cùm picarum more nequaquam garriat: quare genericâ voce *Bohemicam avem* potiùs vocare debuiſſet. Iconem ejus ab Argentoratenſi quodam pictore, qui nomen ignorabat, ſibi transmiſſam ſcribit, ſe verò pòſt ab alijs didiciſſe, hac ſpecie avem circa Norinbergam dici *Behemle*, id eſt, *Bohemicã*, fortè quia *Bohemiæ* peculiaris ſit. Germani quidam alij per Onomatopœiam *Zinzirelle* dicunt. Iſthæc itaque, quæ adduxi, nomina à diverſis impoſita, non vulgarem, qui de illis judicet, Philoſophum requirunt, cui ubi nomina deſunt, nova fingere *Ariſtoteles* concedit. Quare cùm huic avi nullum illorum convenire viderem, placuit ex potiori avis victu *Ampelidem* appellare. Inter cæteros enim fructus, quibus veſcitur, uvis potiſſimùm delectatur, quod Ampelidi ſuæ olim etiam *Callimachus* Poëta tribuit, quæ, cùm nullam ille aliam, quâ agnoſcatur, notam addat, cùm noſtra fortè eadem ſtatui poſſit. Quod ſi verò ea de re quiſpiam mecum cavilletur, & aliam Avem *Callimacho Ampelidem* dici pertinaciùs contendat, non negaverit ſaltem *Ampelidem* poſſe vocari, non verò quòd duntaxat ſolas uvas edat, ùt quas autumno tantùm nanciſci poteſt, ſed quòd eas alijs fructibus præferat; ſic enim & *ficedula* Latinis, & vulgò *Beccafico* dicitur, non quoniam ſemper ficubus veſcatur, neque enim & illæ toto anno reperiuntur, ſed quia ex earum eſu plurimùm pingveſcat. Cui verò avium generi hanc avem congenerem facere debeam, necdum ſatis compertum habeo. Haud me latet tamen, ex illarum genere eſſe, quæ fructibus vivunt, *Carpophagæ* dictæ, avémque eſſe migratoriam: nam ad vicinas *Bohemiæ* regiones, ùt audio, quotannis evolat. *Ornithologus* pro tertio *Picarum* genere, ſed cum maximo errore eam nobis obtrudit, cùm tamen nec magnitudine (eſt enim multò minor) neque moribus, neque demum ratione victûs, quicquam cum illis commune habeat. Adde etiam, quòd *Plinius*, cæteríque Authores, Picis lingvam articulatim ſermoni hominum efformando idoneam, latam nempe tribuant, qualem in *Bohemica Ave* nemo rectè dixerit. Neque incendiaria *Plinij* etiam fuerit, cujus de illa hæc verba ſunt: *Inauſpicata eſt & Incendiaria avis, propter quam ſæpe luſtratam urbem in annalibus invenimus, ſicut L. Caſſio & C. Mario Coſſ: quo anno & Bubone viſo luſtrata eſt. Quæ ſit avis ea, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incendiariam eſſe, quæcunq; apparuit carbonem ferens ex aris, vel altaribus. Alij Spinturnicem eam vocant, ſed quæ hæc ipſa eſſet inter aves, qui diceret ſe ſcire, non inveni.* Cùm itaque *Plinius* nec ſibi, nec alijs viſam talem avem aſſerat, non video, quâ ratione iſthæc volucris ſatis obvia in *Bohemia*, cum incendiaria ejus eadem ſtatui queat. Inſuper incendiaria quibuſdam dicta eſt, quòd in incendijs naſci crederent. Quis obſecro hoc de Ampelide noſtra ſomniet? Quare meo judicio Phœnix avis fabuloſa, quæ ubi proli incumbit, ſeipſam exurere perhibetur, *incendiaria* dici rectè poſſit, niſi ea vox quam-

[Margin notes: Incendiaria. — Behemle. — Zinzirelle. — Ampelis, & cur ita poſſit vocari. — Cui avium generi adſcribenda. — Ampelis migrat. — l. 10. c. 13. — Spinturnix.]

quamcunque volucrem, quæ carbones ex aris eripit, significet, ùt ex *Plinio* paulò antè dictum est. Hallucinantur itidem, qui *avem Hercyniæ sylvæ Plinio* dictam putârunt: Pennæ enim nostræ *Ampelidis* in tenebris ignium modo minimè collucent, quod de Hercyniæ sylvæ Ave *Plinium & Solinum* referre diximus. Quod si verò maculas illas alarum, & caudæ extremitatem, luteas, egregium splendorem edere quispiam curiosus objiciat; is tamen noctu lucere minimè dixerit, ut proprio periculo domi meæ sæpius expertus fui; ubi tribus ferè mensibus vivam alui, & vel quavis noctis horâ contemplatus sum. *Ornithologus* verò ejusmodi rerum etiam diligentissimus investigator, Germanum quendam, cùm hujus avis historiam conscriberet, sibi narrâsse refert, in patriæ suæ *Voitlandiæ*, Bohemis vicinæ silvis, avem quandam vidisse Turdi minoris magnitudine, colore partim cæruleo, partim aureo, partim croceo, quam noctu lucere fama esset; se tamen neque lucentem vidisse, neque nomen nôsse: quod si verum est, ea *Hercyniæ sylvæ avis* dici poterit. Præterea nostræ *Ampelidi* nulla ferè quoque cum *nova ave Plinij* similitudo est, quam scilicet ille Turdorum specie describit, quibus isthæc omnino dissimilis est; & magnitudinè illius columbis comparat, hæc vel quadruplo minor est. *Novam avem*, sive *externam*, suo loco *Perdicem* minorem esse probabimus. Neque etiam Clarissimi *Odoni* opinio placet, *Meropem* Aristotelis existimantis, nam nullo pacto descriptioni respondet. *Merops* enim, teste Philosopho, terræ cavernas subit, cunabuláque facit, ibíque ob corporis gravitatem altum volare nequiens nidum construit; *Ampelis* contrà in arboribus continuò vitam ducit, tantùm abest, ut cavernas subeat: neque apibus (quod de Merope, qui Apiaster inde dicitur, *Aristoteles* prodidit) insidiatur, nec vermibus vescitur, sed fructibus tantùm; *Merops* pennas inferiores habet pallidas, superiores cæruleas, ùt in Alcyone; *Ampelidi* nihil in toto corpore cærulei est. Ille postremas pinnulas rubras habet, isthæc nequaquam: pinnularum autem nomine πτερύγια intelligo, sive parvas pennas, quamvis id nomen (quod obiter dictum est) multa significet, excrescentiã nimirum carnis, quæ ungues operit, tum in pedis, tum in manûs pollicibus potissimùm eminens, sed in pedibus ex offensione, interdum in manibus ex paronichijs nascitur: quamvis autem *Ampelis* in extremo, ut intrà dicam, alarum quasdam rubras appendices habeat, eæ tamen pinnularum nomine indignæ sunt, quoniam quædam excrescentiæ tantummodo sunt, quæ à calamo, seu pennæ cauliculo exoriuntur; Cæterùm vox etiam utrique diversa, diversas etiam aves constituit. Quare omnino concludendum videtur, *Ampelidem* nostram nemini eorum cognitam fuisse.

Non esse avem Hercyniæ silvæ.

Non esse Meropem.

Arist. l. 6. hist. Animal. C. 1.

Arist. l. 9. hist. C. 40.

πτερύγια quid.

FORMA; DESCRIPTIO.

CUm *Merulis* ferè ei par est magnitudo; major verò *Coccothrausto*: longitudo à rostro ad caudæ extremitatem dodrantalis: Latitudo, expansis alis videlicet, quatuor palmorum; Unde hallucinari *Ornithologum* constat, cùm corporis formâ, ac coloribus ad *garrulum* communem accedere scribat. *Rostrum* nigerrimum est, magnitudine domestici passeris. Id nimis longum nimísque recurvum Ornithologi icon exprimit. *Nares pili* ejusdem coloris circumambiunt, & velut maculam nigram quandam efformant transversalem, in qua *oculi* superiùs includuntur, rotundi, coloris pulcherrimi, cinnabarini nempe, & carbunculum carchedonicum, quem *granatam* vulgò dicunt, mentientis, qui fortè noctu lucere credendi nonnullis ansam dederint.

Magnitudo

Longitudo

Latitudo

Nota: minores palmos intelligi 16. digitorum.

Rostrum

Nares.

Oculi.

Ca-

Caput. *Caput* quodammodo compressum, & nimis rotundum ab Ornithologo delineatum, coloris castanei, seu ferruginei, more *Alaudæ cristatæ* apice retro vergente insignitum. Color apicis rostrum versùs subcastaneus dilutus, retro verò subcinereus ad fuscum inclinans, umbræ terræ haud dissimilis. Collum. *Collum* breviusculum in antica & postica parte nigrum, ad latera rufum, prope rostrum candidum. Pectus. *Pectus* castaneum, seu ferrugineum, sed dilutum, & ad roseum vergens. Venter. *Venter* subcinereus totus, nisi prope podicem, ubi pennæ quædam albicant, quarum radices tamen, hoc est, à medio ad carnem usquè etiam nigræ sunt, & superiori parte molliores. Dorsum. *Dorsum* subcastaneum est, sed prope uropygium leucophæum. Alæ. *Exteriores alarum pennæ* nigræ sunt, interiores subcinereæ, ad nigredinem tamen declinantes. Insigniuntur verò exteriores maculis spectatu jucundissimis, quarum aliæ nempe primæ albæ sunt, *septem* numero, quarum appendices cinnabari instar rubescunt. Pennas has corneas esse, haud verè nescio quis Ornithologo retulit: sunt tamen solidæ, & duriusculæ, longæ, atq; quodammodo cartilagineæ. Has aliæ pennæ subseqvuntur, maculis pariter, sed luteis perornatæ, figurâ suâ literam L quodammodo exprimentes, quæ sic dispositæ sunt, ut in quibusdam *septem*, in quibusdam *sex*, in quibusdam *quinque* tantummodo appareant. Rursus, quæ ultimæ sunt, maculas albas habent, quæ quò magis ad exteriora sitæ sunt, eò minùs conspicuæ evadunt, adeò ut postremarum quandoque tres, quandoque duæ, & quandoque una duntaxat itâ maculatæ sint. Vestitrices albis etiam maculis in extremitatibus insigniuntur. Illud verò in luteis maculis annotandum est, quòd in fæmellis albescant, & è regione earum alias maculas albas reperire sit. Cauda. *Caudam* maris decem, fæmellæ duodecim pennis constare αὐτοψίᾳ didici, quæ in radice leucophææ sunt, seu coloris murini, id est, muris domestici minoris, superiùs verò nigricant; tota caudæ extremitas lutea est, magis tamen in mare quàm in fæmella resplendens. Prope podicem aliæ quædam plumulæ coloris castanei, aliam quodammodo, sed longè minorem caudam efformant. *Crurum* color fuscus est ad cæruleum inclinans. Crura. *Pedum* forma, & magnitudo, Coccothaustro respondet, colore tamen differunt, qui in *Ampelide* niger, in illo verò carneus, sive roseus est. Pedes. *Ungves* habet nigros etiam, & satis recurvos. Ungves.

ANATOME.

Exteriores pulcherrimæ hujusce avis partes delineâsse, & quàm potui exactè descripsisse nedum contentus, internas etiam rimari placuit; quas sanè non paucas cum reliquo avium genere dissimiles habere eam, ex instituta Anatome contemplatus, earum notione lectores minimè privare volui. Secuerunt hanc avem clarissimi Viri, *Constantius Varola & Flamminius Rota*, ambo in celeberrimo nostro Gymnasio Anatomiæ Professores publici, & Viri celeberrimi, mihíque amicissimi.

Intestina duos dodrantes, in tam exiguo corpusculo, longa erant; & ubi aperta essent, notabilis latitudinis, quæque sine revolutionibus, & anfractibus ullis. Intestina. Natura procul dubio ad celeriorem fæcum excretionem fabricavit; cùm exiguo admodum tempore, imò verò post pauca momenta, Avis ingestum cibum digerat, alteret, atque unà cum baccarum ossibus, alisque fructuum nucleis, quos in nutrimentum convertere nequit, exsucto videlicet duntaxat eorum succo, rejiciat. *Excrementa* etiam pro diversi coloris cibarijs variabant. Excrementa. *Ventriculus* in medio hepatis velut reconditus, exiguus, carnosus, & duro admodum callo obductus, intùs tunicam Ventriculus.

cam quandam, uvæ in oculis quò ad colorem non dissimilem, alioquin satis membranosam, quinimò durissimam, & quasi cartilagineam, & ad utrumque orificium perforatam obtinebat. Substantia verò hujus membranæ adeò à ventriculi substantia erat diversa, ut absque ulla sectionis opera à tota ventriculi cavitate divelleretur. Externa contrà ejus tunica nervosa erat, crassa, & utrimque callosa, fibris quibusdam crassis, & oblongis, quales in humani cordis ventriculis conspiciuntur, in intima parte instructa.

Gula.

Gulam habebat insigniter latam, & quæ prope ventriculum, majorem adhuc latitudinem acquirebat, qualis scilicet acinos uvarum, aliósq; fructus integros recepturam decebat. Erat autem à faucibus ad mediam cervicis regionem usquè, digitum lata, dein arctabatur usquè ad primum thoracis ingressum, ubi rursum dilatata, rotundi quid, velut pilulam quandam effingit; pòst iterum constringitur, tandémque latior, & carnosior facta, ad ventriculum usq; ità progreditur.

Pulmones.

Pulmones, qui in omni avium genere ad medias usquè costas protenduntur, in hac ave colli & dorsi vertebris, & nisi costarum superiorum principijs adhærent.

Jecur.

Jecur pro avis magnitudine maximum erat, quale helluones ac voraces obtinere in Vulturis historia diximus; nam & *Ampelis* insigniter vorax est: erat autem in duas partes æquè divisum, quarum major in dextram, minor in sinistram inclinabat.

Fel.

Vesicula *fellis* in jecore & ventriculo conjungebatur.

Lien.

Lien exiguus quidem, sed oblongiusculus, linguæ humanæ figurâ, superius os ventriculi ex dimidia parte veluti amplectitur.

Pericardiũ.

Pericardium erat duplicatum, & veluti pingvedini immersum.

Trachia. Arteria.

Raram *Arteria aspera* formam obtinebat, ut quæ in principio latior & ovalis, dein angustior, mox iterum latior appareret.

Lingva.

Lingvæ substantia admodum dura, & ossea erat, & in extremo, ubi velut alas quasdam habere, & sagittam præ se ferre videtur, bifida, ac quasi in duas aciculas divisa.

Os hyoidis.

Os Hyoidis, quod reliquis animantibus pro lingvæ implantatione datum est, in hac ave ab osse occipitis ad latera foraminis, per quod spinalis medulla à capite ad dorsum transmittitur, originem suam deducere vidimus; & ubi ad radicem lingvæ conjungitur, acutissimum angulum efformare: secùs atque in homine, ubi non tantùm per angulum obtusum, sed per lineam transversalem etiam annectitur; hujus verò ossis medio caput asperæ arteriæ inseritur.

Os Sterni.

Os sterni valdè acutum, & altum erat, quod sagacissima rerum natura ad celeriorem volatum ei elargita videri potest.

Alarũ musculi.

Musculos, quibus alæ ad pectus protrahuntur, insignes habebat, & admodum robustos; horum præcipuus à toto osse juguli & sterni exoritur.

Oculi.

Oculi intus adeò magni erant, ut cerebri ipsius magnitudinem superare viderentur.

Nervi optici.

Nervi optici satis evidentes, eos ab ipso cerebello oriri observavimus, secùs ac in cæteris animantibus fieri assolet.

Ventriculi cerebri.

Superiores cerebri ventriculi ad mediam capitis regionem collocabantur. *Cerebrum* verò oblongâ, & variâ eâ figurâ, qualis in hominibus conspicitur, carebat, & sphæricam potiùs referre videbatur. Atque hæc sunt, quæ in hacce ave memoratu digna observavimus: nunc ad reliqua properamus.

LOCUS.

Ampelis cur Ferrariæ nō sit visa.

AMpelis nostra, *Bohemiæ* peculiaris est, quamvis alioqui vicinioraetiam petat loca. Cùm verò in Italia erat, *in Placentino & Mutinensi* agro maximè abundabat, adeò ut triginta, & quadraginta quoq; simul sæpe caperentur. *Ferrariæ* contrà nec visa fuit quidem, nedum capta, utpote quæ brevi ibi futurum præsentiret terræ motum, quo arbores, cæteráque plantæ, quarum fructibus illi erat viven-

vendum, concutiuntur, atque extirpantur. Quare etiam reliquæ volucres loca illa deseruerunt. Vnde *Anaximenem* Philosophum, olim terræ motum ex avium recessu prædixisse legimus: & non illas duntaxat, sed cætera etiam animantia aëris mutationem ex naturali instinctu præcognoscere palam videmus.

VOLATUS.

GRegatim & centum simul quandóque in agro nostro *Ampelides* volare visæ sunt; volant autem pernicissimè, sternum atque alas ad id perquem apta à natura obtinentes.

MORES; VOX.

AVes gregariæ sunt, ac benignæ, mutuóq; se se amore prosequvuntur, cibum sibi invicem offerentes, mas nempe fœmellæ, fœmella mari, imò verò & mas mari, & fœmella fœmellæ. Facilè cicurantur, adeóq; domesticæ evadunt, ut fugantiũ, ac insidiantium hominũ minas, eásq; ex globulis etiam quandoq; petentiũ nó pertimescerent, tantùm abest, ut puerorum manibus contrectari sese non permitterent. Vox earum, quantum observare licuit, erat Zinziri, unde fortè *Zinzirellæ* quibusdam dictæ fuerint.

…pelidis …or reci- …cus.

…ox Ziziri …nzirellæ.

VICTUS.

AMpelis nostra fructibus vescitur, uvis inprimis, maximè inhians, quare non abs re eo nomine mihi dicta videri potest. Post uvas, baccas ligustri cæteris fructibus præfert. Cynorhodi, Juniperi, Laurique baccas, & pineæ nucleos, avidè etiam devorabat. Contrà baccas hederæ nisi famelica, non attingebat. Vescitur denique & uvis passis, pomis & amygdalis. Panem verò caveæ inclusam, ùt gratum cibum comedisse observavi, & carnem crudam respuere, sed in magna fame tamen attingere. Frumentum tanquam *non granivora*, oblatum nè degustabat quidem, ficubus verò maximè gaudebat. Ex oblato caseo mortem illi illatam quidam mihi retulerunt, in summa, fructibus inhiabat, iisque potissimùm qui copioso intus succo scaterent. Quare cùm ex cibo, tum ex potu, quem octies, deciésque fermè momento repetebat, avem calidissimam esse quispiam non ineptè judicet.

…tymon.

USUS IN CIBO.

CAro *Ampelidis* sapore erat gratissimo, ut quam assam *Turdis* multi præferrent, quamvis dicat ille: *Nil melius Turdo, &c.*

PRÆSAGIA.

VUlgus *Ampelidem* pro mali ominis ave habebat, & pestem ubi turmatim apparebat, prænunciare credebatur. Quo enim anno in *Italiam ex Bohemia* migraverat, Anno nempe salutis nostræ 1571. mense Decembri, *Ferrariæ* insignis terræ motus factus est, & fluvij inundârunt: unde de futura hominibus pestilentia timor incessit: quoniam terræ motum, & diluvia, pestis aliquoties subsecuta legeretur. Eodem anno paulò ante eandẽ inundationem, eadem avis Belgis non minùs quàm nobis admirationi fuit. Et *Ornithologus* Anno post partum salutiferum 1552. in superiori Germania inter Moguntiam & Bingam juxta Rhenum, maximis examinibus apparuisse refert in tanta copia, ut quà transvolarent, ex umbra earũ veluti nox induceretur, idque incolas pro prodigio annotâsse, & excusâ icone absq; nomine tanquã avium incognitarum, à Typographis publicatum fuisse. Verumtamen ut ingenuè dicam quid super hac re sentiam, non video quâ ratione ex earum migratione in Italiam pestilentia præsagiri potuerit, cùm & eo tempore, quo *Invictissimus Carolus Quintus Bononiæ* coronabatur, sinè ulla superveniente peste, non minùs copiosè apparuerint.

Terræ motus Ferrariæ.

Ampelidẽ non præsagire pestẽ.

Neque etiam rationi est consentaneum, aves ad loca, in quibus futura pestis est, advolare; imò verò contra fugituras illas potiùs crediderim: aves enim, si quod aliud animal, facillimè peste afficiuntur; unde quodam naturæ ductu tali tempore saluti suæ consulentes, nidos suos, ova, ac carissima etiam sua pignora, pullos inquam, deserunt, & ad alienas regiones sese recipiunt. Quare populi omnes, ad quos peculiaris alicujus regionis avis, ut *Bohemiæ* hæc est, cum magno agmine advolat, laudabilem aëris sui temperiem potiùs, quàm contagium præsagire debent. Quod verò aves,

Aves peste corripiuntur.

ac jumenta priùs quàm homines peste afficiantur, præter Philosophos *Ovidius* etiam locupletissimus testis est, dicens:

Ovid. 7. Metamorph.

Lethiferis calidi spirarunt æstibus Austri,
Constat & in fontes vitium venisse, lacúsque,
Milliaq; incultos serpentûm multa per agros
Errasse, atq; suis fluvios temerâsse venenis,
Strage canum primò, volucrúmq; aviúmque, boúmq;,
Inq; feris subiti deprensa potentia morbi est.

Notæ in Historiam Avis Bohemicæ, quam V. Cl. Ulysses Aldrovandus vulgavit, & in Ornithologiam suam inseruit.

P*Ulcerrimæ hujus Avis sub varijs nomenclaturis Amphiboliam &c. Avis* hujus nomina quàm plurima adducit *Aldrovandus*, optiméque ostendit: eam neque *Galeritam* (id enim pluribus avibus convenit) neque *Meropem*, neque *novam Avim*, neque *Lucidiam*, neque *Incendiariam* dici posse. Refellitur ab eodem *Aldrovandro Gesnerus*, qui eam *Garrulum Bohemicum* appellârat; quid enim habet cum *Garrulis* vel *Picis* commune? neque enim garrit, sed suum illud *ziziri ziziri* innocentissimo ore & rostello ingeminat; mavult igitur ipse *Aldrovandus*, non *Garrulum Bohemicum*, sed *Avim Bohemicam* appellare, postea tamen novum ei Nomen imponit *Ampelidis* à vite, & uvis quibus perlibenter vescatur. Ego existimo, bonâ tanti viri gratiâ, prorsus incongruè *Ampelidem* aviculam hanc nuncupari; primùm: nullum in ea tam ardens desiderium uvarum notatur; deinde *Avis* hæc nostra in ijs potissimùm *Districtibus* nascitur apud nos, & educatur, qui vitibus, & vitiferis collibus carent, ut est *Reginohradecensis, & Boleslaviensis Districtus*; nam etsi in *Litomericensi* quoq; *Districtu*, qui vineis abundat, capiatur, non tamen unquam vim ullam inferre vineis, aut in vineis capi contigit; tandem amat illa silvas, & nemora, & cùm granis, & omni sorborum & fructuum genere vescatur, in marginibus silvarum (ubi hæc proveniunt), habitare consvevit. Unde non video, cur præ *Picis*, *Monedulis*, *Sturnis* (qui avidissimè botros consectantur, & ingenti vinearum damno gregatim advolant) *Avis* nostra innocens, *Ampelidis* nomine debeat insigniri. at in *Italia* Uvis porrectis vescebatur. Quid nî capta vesceretur? idem omnes aves carpophagæ, & quæ fructibus vivunt, facerent, idem ageret *passerculus*, idem *Sturnus*, idem aliæ; at non continuò ob eam caussam *Ampelides* vocantur, præsertim cùm aves nostræ in Patria sua, & nativitatis loco, ad vinum & uvas non educentur, nec ducantur à Matribus. Quod igitur *avi* huic nomen imponemus? *Avis Bohemica* appellatur ab omnibus; at id non sufficit, cùm etiam *Psittacum Bohemicum*, *Aqui-*

Avicula nostra Brkoslaw non potest Ampelis nuncupari.

Aquilam Bohemicam, *Falconem Bohemicum*, *Turdum Bohemicum* (Behmerziemer) ut sequenti capite dicam, habeamus, & *Avis Bohemicæ* nomenclatio, circumscriptio potiùs, quàm nomen esse videatur. A voce ziziri *Zizirella* dici posset; ab insigni venustate pennarum *Microphœnix* (parva phœnix) ut eam appellavit *Fabricius Paduanus*. Si Bohemicam appellationem (Brkoslaw) traducere in Græcum velimus, *Pterocliam* appellabimus, id est alis & pinnulis gloriosam; si à Germanis nomen mutuemur, qui eam à serico appellant, *Sericatam* dicemus. Eligat ex his nominibus *Lector*, quod aptius judicârit; ego certè *Ampelidis* nomen ferre non possum, cùm illi videam minimè convenire.

[Pteroclia a]vis hæc ap[ti]ssimè dici potest.

Ad vicinas Bohemiæ Regiones, ut audio, quotannis evolat, &c. Timeo nè narratione alicujus deceptus sit *Aldrovandus*: nam toto anni tempore *Pteroclia* manet in Patria, & hieme ad profundiores tantùm & calidiores silvas sese recipit; unde etiam hieme captam sæpius vidi, & hac ipsâ hieme gustavi. Fateor aliquando, cùm earum numerus excreverit, in vicinas Regiones, præsertim in *Moraviam*, & *Palatinatum* evolare, imò etiam ùt ex *Aldrovando* discimus, in *Italiam* usq; & *Hispaniam* migrare, sed ea migratio annua non est, & rarum, ac ferè prodigiosum, ut ipsemet *Aldrovandus* observat, habetur. De hujus *Avis* migrationibus virum peritissimum Aucupiorum nostrorum consului, qui in hunc modum respondit: Czečatka / inquit, *seu* Brkoslaw / *est apud nos duplex, major & minor. Minor quovis anno tertio ita multiplicatur, ut ijs omnes Districtus Bohemiæ impleantur (ac tum fortasse etiam in alias regiones à nobis avolat) Major autem* Czečetka / *seu major* Brkoslaw *septimo quoq; Anno tanto apud nos numero compâret, ut omnia Aucupia impleantur. Idq; non ita intelligendum est, quasi alio tempore ijs careamus, quia omni anno habemus aliquas, sed pauciores, & in certis tantum Districtibus Bohemiæ, ubi escæ idoneæ copia illis suppetit.* Hæc ille. Unde tria colligimus: primùm duplicem esse istarum *Zizirellarum* species (quod plurimæ *Aves* habent, quæ solà magnitudine differunt) *majorem* scilicet & *minorem*: deinde statis temporibus ita multiplicari, ut *Bohemiâ* contineri non possint; tandem Brkoslaw & *Czeczetkam* prorsus eandem, hujus Aucupis judicio, Avem esse. duo priora de *Czeczetka* admittunt etiam *Aucupes* alij, sed negant eandem esse Avim: *Czeczetkam* enim instar parvi *Sturni* maculosam, nihil singulare & gratiosum in pennis habere; Brkoslaw verò formosissimam Aviculam esse (de qua scilicet ex *Aldrovando* nunc agimus) fuitque Aucupum non nemo, qui mihi, & *Brkoslaum* & *Czeczatkam* attulit, Aves duas toto Cœlo differentes.

[M]igratio[n]es Ptero[c]liæ.

Sequitur apud *Aldrovandum* Avis hujus elegantissimæ forma & descriptio tam accurata, ut à me nihil adjici possit.

Oculi granatam gemmam mentientes, &c. Mirum hoc est, quòd eam gemmam *Pteroclia* nostra exprimat, quæ omnium nostrarum, seu *Bohemicarum Gemmarum* (ut in tractatione de *Gemmis* docuimus) obtinet principatum; sed cùm hæc *Avis Bohemiæ* peculiaris sit, meritò Naturæ author DEUS, bohemico *granato* Bohemicam *Avem* concolorem, & oculis ejus gemmæ colorem indidit, ut in ipsis oculis Patriæ suæ symbolum circumferret.

Cur granatæ gemmæ speciem ferat in oculis Pteroclia.

Figurâ sua literam L *exprimentes pennæ &c.* Id verissimum est. omnes enim pennulæ in alis, vel quinque, vel sex, vel etiam septem L clarissimè depicta gestant, quasi *Augustissimo Cæsari*, *Regique nostro* LEOPOLDO I. & futuræ ejus (quam vovemus) posteritati, cum universa *Bohemia*, se subditas profitentes, & *Jubilæa* in Annos 350. ferentes.

Aves Bohemicæ septē L. in alis depicta gerũt.

Aves gregariæ ſunt ac benignæ, &c. apud nos gregales non ſunt, niſi quis etiam apodes, & hirundines antè quàm migrent, gregales exiſtimet, quòd rarò una ſola reperiatur. At frigus ingruens, cogit, & gregales facit: tum enim ſeſe circumſpicere incipiunt, & inopiâ conſilij, & ſocietate naturæ, quaſi incommuni periculo congregantur. quòd verò in *Italia* gregatim & cumulatim volârint, non mirum eſt: Unà omnes emigrârant; unà in Regionem novam advenerant; commune omnibus in ignota regione periculum inſtabat; communis volatus & eſca communis erat volantibus, & quod ederent, unà quærentibus. De benignitate Naturæ, quod addit, eſt certiſſimum, hominum enim præſentiam expetunt maximè; ante aliquot annos cùm *Oppaviam* per *Chlumecium & Pardubicium* iter haberem, unius milliaris itinere has *Aves Pteroclias*, Comites itineris habui duas: prævolabant ſemper, ac deinde in palo aliquo, aut ſepe, ſedebant, donec in curru advenirem; ubi advêni, tum illæ, ſuum illud zizirì zizirì repetentes prævolabant, dum iterum advenirem, rurſus prævolabant, me & ſocio meo admirante, ſic iter duarum & ampliùs horarum nobiſcum confecerunt, donec neſcio quis obvius nobis familiaritatem hanc totam turbaret, atque illæ ablatæ vento, etiamtum ziziri ingeminantes, amiſſæ ſunt ex oculis.

Avis Bohemica humaniſſima.

CAPUT LXXII.

Enumerantur ſingulari diligentiâ Aves Bohemiæ.



Otam hanc de Avibus tractationé concludere parabam, cùm ecce amiciſſimus Vir fraterno mihi amore conjunctus, è Societate noſtra *P. Joannes Victorinus* in Aucupijs celeberrimis *Bohemiæ* à prima ætate verſatus, & quas *Bohemia* Aves ferat, optimè conſcius, ab ipſo *Erfurto* (ubi nunc apud pedeſtrem legionem *Kaiſerſteinianam* in præſidio ejus Urbis ſtantem ſacra procurat, & animas Chriſto lucrandas aucupatur) *Indiculum avium Bohemicarum* quaſcunque ipſe viderit uſquam & noverit, ſubmittit. Non poſſum huic in me tam inſigni benevolentiæ aliud mutuæ charitatis pignus reddere, quàm ſempiternam memoriam in animo, & aliquantulam ex hiſce meis brevibus, fugientibus, & in diem victuris literarum elementis nominis claritatem promittere; indiculus boni Patris Bohemicam avium Nomenclaturam exhibet, & bohemicè conſcriptus eſt, tum quòd neceſſarijs ille deſtituatur libris, tum quòd non neſciat, de Avium Nomenclatione multas & contrarias eſſe inter Scriptores, eáſque malè conciliatas ſententias, tum denique quòd Latina nobis nomina deſint, cùm multas Latio ignotas & peregrinas Aves (ut modò in *Bohemica* avicula *Ampelide ex Aldrovando* vidimus) *Bohemia* noſtra progignat, & educet. Ego tentabo Avium nomina latinè, ùt potero, reddere; ſin autem, dicam carere nos latino nomine; in *Notis* (quas Capiti ſubnectam) adjiciam pluſcula; citationes quoq; *Aldrovandi, & Weleslavini* ſunt meæ, uti & cætera omnia, bohemicâ nomenclatione (quam Pater ſubmiſit) exceptâ.

Indi-

Indiculus Avium quas nôvi, incipiendo à minimis.

§. I. *De Avibus parvis usq; ad Alaudas.*

Zlatohlávek, omnium Avium nostrarum, meo judicio minima. Caret latino nomine; est avis rarissima, digiti indicis primum articulum magnitudine non excedit; vide *Notas*, quas huic Capiti subjiciam.

Střjžjček. *Trochilus seu Regulus*; nota avis.

Hwjždek. Latinum nomen ignoratur, fortassis hic erit *Passer Troglodytes.*

Species Paricum apud nos quinque sunt præcipuæ.

Sykora. *Parix.*

Pyskora.

Chocholatá Sykora. *Parus cristatus.*

Babka.

Kozjšek / vel Mlinářjček / vel Sjjdlo / vel Anpolnik. *Parus major. Fringillago.*

Cžjžek. *Ligurinus, Spinus.* Aldrov. l. 18. C. 4.

Canaria. Avis hæc etiam apud nos nascitur, sed prosapiam ex Canarijs Insulis ducit.

Horni Stehljk. *Carduelis montana.*

Stehljk. *Carduelis.*

Gířice vel Konopka. *Linaria.*

Cžečetka vel Cžečatka. Latinum nomen ignoramus.

Currucarum species duæ præcipuæ.

Pěnice hluchá. id est, *Curruca surda.*

Pěnice welká. id est, *Curruca major.*

Motacillarum species duæ præcipuæ.

Třasořitka / Konopásek vel Konipásek. quod inter *Equos* libenter pascatur: altera est flava tota, altera variegata, ex albo & nigro colore. Weleslavino *Culicilega.*

Vhelnjček. à carbone, quasi carbonarius. Suspicor esse *Parum carbonarium*, seu *Atricapillum*, de quo agit Aldrovandus l. 17. Ornithologiæ C. 17.

Cžermák. *Rubicilla seu Phænicurus.*

Cžerwenka. *Erithacus seu Rubecula.*

Třasák. nomen latinum non habeo.

Slawjk. *Luscinia* nobis duplex: prior notissima, altera spuria ad eam tamen proximè accedens, quæ corruptissimè cantat.

Křiwonoska. *Loxia*, (Krumschnabel)

Brhel. Latinum nomen nescitur.

Pěňkawa. *Fringilla.*

Gikawec. Avis Bohemis notissima, delicati saporis cum grata quadam amaritie.

Skalnik / vel Kamenik. suspicor esse *Montifringillam Aldrovandi*, de qua agit L. 18. Ornith. C. 7.

Est etiam inter *Fringillas* Zlatohlá-wek (Goldfinck) *Aurivittis*, cum aureo capitello; *Weleslavinus* eam cum *Pyrrhula* seu *Rubicilla* confundit. Est diversa ab illa minima, quam primo loco posui.

Zwoneček. A Nola quasi *Nolaria*, quòd nolulam, aut tintinnabulum imitetur voce.

Heyl. N. L.

Rybářik / vel Alexander / fortassis ob Regiam plumarum venustatem, quo Latino appellem nomine nescio.

Emberizarum species apud nos duæ. *Vide Aldrov. l. 17. C. 53.*

Strnad. *Lutea* seu *Cirlus.*

Pisšek / Strnad wětšj / est ejusdem prorsus coloris & naturæ, sed major.

Species passerum præcipuæ:

Wrabec. *Passer domesticus.*

Sswihlik / vel Ssťěček. *Passer silvestris.*

Rakosnik. *Passer arundinarius.*

Hlask. *Pyrrhula* seu *Rubicilla.* Aldrovan. l. 17. C. 31.

Picorum parvulorum aliquot genera.

Strakoss / Strakopaud / Massogjdek / vel minor Strakoss; quæ quomodo Latinè exprimi possint, non invê-

invêni. Fortaſſe ſunt illi *Pici*, fringillæ magnitudine, de quibus *Aldrovandus* l. 16. Cap. 8. in fine. Vide *Notas*.

§ II.

Ab Alaudis uſquè ad Corvos.

ALaudarum apud nos præcipuæ differentiæ quatuor.

Skřiwan. *Alauda.*

Trpělka / alijs **Skřiwáček** / vel **Chocholauſſek** / Alauda *criſtata*, *galeritus* vel *galerita*.

Linduſſka vel **Leptuſſka**. Caret Latino nomine. vide Aldrovan. l. 18. Cap. 10.

Alaudis accenſeri poteſt avis rariſſima (cujus etiã nomen ignoramus, ſed *Alaudam* dicimus) Alaudæ magnitudine & formâ, non tamen colore; nam ſupernè caſtanei coloris plumulas, ſub ventre candidas habet; humi ambulat, Alaudam crederes, granis veſcitur, ſed caret ungve illo alaudarum oblongo in pollice, quem hæc avis nigrum & recurvum geſtat. **Sſpička** Bohemis, avicula eſt alaudæ, & turdo ſimilis, ſed parvula; convenientiùs alaudis annumeratur.

Differentiæ Hirundinum præcipuæ apud nos ſunt.

Laſſtowice. *Hirundo.*

Sſtiřiček domowý. *Hirundo* domeſtica.

Sſtiřiček břehowý neb zemnj. *Hirundo riparia.*

Koregk. *Apus.*

Notandum: *Germanos & Bohemos* (cauſſam ignorare me fateor) *Hirundines marinas*, **Meerſchwalben** / **Mořſké Laſſtowice** appellare, *Aves* illas albas, aut cinereas, magnitudine minoris monedulæ, quæ cum incondito clamore piſcinas circumvolitant, & in aquis ipſis inter arundineta nidum natantem conſtruunt, & dum piſciculos captant, ſeſe in aquas immergunt, alioquin natare neſciunt. Ejuſmodi *Aves* ſunt parvæ, majores, maximæ, & quædam colore differunt, alteræ ſunt candidæ, eæq; majores, alteræ Leucophææ.

Turdorum apud nos differentiæ multæ.

Genera Turdorum magnitudine potiſſimùm differunt. Vide *Aldrov*: l. 16. C. 1.

Kwjčala / *Turdus* (**Kranwet-Vogel**)

Brawnik / vel **Prſkawec** / vel **Truſkawec**, *Turdus viſcivorus*. de quo *Aldrov*. l. cit. C. 2.

Cwrčala / quibusdam **Crl** / à ſono cr vel zr; quem etiam volans edit.

Drozd. *Turdus maximus* viſcivorus, ſeu *Turdela*.

Notandum: omiſſum eſſe hoc loco *Turdulum Bohemicum* (**Behmerziemer** Germanis) qui in *Bohemia* ùt loquitur *Aldrovandus*, nidificare dicitur. Vide apud eum lepidam de Turdo *Bohemico* hiſtoriam l. 16. C. 4. Turdus Bohemicus.

Kos. *Merula.*

Chocholauſs / alijs **Brkoſlaw**. *Avim Bohemicam* appellant *Geſnerus & Aldrovandus*, de qua ſingulari Capite, quòd Bohemiæ propria ſit, egimus. *Ampelidem* ei nomen dedit *Aldrovandus*, ſed quam non aptè, jam diximus; eſt duplex, major & minor; *Cziczirella* vel *Pteroclia* aptiſſimè dicetur.

Sſpaček. *Sturnus.*

Sogka. *Nucifragam Aldrovandi* eſſe dicerem, vel *Merulam ſaxatilem*. ſed deſcriptio noſtræ huic Avi non ſatis congruit, quæ longè venuſtiùs & non ferrugineis tantum albíſque maculis veſtitur, ſed etiam pennis lucet cærulei, vel indici coloris. Certum eſt ex *Picorum* genere eſſe. *Weleslavinus* putat eſſe *Garrulum*, *Spermologum & Frugilegam*. Aldrov. l. 16. C. 18.

Straka. *Pica*, eſt nobis duplex: alba & varia, vide *Aldrovandum* lib. 12. Cap. 11.

Mandelјček. *A Manipulis frumenti*, quaſi *Manipularis* dicta, propterea, quòd

quòd demessis manipulis insideat, & in ijs sese recondat. Avis est, ut qui tractavâre narrant, miræ venustatis. Vide *Notas.*

Picorum differentias plurimas habemus.

Datelíček malý gako Myß. *parvus Picus* instar musculi, *Certhius* vel *Certhia*, ut existimo.

Datel prostřednj. *Picus* mediocris.

Datel weliký. *Picus* maximus.

Omnes hi rostrum habent durum, rectum, & robustum ad perforandas arbores; *Picorum* differentiæ petuntur ex magnitudine. Vide *Aldrov.* l. 12. C: 30. 31. 32. 33.

Strakopaud. *Picus Martius.*

Strakopaud zelený. *Picus viridis.*

Strakopaud popelatý. *Sitta* vel *Picus cinereus.*

Žlůwa žlutá. *Meropem flavam Weleslavinus* esse putat. Ego suspicor esse *Galbulum.*

Žlůwa černá. Latinum vocabulum nescio.

Wlha. *Merops*, ùt puto, vel ejus species.

Křiwohlawek. quòd curvè caput gestet. latinum nomen nescitur.

Wiohlaw. *Torquilla*, vel *Iynx.*

Žežulka / vel **Kukačka** / vel **Kukawka.** *Cuculus.*

Wranosteyk vel **Wranowřesk.** caret Latino nomine.

Dudek / vel **Dedek** / alijs **Kodeb.** *Upupa. Aldrov.* l. 17. C. 17.

Lelek. quæ hiante ore culices excipit, & dum sunt multi, glutit. est magis nocturna quàm diurna. Hanc avim apud *Aldrovandum*, *Aluconem Gelenius* (*Weleslavinus Corvum nocturnum*) appellat. *Aldrov. l. 8. Ornith. C. 5.*

Kawka. *Monedula.*

Wrána. *Cornix.* est multorum generum.

§. III.

Indiculus Avium cæterarum.

Corvorum apud nos quatuor præcipuæ sunt differentiæ:

Krkawec. *Corvus* propriè dictus.

Hawran. *Gracculus* vulgò. *Weleslavinus* hanc avim *Cornicem*, quam verò *Bohemi* **Wrána**, ipse *Cornicem cineream* appellat, & *Gracculum* cum *Monedula* confundit.

Krkawec horný. *Corvus montanus.*

Wodnj / neb nočnj Krkawec. *Nycticorax.*

Scolopaces, sive *Gallinagines* multas apud nos habent differentias, sed præcipuæ sunt quinque; **Sluky** & **Kulisky** dicuntur, his adde **Sluka lesnj** / id est *Rusticulam silvestrem.* Sunt etiam **Sluky** / seu *Scolopaces* ad Uligines piscinarum (Wasserschneppen) quædam tam magnæ, ut propè columbas æquent, aliæ rursus tam parvæ, ut Apodem non superent; mediæ inter has plurimæ.

Geřábek. *Attagen, seu Gallina corylorū.*

Tetřjwek. *Tetrao.* **Geřáb weliký** / *Grus* juxta *Weleslav.*

Tetřew hluchý. *Urogallus.*

Bažant. *Phasianus.*

Koroptwa. *Perdix.*

Křepelka. *Coturnix.*

Chřástel vel **Sekáč.** latinum nomen ignoratur.

Aves domesticæ omittuntur hoc loco: ùt *Gallinæ, Pavones, Anseres, Anates, &c.*

Columbarum sunt plurimæ differentiæ:

Holub. *Columba.*

Hřiwňák. *Palumbes magnus.*

Dubňák. *Palumbus & Columbus* silvestris minor, à quercu, cui insidet; dictus.

Hrdlička. *Turtur.*

Seyc. *Ceyx.*

Czegka. *Weleslavinus* putat esse *Gaviam* vel *Capellam* (Gysitz Germanicè) *Vanellus.* Ita *Aldrovandus* l. 20. C. 63.

Accipitrum species plurimæ sunt nobis:

Wostřjž

Woſtřjžek. Minimum accipitris genus. *Weleslavino Tinunculus*, vel *Miliaria*.

Poſſtolka. *Tinunculus*. *Weleslavinus* adverſus alios omnes putat eſſe *Galgulum*, vel *Galbulum*. *Cenchris*.

Krahulečeť. *Accipiter fringillarius*.

Krahulec. *Niſus*.

Sokol. *Falco*. horum multa ſunt genera, *Aldrov.* l. 6. Toto.

Pochop. Crudeliſſimus & Tyrannicus in aves *Accipiter*: latinum nomen ignoramus.

Geſtřáb. *Accipiter*. ejúsq; plurimæ ſpecies.

Káně. *Vultur grandis*.

Luňák. *Milvus*.

Orlik. medium quoddam inter *Aquilam*, & *Accipitrem* genus.

Orel. *Aquila* eſt apud nos multiplex.

Sup. à ſtertendo. deeſt nomen latinum.

Aldrov. l. 7. c. 13. **Karoh.** *Accipiter ſtellaris*. *Falconem Cyanopodem* nominat *Aldrovandus*.

Aquaticæ Aves plurimæ ſunt cum ſuis differentijs.

Neſyt. Quaſi dicas *inſatiabilis*. quomodo latinè appelletur, nondum invêni.

Labuť. *Cygnus*.

Hus diwoká. *Anſer ſilveſtris*.

Kachna. *Anas*, ſed harum ſunt ſpecies novem, vel decem, imò etiam plures.

Aldrov. l. 20. c. 16. **Bukač.** *Ocnus*, *ſeu Ardea ſtellaris* minor.

Wolawka. *Ardea* (Reiger) eſt multiplex: *pulla*, *ſtellaris*, &c.

Czáp. *Ciconia*.

Czáp bjlý. *Ciconia* alba tota; eſt avis rariſſima.

Roháč. duplex, albus & niger. *Mergus*, *vel Cataractes*, magnus & parvus.

Potapka. ſuſpicor eſſe *Urinatricem*.

Lyſka. *Mergulus vel Fulica*.

Tandem aliæ quàm plurimæ,

Nocturnæ Aves.

Netopeyr. *Veſpertilio*.

Seyček.

Kalaus. *Otus*. *Aurita noctua*.

Kalauſek. *Cenchramus*, juxta *Weleslavinum*.

Sowa. *Noctua*.

Weyr. *Bubo*.

NOTÆ IN PRÆSENS CAPUT.

Zlatohláwek/ latinum hujus Aviculæ nomen neſcio; nam *Aurivittis*, *Rubicilla* (Germanicè **Goldfinck**) eſt ex *fringillarum* genere, ac proinde major, quàm hæc, de qua nunc nobis eſt ſermo. Aucupes noſtri mira de hujus avis venuſtate narrare ſolent; mihi illam nunquam contigit videre; unde nominare contentus, cætera ijs relinquam, quibus eas capere, & manibus tractare ſilvarum Fortuna conceſſerit. Gregatim has aviculas aliquando volare ex eo conjicio, quòd *Auceps* quidam affirmârit mihi: vidiſſe ſe gratiſſimum ſpectaculum, cùm hujuſcemodi *aviculæ* arborem quandam cumulatim inſediſſent, capite aureolo, plumis cæteris verſicoloribus, atque ita arbor tota, ſole præſertim colores illos pulcerrimos radijs tingente, & accendente, aurea & gemmea quodammodo videretur, quot enim erant aviculæ, tot gemmæ: *Chryſolithi*, *Carbunculi*, *Smaragdi* &c. De eadem Avicula hæc ad me quem toties nominavi Amicus *Erfurto* (22. Junij Anno 1678.) ſcribit: *quærit Rev: Veſtra de avicula* **Zlatohláwek** (*quâ minorem non inveni hactenus*) *quanta ſit & qualis? appingo illius iconem, & transmitto* (hæc eſt vera & genuina Auricapillæ ſive latitudinê, ſive longitudinê ſpectes, magnitudo)



Eſt autem revera tam exilis, ut ſi eam plu-

Auricapitellæ descriptio.

plumis suis exutas, corpusculum illius primum pollicis humani articulum longitudine non superet, crassitie verò vix medium articulum æquet. hæc de parvitate. Colore prædita est quasi flavo-viridi, sed magis obscuro, quàm in Luteola (Čžjžek) *quæ etiam est flavo-viridis. In pectusculo non nihil cinerei coloris aspersum est, uti & circa malas; in fronte seu summitate capitelli Masculus habet aliquot plumulas pulcerrimi, altéq; crocei, & quasi aurei coloris* (unde illi nomen Zlatohlawek, *Auricapitella*) *femella verò plumulas ejusmodi obscuriores habet, & pauciores. Pedunculos habet quasi ad carneum colorem* (*uti & passer*) *accedentes, rostrum ejusdem coloris, nisi quòd in acumine nonnihil nigrescat. Capiuntur Auricapitellæ maximè inter Juniperos, ubi inhærentes araneolos & culices deglubunt. Habui in manibus sæpe Spinulas* (Střjžjček regulorum genus) *sed reguli meo & aucupum judicio, magnitudine Auricapitellas longè superant.* Hæc ille.

Lup:

Consului & alium Patrem nostrum in Avibus cognoscendis percuriosum, qui in hanc sententiam respondit: Zlatohlawek *Aviculam sæpe videre cupiebam; negabant Aucupes vivam se capere posse, propterea quod teneritudo aviculæ non pateretur, nam simul attigeris, necatur; tandem Giczinij inter Tilias me præsente argillaceo globulo à puero dejecta est; suspicabar impactu folij, aut terrore cecidisse: nam nihil apparebat ictu concussum. Bruchum Majalem dum volat, non excedit; deplumis avellanam nucem, aut amygdali Nucleum æquat; caput plumulis aureis cristatum habet, quale aurum in nigrorum Gallorum syrmate aliquando videmus micare, vel in cauda pavonum; cæteræ pennæ ex viridi flavescunt, rostrum est tam exile, ut vix præter Culicem, & minimum aliquod Muscarum genus excipere possit.* Satis de Auricapitella, quam ego crediderim *Peruanis* illis minutissimis Aviculis, quas *Bisselius in Argonauticis* describit, tertiam accedere posse: earum *prior gryllum, altera vespam*, tabanúmve silvestrem, Nostra, corpusculi mensurâ *Bruchum* adæquat. Ex illis *Peruana* gens operis plumarij scientissima pennas colligit, & vel mortuis detrahit, quarum contextu exprimunt quidquid jusseris, eóque ingenioso labore Phrygiones omnes, & acûs Babylonicæ gloriam extingvunt. Non vanè existimo, *nostras* quoque *Aviculas*, si *Barbari* Artifices adessent, usum aliquem ex venustulis suis pennulis & pinnulis præbituras, ut sunt Aves, quas modò nominavi, *Auricapitellæ, Aurivittes, Cardueles, Phasiani, Manipulares*, & quos Bohemi Rybářik appellant, tum *aves Bohemicæ*, seu *Pteroclia vel Zizirellæ, Vanelli*, aliæque plures.

Peruanæ Aviculæ minimæ.

Bissel. l. 14. Argonaut. C. 6. & 8.

hrausst.

Hwjždék. Hæc Avicula est ex *Regulorum* genere, ex eo scilicet, quod fistulet, unde illi nomen inditum videtur. Vide *Aldrovandum de Passere Troglodyte, & de Tyranno, & Asilo* scribentem.

l. 17. Ornitholog. C. 4.

Paricum genera quinq; &c. Auceps senex, artis suæ peritissimus, non *quinque*, sed *septemdecim* esse *Paricum genera* affirmabat, singulas appellationibus suis bohemicè enumerans: earum alias *magnitudine*, alias *capitellis vel rostellis*, alias *colore* pennarum in pectusculo, in alis & dorso, & collo, alias *ungviculis*, quasdam earum *ocellulis, & maculis*, alísque notis distingvebat, atque ex his Nomenclationes lepidissimas recitabat memoriter.

Passer domesticus &c. Non possum hoc loco *passerinæ* docilitatis & ingenij documenta (quorum ipse oculatus sum testis) reticere: diu credideram cicurari *passeres*, & mansvefieri (ut Scriptorum aliqui docuerant) vix ac nè vix quidem posse; at postea exemplis comperi, sic ad humanitatem eos educari, ut nihil sit homini familiarius, nihil blandius. *Litomericij in Collegio* unus ex Nostris parvum & adhuc à matre calentem, flavirostrium

ex nido raptum *paſſerculum* ſic aſſvefecerat ſibi, ut jam etiam adultior, & depoſitâ ut ita loquar, prætextâ, in cubiculo perdius, & pernox habitaret. Dici non poteſt, quales ille nobis de ſe ludos præbuerit, & quantas domino delicias fecerit! ab unius illius ore pendebat, & ſi digitum aut vocem tolleret, advolabat frigutiens, & pro cibo & potu ſupplicans. Tandem ſponſam adduxit domum, & quinque paſſerculos excluſit, *Matre* ſemper pavidâ, reſpectante, & intractabili. Perijt poſtea foris Pater, ut fit, & pupilli quinque, quaſi â patre commendati forent, in cubiculo remanſerunt mirè & ipſi cicures. At *Curator & Tutor* ſingulis impoſuit nomina, ut vocati reſponderent, & advolarent. Nihil hoc in genere vidi jucundius: Eundem *Noſtrum Litomericio* ad aliud *Collegium* miſſum comitabar: clauſit in ſtrophiolo *Paſſeres*, & in ciſta ſuper quoddam molle tomentum ſervabat. Vidi ipſe & audivi: quoties apertâ ciſtâ quempiam nominaret, ad ſuum nomen pipilare; ergo exemtos in itinere paſcebat, potabat, atque iterum ſtrophiolo claudebat, donec ad viæ terminum tridui itinere perveniremus. Nec illud minùs lepidum: religioſus ex *Cœnobio Biſtricenſi Paulanus* per *Novam domum Pragam* proficiſcens *Paſſerem* habebat, qui in ejus caputio velut in nido hoſpitabatur. Per iter, ſi quid vellet, curioſitate aut libertate motus evolabat, & in vicina arbore conſidebat; ſi procul jam abiîſſet *Currus*, *Paſſer* ſequebatur volatu, ſéque in caputium recipiebat, ita *Pragam* tot milliaribus eſt perventum. *In Collegio Pragenſi Paſſerem* habebamus cicurem, qui in hortenſe *Refectorium* involabat; ibi velut aſſecla menſarum aſſentabatur, & panis micas oblatas legebat, vini ſummè appetens fuit, & accidit aliquando, ut cùm ſibi intemperantius indulſiſſet, turbato capite ſopiretur, totúſque ebrius ex *Refectorio* debuerit exportari. Hujuſmodi ſpectacula & ludos dederant *Paſſeres* cicurati; ornabantur interim criſtis pavonum aureolis, auróque ſtrepero certis locis delicatè inveſtiebantur, & ad pompam, & ſpectaculum emittebantur; utique ita ornati ſi ſe in ſuorum gregem immiſiſſent, attoniti *Paſſeres cæteri* velut ad miraculum convolabant. Illud permirum: quacunque diligentiâ nunquam hoſce *Paſſeres* Anno uno ampliùs ſervari potuiſſe, omnes alijs aliiſque mortibus perierunt.

Maſſogjdek *vel minor* **Strakoſs /** *&c.* Nomenclatio Bohemica **Maſſogjdek** *Carnivorum*, aut diminutè ob Avis parvitatem, *Carnivorulum* latinè ſignificat. Eſt ex *Picorum* minimo genere, ſed carnis appetentiſſimus, cùmque ad prædam faciendam minimè â Natura ſit inſtructus, (neque enim ungves aduncos, aut roſtrum aliquod durum & corneum habet) non poteſt niſi fatigatione prædâ potiri; itaque cùm paulò major eſt avis, aut æqualis, inſectatur, & roſtro caput verberat, donec conficiat; at in aves minores arte utitur, ut ſi *Ligurinus vel Parix* objiciatur: tam enim dextrè roſtello ſuo collum ſupernè tundit, ut vertebra colli cum ſonitu dividatur, quod cuique Avi eſt lethale; ſed longè illud majorem admirationem meretur, quod Perilluſtri *Equite Georgio Franciſco Daudlebsky* referente didici: *Piculum* hunc, poſtquam aviculam inſectando, & tundendo fatigavit, tantâ cupiditate prædæ inhiare, ut ſi ea illi ab homine eripiatur, vel ſubducatur, in phreneſim incidat, impatientiâ doloris, & per humum volvatur; quod ſe expertum idem ille vir Illuſtris teſtatur. Porrò jucundiſſimum eſt ſpectaculum *Carnivorum* hunc cum paſſere in hypocauſto claudere, & venantem aſpicere. Placet recitare, quæ de hoc genere *Picorum* Vir peramicus nuper ad me dedit: **Strakoſs paud /** *quem aliter appello* **Strakoſs /** *eſt revera Avis mira, quæ Aves minores capit,*

Pici mini[mi], ſed ca[r]nivori ta[men] mirabilis [hi]ſtoria.

capit, & dum esurit, subinde per pedes de ramo deorsum pendula, quasi ab aliquo capta teneretur, vociferatur inconditè; non posset, si vel excoriaretur, miserabiliorem vocem fingere, Aves autem minores territæ ad has vociferationes, visuræ quid sit, advolant; ex quibus si quæ incautiùs accedit, fit præda. Pergit idem: *hæc avis profectò sæpissimè decepit meipsum, ob admirabiles vocis varietates, ut putaverim esse hominem, aliàs bestiam, tam variè garrit, & animalia, & aves cæteras imitando. Est autem hæc* Strakopaud *major, quia minorem vocavi* Masfogjdek. Hucusque vir peramicus. Ast alij *Aucupes*, quos consului, hæc omnia *Minori Pico* (quem & ipsi Strakoss appellabant) attribuunt. Conciliari forsitan utrumque potest, si quod major facit, minor etiam imitatur, cùm sint naturâ, vitâ, pennis, moribus, & omni alio genere victûs similes omnino, & solâ magnitudine differentes.

Pici minimi, sed carnivori ... mirabilis historia.

Aldrov. l. 16. Ornith. C. 40.

Lepidam de Turdo Bohemico historiam. Placet *Aldrovandi* verbis ex *Gesnero* historiam hanc referre: *Coccothraustes*, inquit (est hæc Avis ex genere *Picorum* qui Nucleos aperiunt) *Coccothraustes Cerasorum ossa rostro confringit, quorum nucleis inhiat maximè; igitur Auceps quidam nuper, ut rem ridiculam ostentaret, Turdi genus Bohemicum (ut Germani appellant) in cavea inclusit, idque cerasis aridis pasci assuefecit. Cùm verò Turdus integra devoraret ossicula cerasorum, quæ subinde excernebat, in subjectam caveam, cui inclusus erat Coccothraustes, delapsa illum alebant.* Hæc Aldrovandus.

Descriptio Avis pulcerrimæ in Bohemia, quæ Mandelićek dicitur.

Mandelićek &c. Dum hæc ad typum parantur, en tibi Perillustris & Generosus Dominus *Franciscus Daudlebsky* Eques vetustissimæ in Bohemia stirpis, avem ipsam, quam Mandelićek quasi *Manipularem* vocari diximus, magno honore verborum mihi transmittit: est avis *Pico Martio* paulùlum major, *alas* habet ingentes, & quàm corpusculum requirat, longiores; *capitellum* magnitudine columbinum adæquat, imò exsuperat; *rostrum* duriusculum & penè corneum; quod superius est rostri in fine paululum aduncatur; *collum* columbino collo turgenti non absimile, justæ etiam pro corporis magnitudine longitudinis, crassius tamen, quàm longius dici meretur; *pectusculum* non ut columbæ differtum, sed ut pici Martij, & cæterarum silvestrium oblongum, & (ut ita dicam) ovale; dorsum est ejusdem *Pici*; ex Uropygio deinde syrma plumarum perelegans efflorescit, numero decem sunt, æqualis omnes longitudinis, licèt, ut mox dicam, diversis perfundantur coloribus. *Pedunculi* citrini sunt coloris, flexibiles & longi, qui supra crura scula plumulis suis conteguntur; *digituli pedum* ejusdem coloris & longiores, ad aliquid comprehendendum & insistendum ramis firmiùs, qui in extremitatibus ungviculos habent corneos, & recurvos. *Longitudo* Avis dum extenditur à rostri cuspide usquè ad ultimas caudæ pennas, *Ulnam Bohemicam* cum latitudine unius digiti adæquat; *latitudo* verò ab extremitate alterius alæ ad alteram, *ulnam Bohemicam* sine digiti unius latitudine examussim explet; atque ita *latitudo longitudini* respondet, ut propè tam *lata* sit quàm *longa* (dum volat) si modò latitudini alarum duûm digitorum latitudinem adjeceris. Jam ad colores quibus hæc avis Regia pingitur, veniamus: *Caput* (in quo *ocelli* duo velut grana nigricant) viret virore lucido & Psittacis persimili; quà ad rostrum plumulæ ab oculis tendunt, viror ille cuidam candori miscetur; ad *colli finem* super humeros ut ità dicam, color incipit gilvus potiùs, quàm fulvus (qualis est in pelle Damularum vel Cervorum) hæc fulvedo magnam dorsi partem usquè ad Uropygium & aliquid etiam de alis occupat; *pectusculum* totum est viride, & ejusdem cum capite coloris; viror tamen ille inte-

Colores hujus Avis.

interiùs ad ipſum corpuſculum ſi plumulæ elevantur, candore & nigrore diluitur, nam plumulæ illæ virides, dum è corpore exeunt, ab origine nigrant. Sed in *alis* maxima huic volucri colorum venuſtas: primùm in remigio alarum *foras* ſpectante, triplici colorum varietate diſtingvitur: *alarum & Sterni* principia amethyſtino, & cæleſti colore lucidiſſimo, tum plumæ mediæ per alas viridi colore tinguntur, extrema alarum prorſus nigricant; ubi cæruleus & viridis color committuntur ſub ſterno, punctulum quoddam ex niveis plumulis apparet. Hæc plumarum in exterioribus alis effigies eſt; at *alæ interiores* (ſcilicet in remigio interiore, quod corpori obvertitur, & cùm avis ſedet, ad latera plicatur) gemino colore tantùm relucent: nam dimidium alæ viret, reliquæ pennæ cæruleo colore terminantur. Jam & *Uropygium* eodem cœli colore, non tamen æquè lucido, neque ùt loquimur tam *elevato*, tingitur, ex quo, ùt antè monueram, decem pennæ longiores trahuntur: quinque primæ pennæ ex cæruleo colore deſinunt in virides, amabili tranſitu; ſexta & ſeptima ex cæruleo deſinunt in nigrum; tres poſtremæ ut primores quinque adornantur. Veſcitur hæc Avis pervenuſta frumenti granis, éſtque hoc velut ejus regnum Manipulis poſt meſſem inſidere, quam ob cauſſam, ùt toties dixi, apud *Bohemos* nomen invênit; ſed breve illi regnum *Manipulorum* in horrea convectio facit. Hinc cùm ampliùs nihil de *Meſſe* videt, in profundiſſimas Silvas abrepta, aliud conſectatur pabulum & latet, dum iterum *Meſſibus* ſtantibus extrahatur in campos.

Falco, horum multa ſunt genera, &c. Gyrofalco, Palumbarius, Falco montanus, gibboſus, Falco albus, Falco niger, Falco cæruleus (Germanicè Blaufüß, Weleslavino Karoh) Falco arborarius &c.

Hactenus de Avibus noſtris; de quarum tractatione diligenter Lectores meos annotare velim. I. tam eſſe incerta *Avium* nomina, ut eorum media pœnè pars, aut ignoretur, aut controverſa ſit.

Qui mihi hæc dicenti fidem non habet, ſumat in manus, rogo, vel *Bellonium*, vel *Geſnerum*, vel qui ex his aliiſque omnibus *Ornithologiæ* ſuæ tria grandia volumina confecit *Ulyſſem Aldrovandum*; vix ullam inveniet *Avim*, cui de nomine ab aliquo Scriptorum controverſia non moveatur. Itaque ſi quis me tam ſuſpenſo gradu in hoc Capite incedentem, & toties dubitantem animadverterit, ſciat id conſultò feciſſe; non enim tantum mihi arrogo, ut eos, qui in *Avibus* cognoſcendis ætatem contriverunt ſuam, aut corrigere, aut in re incerta, quid tenendum ſit, pronuntiare ipſe poſſim vel audeam; mihi ſatis eſt ad diligentiæ laudem, attuliſſe quæ comperi; at, quæ ab alijs didici, examinare anxiè, nomina, naturam inveſtigare, Anatomiam ſingulorum inſpicere, religioſo & Sacerdoti inter aras & ſacra occupato, otium non erat, neque aliud ego promittere, aut alius à me exigere potuit. II. Noverit Lector (quod ex primo ſequitur) hanc de Avibus tractationem, præſertim hoc extremo capite, accuratiſſimam & abſolutiſſimam non eſſe. Facilè id cuique apparebit, cùm plurimæ *Aves* in his poſtremis *Indiculis* ſint præteritæ; ergo ſeſe adjuvent ſcientiæ, ut ita dicam, & quod in hoc ultimo deſiderabitur ex prioribus Capitibus ſuppleatur. Ego ut me gratum & officioſum Amico præſtarem, nihil quod is annotârat, præterij. Alteris poſt hæc literis idem ille *omnibus è meis Amicis Antiſtes mihi millibus trecentis*, ut cum Catullo loquar, *duas Aves* quas nuper omiſerat indicavit, neutrius tamen latinum nomen ego dicere poſſum. Altera avis eſt, *Bohemis* dicta Maudj-ček (Amicus hic meus appellat Mudi-wſáček) paſſere paulò minor, quæ mirabi-

Avis cuj- dam mir- ſolertia i- Nido co- ſtruendo

rabilem sibi prorsus nidum componit texto sed invicto opere *Marsupÿ* ad instar, tam angusto supernè introitu, ut sola ipsa intrare possit, major autem quæcunque alia excludatur; *Avis* ipsa cinerei est coloris; zelotypiâ hanc avem laborare compertum est: fæmellâ in nido intus inclusâ, mas supra nidum sedet, & pro nido, próq; amore suo adversùs rivales assiduè pervigilat; nidus verò pendet, ac plerumq; super rivum conjunctis duobus tenuissimis ramis suspenditur, ut aquæ timore, ac tenuitate ramorum, animalia, quæ nocere possent, arceantur. *Avicula est parva, & planè illi similis, quam inter species Paricum quintam posui, & vocavi* Kožissek / Mlinářjček / *&c. Estq; etiam ejusdem magnitudinis, & concertare possunt de portiuncula Corporis, cum tertia ordine, quam vocavi* Hwjzdek. *Hanc ego ex proximo ad quoddam arundinetum advolantem diu contemplatus sum, vidique esse aviculam per omnia illi (quam appellavi* Kožissek*) similem, etiam quoad longitudinem monstrosam caudæ; in hoc uno differentem: quòd tota sit mirè & amabiliter candida, præter duas lineas nigras, quæ illi à rostro permodum barbæ turcicæ hinc & inde depictæ dependent. Dicuntur textores artem tibialia texendi ab hac Ave didicisse: siquidem instar tibialis nidulum suum mirâ arte contexit, ex materia lanuginosa alba (quæ fortè vocatur Mudi, & hinc fortasse* Mudiwoláček*) non relicto, nisi exiguo foramine ad ingrediendum & egrediendum; atq; ita hoc Tibiale suspendit; nidos aliquot hujus aviculæ vidi.* Hæc *P. Joannes Victorinus.*

De altera Avi idem ille Amicus scribit in hunc modum: *unicam adhuc Avem indicabo, cui ego multum diùque insidias struxi, ut vel eam possem conspicere quam audiebam; at nunquam eam fælicitatem sum assecutus. Videtur esse avis parva, ut gracilis vox significat, sed ita sine intermissione continuum quendam stridorē per longissimum temporis intervallum emittit, ut sæpe miratus fuerim, quomodo cum necessaria respiratione, perpetuus ille, neque ullâ vel minimâ morulâ intercisus stridor componi possit. In pratis humidis & arbustosis eam sæpius audivi inter densa arbustorum stridentem.* Hactenus Amici literæ. Jam verò Avibus, ut solent, aliò commigrantibus, immigrationes, migrationes, emigrationes Populorum in *Bohemia* & ex *Bohemia*, Libro sequenti prosequamur.

Avis altera inter arbusta stridens.



(✠)

INDEX HISTORIÆ NATURALIS BOHEMIÆ,

Summâ diligentiâ ab ipso confectus Authore, quo uno perlecto totius Libri notitia poterit comparari.

Numerus pagellam, a columnam primam, b secundam significat.

A

Aquam

B

millia-

C

D

E

H

I

K

L

M

N

O

Ra-

ERRATA QVÆDAM TYPOGRAPHICA.

Pagina,	*Columna,*	*Locus,*	*Error,*		*Correctio.*
2.	b.	post medium	*Collis*	Lege:	*Callis.*
9.	b.	initio	*Lucretinè*	L.	*Lucretianè.*
26.	a.	initio	*Rottenberg*	L.	*Zottenberg.*
41.	a.	ante finem	*longi*	L.	*longæ.*
54.	b.	post init:	*quiq;*	L.	*quinq;.*
66.	a.	ante fin:	*natos*	L.	*notos.*
Ib.	b.	ante fin:	*sagatiorum*	L.	*sagaciorum.*
68.	b.	ante med:	*vicinias*	L.	*vicinas.*
Ib.		post med:	*nascetur*	L.	*nasceretur.*
69.	b.	ante med:	*leve*	L.	*læve.*
Ib.		post med:	*Struckius*	L.	*Stuckius.*
72.	b.	post init:	*vitriolum se*	L.	*sed.*
73.	a.	initio:	*Aëtices*	L.	*Aëtites.*
74.	b.	ante fin:	*Laureatæ*	L.	*Lauretanæ.*
76.		in margine	*Chrysographus*	L.	*Chrysoprasus.*
77.	a.	post medium	*opere*	L.	*operæ.*
80.	b.	initio	*artificas*	L.	*artifices.*
Ibid:	b.	in fine	*Dichanek*	L.	*Duchanek.*
80.	b.	initio	*vitium*	L.	*vitrum.*
82.	a.	in fine	*proprior*	L.	*propior.*
85.	b.	initio	*habere*	L.	*haberi.*
Ibid:		ad finem	*exædificat*	L.	*exædificârat.*
89.	a.	ante finem	*Turres ille*	L.	*illæ.*
138.	a.	initio	*indigentem*	L.	*indiligentem.*
139.	a.	ante finem	*cui*	L.	*cùm.*
141.	b.	initio	*venirent*	L.	*veniunt.*
144.	b.	post medium	*in area*	L.	*in arena.*
147.	b.	post initium	*hilari voce*	L.	*luce.*
189.	b.	initio	Blaufůsch	L.	Blawfůß.

Errata reliqua pro sua prudentia & facilitate benignus & impetrabili humanitate Lector corriget, ignoscetq;.

LECTORI BENEVOLO S.

Nimium profectò credulus, & præfractè ac perfrictè confidens forē, Lector Benevole, si existimarem præsenti Opere, omnia me, quæ de *Bohemicæ Telluris* Natura adferri poterant, complexum esse, aut tam diligenter in hoc argumento versatum, tam certo & fixo gradu ubique processisse, ut nunquam falli, nunquam labi, nè titubare quidem contigerit. Etsi enim semper idoneos authores secutus, in plurimis meam ipsius, qui in rem præsentem vêni, conscientiam, & oculos allegârim, nihílq; memorabile sciens præterierim, ipsa tamen multitudo, & rerum *Naturæ* varietas, obliviosum me, & (ut Terentianè dicam) *omissiorem*, obscuritas verò *errantem* potuit efficere. Nimirum: *plura sunt quæ nescimus, quàm quæ sciamus*, & quod aptissimè in rem meam sapientissimus Imperator (Justinianus l. 2. C. dé vet. Jure enucleando) protulit: *Omnium habere memoriam, & penitùs in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis est.* Utrique huic malo, Tua, Benevole Lector, humanitas mederi potest: alterum, si ignoveris, jam sublatum est; omissio verò, per teipsum compensabitur, si (quod ut facias, unicè rogo) quæ addi possent, & memoratu digna videbuntur, benignè mecum communicâris, & submiseris; erit tertio abhinc Libro supplendi, & omissa addendi locus, ídque cum honore Nominis tui: *pulchrum est enim fateri*, ait ille, *per quem profeceris.* Videórne jam impetrâsse quod pulchre peto? si videor, *Vale & Fave!*

A. M. D. G.

LIBER II.

MANTISSA
AD
HISTORIAM NATURALEM BOHEMIÆ,
SEU
AD LIBRUM I. MISCELLANEORUM.

Magnopere in fine Libri I. LECTORES meos oraveram, ut si quid à me præteritum (quis enim omnia complecti memoriâ possit?) haberent ad *Historiam naturalem Bohemiæ* spectans, dignum quod commendaretur litteris, mecum communicarent. Dedêre istud precibus meis Viri quidam egregij, & rerum naturæ studiosi, benignissiméque ac multâ comitate & honore verborum, quæ subjicio, suggessêre.

Ad Caput XXIX. de Gemmis fol. 75.

Budwi in Mul- unio- nascun-

IN *Watavva* fluvio coloris argentei, fælicem esse piscatum gemmarum & unionum, narraveram in disputatione *de Gemmis*, admonuit Vir doctus, & peramicus, nè *Muldavam seu Wltavam* flumen silentio transirem, qui multis in locis conchas haberet gemmiparas, quæ *Uniones* gignerent, nihil nitore, lævore, splendore, aliísque dotibus *Watavæ* concessuros. Ad *Budvvicium* regiam Urbem nominatim, post *Portam Pragensem*, ad pontem quem *longum* appellant (quà *Wodnianum* iter est) *Muldavam* ditissimum esse, atque his pretiosis Naturæ Cimelijs ad miraculum abundare. Anno 1674. *Bornavillanum* ex Cæsareæ Militiæ Ducibus, cùm id sibi placiturum ultro ipse sæpius ostendisset, & à *Senatu* Urbis postulasset, ad eum locum à Senatu adductum; mox Senatûs imperio homines quosdam, qui Conchas matres discernerent, & peritè in hoc gemmeo negotio versarentur, in flumen descendisse, & piscationem exorsos complures extulisse conchas, in quibus nitidissimi Uniones continebantur, quos conchæ reddere cogebantur ex sinu, summâ spectantis Ducis voluptate, cui Senatus cùm humanitatis gratiâ præcipuos Uniones obtulisset, *Ducem* gratanter accepisse, & liberalissimè Piscatores remuneratum esse.

Ad C. XVII. de Fodinis Bohemiæ, fol. 49.

NOn semel cum de *Fodinis* metallorum tractarem Libro I. conquestum me esse memini: grandia illa Volumina oculis meis subtracta, quæ velut Fatorum libri ad solium Jovis, apud supremos Monetæ Præfectos in *Vetere Bohemia* servabantur; in quibus Voluminibus nomina Montium, & Fodinarum, & Vallium, totáque generatim & speciatim Metallicarum fossionum œconomia, tum etiam, quod metallum, & quo in loco, & quàm ubere venâ flueret, & quid adhuc explorandum, tentandum, & extundendum restaret, consignabatur. Hæc querela mea sæpius iterata permovit Illustrissimum Virum, ut suo ipse nomine ac privatim à Metallicorum primoribus peteret: annotari sibi nomina *Fodinarum ac Montium*, in quibus hactenus Fossores in Bohemia fæliciter sudassent, quásque constaret fæcundo sinu Metalla (aurum præcipuè, & argentum)

Libri Montani amissi.

** pro-

profudisse. Facilè Vir tantæ authoritatis, quod flagitabat, impetravit, statimque hunc, quem mox subjiciam ad me *Indicem* misit; quem ut erat germanicè scriptus, nè quid meis verbis Lectori obscuritatis offundam, recitabo ad verbum & exscribam.

Enumerantur Auri & argenti fodinæ per Bohemiam

Der befreyten Berck-Städt vnd Oerther Nahmen, wo Berckwerck seyn gefunden worden in Königreich Böheimb.

Schlackenwaldt.
Schönfeldt.
Stadt Iglau.
Kuttenbergk.
Jochimsthal.
Tabor.
Crumau. Crumlovium.
Rudolphstadt.
Eüll. Gilovium.
Laudterbach.
Neydorff.
Schönfücht.
Schönlindt.
Cladrau. Cladrubium.
Stadt Michelsberg.
Krambling.
Trey-Hackhen.
Platten.
Graßlitz.
Abertham.
Pleystadt.
Breßnitz.
Maria-Kupffer.
Mieß *Miza*.
Glatz *Glacium*.
Przibram.
Bergreichenstein.
Nicklas-Berg.
Krauppen.
Sebastian-Berg.
Sonnen-Berg.
St. Georgen-Berg.
Schutzdorff.
Arnsdorff.
Jlischau. Nalzow.
Bawollau. Bavorow.
Wilhelmsthall.
Behrneystadt.
S. Catharina-Stadt.
Reichenbach.
Kreyen.
Lasin.
Freynung.
Gechnitz.
Katerberg.
Closter-Grab.
Ziemaldt.
Engelsberg.
Hellgrundt.
Stechnitz.
Graßmacher.
Fronberck.
Graffenstein.
Gratz. Gracium post Dobrawodam.
Gottes-Gab.
Hennyst.
Cappß.
Muckenberg.
Fribaß.
Gerringer.
Wiesenthall.
Heinrichsgrin.
Sauersack.
Schuesterbeindt.
Trinckseyffen.
Schlochowitz.
Owalcka. Opalka.
Neudeck.
Zügenschacht.
Hürrschenstandt.
Kodoboritz.
Hlosowa.
Wischeritz.
Kaschir.
Thum.
Ehlbogen.
Wilhertz.
Schönbach.
Plan.
Mutterstorff.
Polowitz.
Promahoff.
Auschawitz.
Reichenau.
Pilgram. Peldrzimowium.
Prumsel.

Behro



Behro oder Bahre.
Wierwitz.
Prokopsberg.
Schmeltz.
Heiligen Berg. Sanctus Mons.
Drosa.
Hohe Elb.
Schwartzenthall.
Marschendorff.
Neufriedt.
Stuppney.
Laßdorff.
Deutschen Brodt.
Schirlowitz.
Ins gesambt 100. Städt vnd Oerter.

Nota: etiam hunc *Indicem* absolutum non esse, cùm produci plura *Fodinarum* nomina possint, & in Libro I. à nobis sint producta; sed quis enumeret omnia? solus *Lynceus* omnes Metallorum fodinas pervidisse cantatur in fabulis.

Eadem manus Metallarij, quæ sequuntur, adjecit:

Zum Kuttenberg gedigen Goldt vnd Silber zu Tag außgewachsen / so ein Münch gefunden / vnd die Kutten darüber geworffen / welches Bergwerck etlich 100. Jahr / vnd mehr / bey dem geringen Standt in 80. Jahren 1200000. Marck Silber geben.

Rudolphstadt bey Budweiß / hat von Anno 1547. biß Anno 1601. in 54. Jahren Sechtzehen vnd einmahl Hundert vnd 20000. Marck Silber geben.

Jochimsthall von Anno 1586. biß Anno 1601. in 15. Jahren dreymahl hundert Tausent 5000. sieben Hundert vnd 90. Marck Silber geben.

So haben diese 3. Berg-Städte diese zeit übergeben Sechs vnd Zwantzig Tausend 76603. Marck Silber / thut an Geldt (die Marck 9. Reichst: gerechnet) vier vnd zwantzig Tausendtmahl Tausendt 89427. Reichst:

So ist diese zeit vber an Goldt / Silber / Zühn / Kupffer / vnd Bley / auch andere Berckstädte vnd Bergwercken auff das wenigste gerechnet / in diesen Königreich Böheimb so viel gewonnen worden / daß sich sambt der obigen Summa zusamben gar gewiß auf sechs vnd dreyssig Tausentmahl Tausent / sechs hundert Tausent 51795. Reichst: oder 365½ Donnen Golts belauffet / erstrecket sich auff 36½ Million Golds / Eisen Bergwerck vnd andere Mineralien gar nicht beschrieben.

Zur Eülen in Böheim eine Goldt stüffen / in Hornstein gebrochen 12. Pfundt schwehr / von Städlern nachgeschlagen worden.

Der Rotlew bey Prag von dem Bergwerck so reich worden / daß Jhro Kays: Mayest: Carolo IV. einen Schuldt-Brieff über 1. Tonnen Goldts in einer guldenen Schießl zum Schau-Essen verehret / hat die hohe Schul / vnd mehr andere schöne Gebeü zu Prag gebauet.

Paul Behr in Jochmsthall 100000. Jochimsthaller Außbeith in kurtzer zeit gewonnen.

Optarent forsitan *Lectores Benevoli*, si qui Germanicam non callent, laudabili in rebus Naturæ curiositate, postrema hæc (nam prima, nihil aliud continent, quàm *nomina Fodinarum*) hæc inquam, postrema latinè reddi. Dedit mihi hanc operam Vir amicus è Societate nostra numerandi scientiâ clarus in primis, idque ita habet: *P. W. N. S. I.*

Kuttenbergæ excrevit aliquando purum putum aurum & argentum; quod *Monachus* quidam reperiens capitio suo, ut locum notaret, contexit. Hoc metallum aliquot centenis annis & ampliùs, tempore etiam auri minùs feraci intra spatium 80. Ann: duodecies centena millia marcarum argenti protulit. *1200000.*

Rudolphopolis prope *Buduvicium* ab An: 1547. usq; ad Annum 1601. intra 54. An: millies mille, & sexcenta viginti millia marcarum argenti dedit. *1620000.*

Vallis Joachimica ab An: 1586. usq; ad An: 1601. spatio 15. An: ter centies & quinquies mille, septingentas & nonaginta marcas argenti dedit. *305790.*

Dederunt ergo hæ tres Civitates metalliferæ intra hanc annorum seri-



3125790. em, ter millies mille, centies & vicies quinquies mille, septingentas & nonaginta marcas argenti. In pecunia (marcam pro novem Imperialibus
28132110. computando) vicies octies millies mille, centum triginta duo millia, centum & decem Imperiales.

Intra hoc ergo tempus Boëmiæ Regnum ex auro, argento, stanno, cupro & plumbo (alias civitates metalliferas, earúmque metalla obiter & perfunctoriè numerando) tantum lucratum est, ut simul sumptâ summâ superiori lucrum ascendat infallibiliter
4072421. marcar: & 6. Imperial: ad quater millies mille, septuagies bis mille, quadringentas viginti & unam Marcas cum sex Imperialibus, sive tri-
36651795. cies sexies millies mille, sexcenties quinquagies semel mille, septingentos nonaginta quinque Imperiales; ferrum ac alia mineralia nec in censum referendo.

Rotlewi Civis Pragensis potentia. *Rotlevv Civis Pragensis* ex metallicis Fossionibus tam dives evasit, ut *Imperatori Carolo IV.* Chirographum, quo obligatio debiti plus quam *Tonnæ Auri* continebatur, in aurea lance velut ferculum ad oculos pascendos, obtulerit & donârit. Erexit inde *Carolus Universitatem* Pragensem, pluráque ædificia præclara Pragæ stantia.

Paulus Behr Civis Jochmsthalensis centum millia Imperialium ex fælici fossionum labore intra breve tempus recepit. Hactenus ex Germanico conversa.

Civitates Metallicæ. Illud ad extremum huic tractationi subjici posse videtur: fuisse inter manus meas *Cuttnensium, Przibramensium, & Budvvicensium* argentifodinarum *Rationaria*, ac præcipuè insignes Memorias Metallicæ *Urbis Budvvicensis*, quem laborem amore Patriæ susceptum Vir Consularis, honoratus & doctrinâ præstans *Mathias Franciscus Baltauff* Notarius Publicus mecum benignissimè communicavit. Possem ex his Memorijs adducere plurima dignissima scitu, præsertim Oppidorum & *Civitatum Metallicarum* in Vetere Bohemia receptas consvetudines, Jura, Privilegia, Exemtiones & Immunitates (quæ nunc omnia iniquitate temporum jacent) sed opportuniùs in *Libro de Civitatibus, & de statu Civili* pertractabuntur.

Ad Caput XXXIII. de Lapidibus fol. 83.

Lapi pulch à natu form Culm. Cum nuper *Culmæ* post *Austam* Urbem Regiam diversarer, mirabile mihi lapidis genus ostensum est; nihil illud quidem ab alijs saxis aut colore, aut duritie, alijsque notis differebat, (ijs simillimum quos ad *limen* superum & inferum muniendum in portis domorum, & ad margines fenestrarum adhibent murarij) sed crescendi ratio, & figura, magnam mihi movit admirationem; Vallicula sedet in imo ad occidentale *Arcis Culmensis* latus, cujus crater orbiculatus vix sexagenas, aut paulò ampliùs ulnas patet, quantum in profundum, si effoderetur locus, pateret, conjicere non potui. In ea Latomiola, quotquot in conspectu sunt lapides, tum etiam ij, qui à solo in altum crescendo eluctantur, *sepulchralium lapidum* figuram (quibus videlicet sepulchra in Ecclesijs conteguntur) referunt, tam perfecto opere, ut nullâ chalybe, aut ferro perfectiùs elaborari possint. Existimabam primo aspectu, congeriem esse sepulchrorum, quos humana manus in hunc locum conjecerit, at ubi penitùs inspexi, & manum saxis admôvi pertentando, facilè quid esset, adverti: Omnes ij lapides, nihil sunt aliud, quàm *superficies Sepulchrorum*, quibus Epitaphia solent inscribi; non tamen, ut alia saxa jacent, sed in angulis duobus sui quadrati stant, alijs duobus angulis in sublime elatis, velut *Judæorum sepulchra* stare videmus. Plerique eorum lapidum longitudine tres, aut summùm quatuor ulnas, latitudine unam cum dimidia æquant, qui scilicet majores sunt, veluti justam magnitudinem nem



nem consecuti quiescunt; alij mediocres, aut planè minimi crescunt & augentur paulatim, dum denique reliquorum magnitudinem & figuram attingant. Adeò ubique *Natura* ipsa mortalitatis nos admonet, ac nè post peccatum pœnam mortis nos evasuros putemus, priùs quàm nasci contigerit, efformat sepulchra, significans nos in hoc nasci, ut moriamur.

Ad Cap. XLIX. de Terra sigillata. fol. 114.

UNo milliario *Culmâ*, *Arce Illustrissimi Comitis Joannis Francisci de Kolovvrat*, admirabile prorsus Naturæ donum *Terra sigillata* (quæ venenis omnibus resistit, & quamvis receptum virus sudore expellit) *Terra* inquam *Lemnia*, seu *sigillata*, non tam reperta, cùm semper in propatulo jaceret, quàm agnita est pauculis retro annis, quódque magis mirum, tantâ copiâ, ut quod jacet humi, quódque spectatur, multos currus implere possit, valles & colliculi vicini ad eum pagum qui *Lokssitz* appellatur, quodammodo à natura sulcati, nihil aliud sunt, quam purissima Terra sigillata, ac sine fæcibus, quæ alibi lotione purgantur. Accessi ipsomet hortante & mittente Domino locum: DEUS bone! nullo fossionis instrumento opus erat, non palâ, non furcâ, non sarculo; hisce manibus & digitis collis superficiem scalpsi, & volas aliquot rubræ illius terræ, quæ velut argilla sponte sequebatur facillimâ tractatione, unam in massam coëgi; collectum est, quod ferè tres libras æquaret; post dies aliquot pharmacopœis, & talium rerum peritis massam illam exhibui; lota est per artem, ùt fieri solet, támque pura, tam illimis reperta est, ut ex lotione nihil prope sordium colligeretur; eam massam divisam Amicis pluribus misi, & gratum munus fuisse scio. Plures ad eum pagum Agri, eodem colore tincti, satis indicant intus & in solo ingentem Terræ sigillatæ vim in agrorum visceribus latêre. E regione colliculi illius, in quo me terram collegisse modò dixeram, ad lapidis jactum, purissimus & crystallineus Fons emicat ignotâ origine ex colle prosiliens; suspicor ex venis albæ terræ sigillatæ profluere, quod & aquæ candor & sapor affirmat: ex eo fonte, quantumlibet potârit Viator, nullum sentiet detrimentum, adeò potiùs bulimiam quandam, lupinam ingluviem, & voracitatem in eum diem acquiret. Narrant Incolæ (idque ipso Illustrissimo Comite narrante didici) aureis illis ab aurea Majorum simplicitate sæculis, si quis Paterfamilias in vicino pago famulum sibi vel ad Equos, vel ad Boves, vel ancillam ad domestica opera pretio adducere vellet, disertè in contractu & stipulatione cavere, & excipere solitos, *nè ex eo fonte familia potaret*, nevé aquâ illius fontis sitim restingveret, quòd qui haurirent, voracissimi redderentur, timebántque rustici, nè panibus & obsonijs suppeditantis non sufficerent famulis, qui sibi ultro famem obsonassent, & ut Senecianè loquar, *manufecissent*.

De fonte mirabili.

Ad C. LXIV. fol. 147.

MEmini me in *Miscellaneis* hisce meis *Insecti* cujusdam aspectu horridi mentionem fecisse, quod *Cenchrides* ex vicinis *Carlsteinensi Arci* montibus apportent in nidos parvis prolibus; oblata mihi, tandem nuper est ejus Insecti effigies, statim *Salamandram* agnovi, quæ in fodinis, præsertim *Jochmsthalensibus* reperitur, & quas nobis *Gesnerus* in fossilibus depinxit. Illud unum admirationem non parvam movet, quòd *Cenchris* etsi rapacissima, nõ tamen valentissima Avis, pigro huic & gravi insecto deferendo vix par esse possit, affirmant tamen Religiosi Viri, qui deferentem viderunt; dicendum igitur videtur has *Carlsteinenses Salamandras* minimi generis esse; nunquam enim

Salamandræ Carlsteinenses.



magis Natura; quàm in Insectis varietate ludit, neque sibi certum magnitudinis terminum præfigit, sed materiæ exuberanti, aut etiam deficienti sese accommodare consvevit.

Ad C. XLI. fol. 102. de Tilijs.

Platanus arbor in Italiã advehitur.

Jawor / Maßholderbaum.

PLatanum arborem primitus Italiæ datam non esse, sed umbræ solius gratiâ ex alieno orbe petitam, & Italiæ illatam affirmat *Plinius*, an satis verè, nihil disputo; crescere tamen apud nos, et nõ rarissimè *Platanum*, vel nomen quod habemus ostendit, habeóque in eam rem satis idoneos Authores, qui peritissimè ligna cædere & vel sarmento ostenso speciem arboris nominare noverunt, qui se aliquando in silvis nostris *Platanos* crescentes testabantur vidisse. At quod de umbra *Platani* paulò antè dixeram (hanc enim propè unicam commoditatẽ adferunt *Platani* cæterà steriles) *Quercus* nobis & *Tiliæ* in Germania præstant, ut Platanos aliunde petere non sit opus. Nam (ut de *Helveticis quercubus* portentosæ magnitudinis, ac *Tilijs* taceam) vel in *Hercynia* nostra, & in cæteris silvis, imò sæpius propter vias, & villas rusticorum tantæ altitudinis, proceritatis, & opacitatis visuntur, ut etiam cautissimæ, & suspiciosæ *Aves* (graculi, picæ, cornices &c.) in earum culmine securè confideant, & contectæ ramis & frondibus, subtus transire Viatorem patiantur, neque tamen ipsæ locum commutent. In Pago *Chodovv* (Germanis *Meigelshoff*) ubi quondam *Chodovee*, de quibus alibi, silvas & limites Bohemiæ tuebantur, *Quercum* mihi grandem Illustrissimus Comes *Maximilianus de Lammingen* nuper ostendit, cujus latitudinem in pectore arboris (ut ita dicam) filo dimensi sumus; annitente, & adjuvante laborem excellentissimo in arte Medica Viro *Franchimontio*; inventæ sunt septem Orgiæ seu una & viginti ulnæ latitudinis, quam *Quercus* implebat; nec ego latiorem, & crassiorem *Quercum* me in vita vidisse existimo: Rami justæ magnitudinis arbores æquabant, sed ipsa arbor annosa, & senectutis morbo exsucca, brevíque moritura. Mollior *Tiliarum* quàm quercuum natura est, ideóq; ingeniosè *Ovidius in Transformationibus*, *Virum in Quercum*, *Uxorem in Tiliam* commutatos finxit; at quantum proceritatem & altitudinem attinet, *Tilia* sæpe nihil marito concedit, formâ & venustate apicis, foliorum insuper odore gratissimo deniq; in medicinis usu longè superat; sed hæc alteri loco servantur, de magnitudine *Tiliarum* dicere institueram. *In Blazov Clatoviâ Sufficium* proficiscentibus duæ sese offerunt *Tiliæ*, quarum crassitiem priùs quàm se in ramos dividant Vir peramicus in mei gratiam A. 1680. 8. Octobris filo dimensus est, transmisitq; in literis mensuras; altera non procul inde stat in pago *Albrechtice* seu *Albrechtsrith*. Comperi illam in *Blazov* ulnas Pragenses octodecim, & digitos duos, alteram minorem tredecim ulnas crassitie æquare, aut potiùs superare. Porrò *Pragensis ulna tres Spithamas* continet. Possent plura *Tiliarum & Quercuum* exempla proferri.

Arborum apud nos magnitudo

Quercus ingens.

Tiliæ insignis magnitudinis.

Ad C. XXVII. de Fontibus. fol. 69.

Fons Kurzimensis.

AD *Fontium* miracula spectat quod sequitur, idq; ad majorem operi meo conciliandam fidem Sacerdotis religiosi verbis commemorabo:

Est quidam fonticulus prope Civitatem Kurimensem, medio quadrante milliaris circiter à Civitate distans, occidentem versùs jacens. Hic, maximo usui est: alit enim (utpote aquam dulcissimam in se continens) non solùm Pecora, verùm & homines; dum per canales, seu subterraneos aquæ ductus in Civitatem influit, & in duas magnas lapideas cisternas aquam dividit. Civitas Kurimensis tantò avidius aquã hanc expetit, exinde quia si hanc non haberet, nec guttam aquæ



aquæ in Civitate haberent; cùm inibi nec unicus fons detur, neq; dari possit, ut patet experientiâ toties tentante, & maximas in hunc finem expensas Civitate faciente. Igitur ab immemorabili consvetudine cæremonia hæc sequens ab incolis observatur. Annuè in festo SS. Pentecostes post vesperas decantatas tota Civitas processionaliter, per vias concinendo, ad hunc fonticulum, cum Decano loci procedit, ad quem dum ventum; Decanus loci, vel alius ad nutum ejus Sacerdos, ritu Romano aquam hanc benedicit, & sale benedicto permiscet; quâ Benedictione terminatâ populus avidissimè ad vascula, ad hoc secum eò portata, aquam de fonticulo haurit, & circa circum in planitie gratiosissima sedens hâc aqua potatur. Mediâ circiter horâ inibi sedetur, tandem iterum candelis â fonticulo accensis ablatis, & extinctis, denuò processionaliter in Ecclesiam revertitur. Traditione habetur, quod semel (nescio an Decani temporis illius, aut populi potiùs illis temporibus forsitan heterodoxi culpâ aut negligentiâ) hæc sacra Cæremonia fuit prætermissa, & ideo aqua statim ex Fonticulo amissa. Videns hoc Civitas, quòd aquâ careat, & per consequens & cerevisiâ (nam ex illa braxatur) cæremoniam repetijt, processionaliter eò processit, aquam non benedictam Decanus eò in vasculo portavit, illam benedixit ante fonticulum, & benedictam ad siccum fonticulum fudit; & ecce necdum processio ad Civitatem redijt; aqua denuò ad utramque cisternam plenis aquæ ductibus, & fistulis fluxit. Contigit autem apud eundem fonticulum An. 1668. quiddam notatu dignum: Adventante processione ad locum consvetum, & finitâ benedictione aquæ, populus de more aquam avidissimè hauserat & biberat, sed unus (forsitan adhuc stomachum heterodoxum habens) est enim adhuc superstes, & mihi bene notus, populum irrisit, & quòd ità aquam biberet, explosit, inquiens, si vinum esset, pariter biberet; sed aquam, aquam esse, neque sibi consvetudinem esse aquam bibere. Hæc forsitan protulit ex aliqua superbia: nam protinus quasi exanimis cecidit, & magno spatio temporis ità jacuit, timor & tremor adstantes omnes apprehendit, & maximè Decanum loci (ille de facto in modernum tempus est: Mathias Carolus Kottecius, Proto-Notarius Apostolicus, Vir sanè egregius) hic eandem aquam benedictam subitò ex fonte hausit, in faciem ejus fudit, & sensibus iterum reddidit. Ab hoc tempore ille irrisor nunquam apud illum Fonticulum comparuit, & neque aliàs per se, neque cum processione sacra eò pergere, & ire voluit, fortè timens, ne sibi quid deterius contingeret. Huic funebri spectaculo præter Dominum Decanum adfuère & nostri duo Patres, nempe Def: P. Placidus à S. Fulgentio, & P. Nathanael à JESU Crucifixo, etiamnum hîc Pragæ superstes. Hæc simplici, & impolito calamo de fonticulo Adm: Rever: Paternitati Vestræ significanda duxi, manens interim servus in Christo obligatissimus

Adjicit P. S. *Huic benedictioni ego ipsemet interfui, & tam fonticulum, quàm populum cum magna admiratione spectavi,*

P. Cyprianus à S. Theresia, Augustinianus Discalc: ad S. Wenceslaum Neo-Pragæ 14. Februarij 1680.

Hæc Vir ille Religiosus & Sacerdos.

In quosdã Criticos.

Facere non possum hoc loco, quin Castigatores quosdam pauculos superciliosos, obiter, & leniter objurgem, qui & hanc Narrationem de *Fonticulo Kaurzimensi*, cùm audissent referri, & alia plura, quæ Lib. I. attulimus, maledico dente carpunt, in convivijs rodunt, in circulis vellicant, omnia in dubium revocant, ut cùm ipsi, quacunq; demum ex causa, nihil proferant, reprehendendo aliquid se posse demonstrent. *Ego*, inquiebat aliquis, *Kaurzimij vixi, nunquam de hoc Fonte audivi*, alius, quod de *Misseno l. I.* scripseram (ex cæcis fossis glaciem aliquando impetu ventorum intus nascen-



centium hyeme erumpere, & frusta solidæ glaciei per aërem deferre) carpebat: *nunquam id fando audivi; fabulosa hæc sunt, iisq; similia, quæ apud Olaum leguntur: Voces hyeme congelascere, quæ postea tempore æstatis dissolutæ rarescant, & à viatoribus audiantur.* Quid his hominibus facias? num igitur omne quod vos non audistis, pro falso habebitis? equidem non omnia, quæ scripsi defendenda suscepi, omnibus nihilominus Narrationibus authores, aut idoneos testes, aut etiam me ipsum apposuisse, id verò glorior. Fides sit penes authores, quos audivi, quis plura requirat? si Authorem laudavi, fidem exsolvi. De Msseno, & de ventis glaciem ferentibus locupletem habeo testem *R. P. Georgium Constantinum Soc. JESU*, in ipso *Mssen*, vel *Mssено* natum, qui se id oculis suis spectâsse, & juvenem magno in periculo, dum iter cum socijs in patriam haberet, fuisse, ne obrueretur, non semel mihi sanctè confirmavit, dederátque mihi in eam rem chirographum, quod postea, cum usui ampliùs fore non videretur, discerpsi. *At ego*, pergit Obtrectator, *in Mssено fui, nihil audivi.* Nihil probat, non audisse; sed audisse probat, & quidem audisse â Sacerdote Religioso, Sene, Viro optimo, & fidei (ut omnes, qui eum norunt, testabuntur) incorruptæ, & cui pretium ex fingendo non esset. Si obtrectator, non advenas, non incolas, hodie natos, non sexum, aut ætatem rerum, quæ geruntur, incuriosam interrogâsset, veritatem forsitan audisset ex senibus, neque ea, quæ fieri non possunt (ut est verborum gelu constrictorum fabula) rebus, quæ fieri possunt, & quas alibi quoque fieri, *in Jonstono*, aliisque Scriptoribus legimus, comparâsset. Valeat hoc loco Thucydideum illud, quod in laudatissima illa oratione funebri ad Athenienses suos dixit: *Qui inexpertus est, propter invidiam* (aut aliam animi affectionem) *quidquid supra suum captum audit, ait supergressum esse veritatem, fidémque non habet.*

De Glacie in Msten.

Thucydides lib 2. de bello Peloponnesiaco.

Ad C. XXX. de Gemmis. fol. 76.

Adamas in propatulo repertus.

AD *Adamantis, & Gemmarum* bohemicarum historiam spectat quod sequitur: *Klencz* (Chodonum pagus est, Bavariam versùs, propè postremus, ob id veredarij Equi, quas postas vocant, & Præfectus ejus publici muneris, ibidem hospitantur) ad eum inquam pagum *Klencz* paucis abhinc annis *Rusticus* lapidem lucentem invênit in solo (*Adamas* erat justæ magnitudinis sed impolitus) hunc sibi à rustico oblatum alio pretio redemit loci Dominus *Maximilianus Comes de Lammingen* (à quo id audivi) Gemmarijs deinde perpoliendus oblatus est, qui tandem ex adamante illo uno gratiosum, nec minùs pretiosum poculum efformârunt.

De lapide pretioso qui caseo premendo imponebatur.

In eodem Pago *Klenczij* bonæ fortunæ auspicium reperit Avorum memoriâ *Leonardus Haz*, erat is Regius telonarius, simúlque ùt paulò antè innueram, Veredarijs & Postæ Præfectus. Fortè ita evênit, ut per *Klenczium* duo Augustani Cives seu gemmarij, seu aurifices iter *Pragam* haberent, & ad *Leonardum*, veterem Amicum diverterent. Commodùm eo tempore herilis Ancilla *Caseum* formabat, absolutóque opere, ut indurarentur faciliùs, lapidem quendam imposuit. Hospites accedunt, lapidem sagacibus & eruditis oculis contemplantur; mirantur in tam viles usus pretiosissimam gemmam adhiberi; *Leonardum* familiariter sevocant, docent: quantum ex eo lapide pretium conficere possit, mille florenos ipsimet numeraturos pollicentur. *Leonardus* Vir non detrivio, attentus ad rem, & sagax, qui sibi potiùs quàm alteri lucrum vellet, suspicatus id quod erat, negavit eum lapidem esse venalem; jam se pridem statuisse ad *gemmarios* deferre, sed ita reliquisse, quòd satis securus à furvis manibus videretur, cùm

cùm lateret. In optimam partem accepêre *Augustani*, Hospitis sui excusationem, cùmque iter ad *Cæsaris Aulam* haberent, *Rudolpho* curiosissimo Naturæ Principi *Gemmæ* indicium faciunt; confestim *Pragâ* mittitur cum mandatis Aulicus, qui lapidem deportet. *Cæsar* gratissimus (nè longum faciam) cui prompta *Leonardi* voluntas, sine omni licitatione gemmam donantis, placuerat, nobilitate lapidis perspectâ, *Leonardo* unius anni telonium, seu telonarium vectigal ejus loci (unde duodecim millia florenorum seu quatuor aureorum millia annuatim colligebantur) donavit. Cognitum est postea, *Rudolphum Cæsarem* ex eo lapide *Salillum* efformari jussisse, quod elegantiâ & pretio, *Mensæ* illi *Cæsareæ*, quam Libro I. descripsimus responderet. Hujus *Leonardi* filius *Joannes Hieronymus Haz* in Albomontensi ad Pragam prælio, cùm fortiter, & strenuè rem gessisset, à *Cæsare Ferdinando II.* Nobilitatis Insignibus, & novo cognomine *de Hartenfels* ornatus est. Hæc omnia Leonardi nepos, *Joanis Hieronymi filius*, *Joannes Henricus Haz ab Hartenfels*, cùm illac anno superiore per *Chodones* transirem, mihi narravit; sed gemmam nominare non poterat. Addebat illud quoque *Joannes Henricus*: Patrem suum in fundo *Klenczensi Virgulam auream*, quæ solo extiterat, & corallij ramosi instar habebat, reperisse, quam *Achacio Illing* Mercatori Noribergensi, mihi quoque notissimo ad pondus vendiderit.

[Gema Cæsari offertur.]

[Virgula aurea in Klencz reperta.]

De Carbone fossili ad C. XXXIII. fol. 83.

[Carbones lapidei.]

CArbones fossiles, quos propè uni *Cubitensi* Provinciolæ adscripseram Lib. I. multis per Bohemiam locis effodi posse significarunt Amici: non procul *Cœnobio Chotiessoviensi*, viâ Misam ducente, ad pagum *Welkysse* non procul, inquam, viâ militari, & regiâ fossiones apparent, & plurimi lapidum aggesti cumuli. Omne illud solum (quod in ditione est nobilissimi Equitis *Kfellirzij*) lapidibus carbonarijs constat, quos *Fabri*, aliique artifices, quibus cum igne negotium est, cupidè effodiunt, domúmque reportant.

Ad C. L. de Zinzibere. fol. 118.

[Zinziber in monte Girny.]

IN silvis quas vocant *Bastinijs*, aliisque *Bohemiæ* montibus, probatissimum *Zinziber* ab aniculis quæri, & effodi nimis quàm certum est, meósque & Amicorum oculos testor. In *Cœnobij Cladrubiensis* ditione in silvoso monte, *Girny*, nasci *Zinziber* liquet: in hanc silvam sine arbitro Rusticus quidam ex pago vicino *Lhota* abdebat sese, & ingentem *Zinziberis* copiam domum referebat ad suos, non parvo operæ pretio, ut confirmant, qui hominem novêre; pollicebatur is Suis, ante mortem se patefacturum, ubi colligeret, locum; sed nihil minùs factum, quippe occupatus à morte, sine dato indicio, discessit è vitâ.

Ad C. LVIII. de Feris fol. 134.

[Capreolus silvestris candidus.]

CApreolos silvestres candidissimâ pelle, qui, ut ait Poëta de Equis, *candore nives anteirent, cursibus auras* sæpe jam captos in Bohemia & impulsos in retia memoravimus; eadem fælicitas & ut Plinius loqui solet, *ferarum raritas* Illustri Equiti D. *Wenceslao Zebrzid Zakavvecz de Zakavva* Domino in Giwgan A. 1666. contigit, qui *candidissimum Capreolum silvestrem* venatu captum ad S. P. N. *Ignatij* sacrum diem Collegio Societatis JESU *Clatoviam* misit, eóque candido munere fælicitatem illius diei signavit.

Ad C. XL. fol. 100.

[Piper in stomachis Avium.]

PIper apud nos ultro nasci nunquam audivi; permirum tamen



men illud, quod ad me optimâ fide perlatum est, præterire non possum: *Jaroslaum Stampach* Leidlicij Dominum in Aucupio suo cum cæteris avibus tres turdelas excepisse retibus, quarum singulæ in utero Stomachi quatuor aut quinque veri & probati *piperis grana* intus ferebant; unde illis avibus in pastu piper? ex partibus Orientis credibile non est, *Piper* tam diu stomacho contineri potuisse, quin calore consumeretur. Igitur aut in Bohemia, aut in vicina aliqua nobis regione collectum esse oportuit. Hoc postremum de *Pipere*, uti & superiora tria *de Capreolo, de Zinzibere, de Carbonibus* ad me perscripsit paulò antè laudatus Eqves *Wenceslaus de Zakavva*.

Crh, vel Brawnik.

Ad Caput X. De Montibus. fol. 30.

Czerchow Mons in limitibus trium Provinciarum.

MOns *Czerchovv* post *Tustam* in Plsnensi provincia celebratur apud Accolas longè, latéque, neque istud immeritò: stat post Pagos *Chodonum, Trhanovv & Chodovv*, altitudine insigni, unde in vicinos montes despectus. *Czerchovv* ipse tres Provincias diversas dispescit, ac tres dominos agnoscit: locum mihi Incolæ ostendêre, potéstin ejus Montis apice *Mensa* in eum modum statui, ut ad eam *Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ* tertius, quisque in solo suo considere possit; putant Incolæ id sæpius in Antiquitate factum, mihi nunc quidem otium non est, trium istorum Principum congressus & colloquia indagare; scio tamen *Joannem Bohemiæ Regem* hoc itinere ad Bavaros & Palatinos commeare solitum, *Tustæ* etiam vicinissimâ Urbe (ut in *Epitome* narraveram) Conventum Bohemiæ Procerum habuisse.

Nec præteriri silentio debet, & à me in antiquitatis honorem commemorabitur, quod ibidem ab hominibus magno natu didici, videlicet: quoties Regibus nostris illac iter esset, *Chodones* (quibus in Vetere Bohemia silvarum & limitum tuendorum erat commissa custodia) in Campis ad *Klencz* pagum ordinatâ militiâ sub vexillis suis spectandos se Regi præbere solitos, unâque *cadum* vel potiùs *Vannum flavissimi mellis plenissimam* offerre, Oratione diserti alicujus viri præmissâ; quo dono indicare *Chodones* volebant, & gloriabantur: diligenter limitaneas illas silvas & montes obiri abs se, ex quibus silvis tantam mellis copiam colligere potuissent.

Chodones Bohemici ad Bavariam Mel Regibus offerre soliti.

Ad C. X. fol. 30. de Saxis.

MIra prorsus est, de grandi saxo ad *Tustam*, seu *Domazlicium* narratio, quam cui Capiti & argumento subjicerem diu dubitavi, sed parum istud facit, modò constet de fide: narravit igitur mihi Vir fide dignissimus, & locorum illorum peritissimus, *Tustæ Civis*: esse in ditione Tustensium *Piscinam*, cui Majores nomen dederint *Babylon*; non ita procul ab ea piscina fluvium *Bistrzice* dictum (qui unus Molas omnes in hoc tractu locorum trudit, impellítque) fluere, & penes eum saxa grandia, & dorsa duo saxea alterum alteri incumbere propè in eum modum, quo in Moletrinis molares duo lapides componuntur, ut grana frumenti in farinam conterant, commolántque: ergo illud, quod subjectum est *Saxum* immobile, & globosum est, quod superjacet, alterum *mobile*, quod vel unâ manu impellere, & ut rotetur, efficere possis, etsi pondus centenorum centenariorum (ut voce usitatâ loquar) excedere videatur. Ob eum motum & Molarium lapidum similitudinem rude vulgus mira quædam de his saxis duobus comminiscitur, & plerique *Molam Cacodæmonis*

Saxa duo star molar um lapidi

Czertowy Mleyn.



nis appellant; hîc illum molere, & farinam conficere vanissimè & stultissimè credentes. Vir doctus quo narrante hæc didici, caussam cur tam facilè saxum superius moveretur, esse putabat, lævorem subjecti lapidis, tum etiam æquilibrij naturam, quòd justissimo pondere superincumbat alteri, superior inferiori. Ego nihil hoc loco definio, cùm in rem præsentem non venerim, illud tamen observo: si ex sola æquilibrij ratione *Saxum* moveretur, jam pridem in casum impelli potuisse, & impulsum fuisse, si fortè violenti alicujus, & validi hominis brachio truderetur, ita enim æquipondium & æquilibrium amitteret; quod tamen Vir ille doctus fieri posse pernegabat. Credibile existimo: *Saxum* superius in umbilico in inferiorem lapidem globosum insertum esse, aut inferius Saxum aliquam cuspidis suæ partem in superius Saxum immittere, atq; ita fieri, ut ob æquipondij rationem Saxum superius facilè moveatur, ac nihilominus ex subjecto saxo (cui scilicet insertum est) decidere nullo pacto possit.

A. M. D. G.



364 fol

4 Kur f 24 —




Biblioteka Jagiellońska
stdr0026790

